# INTRODUCTIO

# IN SACROS NOVI TESTAMENTI LIBROS

## HISTORICO-CRITICA ET APOLOGETICA

EDIDIT

GABRIEL JOANNES B. GÜNTNER,

S. ORDINIS PRAEMONSTRATENSIUM IN CANONIA TEPLENSI PRESBYTER, SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET STUDII BIBLICI N. T. IN CAESAREO-REGIA UNIVERSITATE CAROLO-FERDINANDEA PRAGAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

**PRAGAE 1863.**

SUMPTIBUS F. A. CREDNER,

CAES. REG. BIBLIOPOLAE AULICI.

ROMAE

PROSTAT APUD JOS. SPITHOEVER.

# INTRODUCTIO

# IN SACROS NOVI TESTAMENTI LIBROS

## HISTORICO-CRITICA ET APOLOGETICA

EDIDIT

GABRIEL JOANNES B. GÜNTNER,

S. ORDINIS PRAEMONSTRATENSIUM IN CANONIA TEPLENA PRESBYTER, SS. THEOLOGIAE DOCTOR ET STUDII BIBLICI N. T. IN CAESAREO-REGIA UNIVERSITATE CAROLO-FERDINANDEA PRAGAE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



**PRAGAE 1863.**

SUMPTIBUS F. A. CREDNER,

CAES. REG. BIBLIOPOLAE AULICI.

ROMAE

PROSTAT APUD JOS. SPITHOEVER.

PERILLUSTRIBUS AC CELEBERRIMIS VIRIS,

# DOM. FRANCISCO XAV. GÜNTNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTRO, MEDICINAE FORENSIS IN FACULTATE JURIDICA UNIVERSITATIS PRAGENAE CAES. REG. PROFESSORI EXTR. ETC.

ET

# DOM. WENCESLAO GÜNTNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGIAE ET OPHTHALMOLOGIAE IN INSTITUTO SALISBURGENSI CAES. REG. PROFESSORI, IN NOSOCOMIO AD S. JOANNEM MEDICO PRIMARIO, AUREA MERITORUM CRUCE CONDECORATO ETC.

IN SIGNUM DILECTIONIS FRATERNAE NON VETERASCENTIS

DEDICAT

AUCTOR.

# PRAEFATIO.

Introductionem in sacros N. T. libros edere jam ante annos tredecim mihi proposui et etiam promisi. Attamen operi manum serio admovens summas cognovi difficultates. Primo enim probe perspexi, publicando breviori enchiridio, quod theologiae studentibus esset ducis instar, plurium indigentiis haud esse satisfactum, in specie non eorum, qui ad doctoratus gradum aut ad docendi munus aspirant, et quibus nec tempus neque vires suppetunt, ut ad plura opera incumbant magis minusve dissona. Quid vero e larga materiarum copia esset assumendum, ne illi nimia mole opprimerentur, et ut hi haberent, ubi pedem figerent ad ulteriorem progressum, et ut omnes de sacri thesauri indole rationi reddendae pares fierent, ubique locorum determinare non erat facile, ideoque repetitis vicibus alia videbantur omittenda, addenda alia. Porro recentissimas lucubrationes, quae ad disciplinam isagogicam spectant et continuo sibi succedunt, ignorare velle aut obiter tractare ineptum foret et certe finem non promoveret; jam autem eruditi in quaestionibus haud adiaphoris tantopere inter se discordant, et placita sua tanto argumentorum pondere fulcire conantur, ut ad suam ipsius sententiam sive tuendam sive corrigendam severius examen denuo sit instituendum et saepius repetendum. Denique inter disciplinae isagogicae materias tales inveniuntur, quae disputationibus infinitis traditae esse videantur. Exempli gratia nominare sufficiet apocalypsin s. Joannis. Liber hic septem adhucdum clausus esse videtur sigillis; nam si eum sexcenties legas, ecclesiae Christi de omnibus hostibus victoriam describi, et ineffabilem eorum, qui vicerint stolasque suas laverint in sanguine Agni, beatitatem adumbrari, absque difficultate intelliges quidem; ast quid sin-

gulae visiones adeo magnificae, et certe non meri ornatus causa additae sibi velint, vix perspicies. Quodsi interpretes diversorum temporum consulas maxime illustres: quanta sententiarum farrago tibi occurrit! Cujusvis aevi eventus extraordinarii tantum in commentatores exserunt influxum, ut illis imaginum significationes attemperent. Post multos demum conatus frustraneos in me enata est persuasio, ad apocalypseos explicationem saltem perquam probabilem praeter commentatores maxime insignes V. F. prophetas, nominatim Ezechielem, Danielem et Zachariam in auxilium esse vocandos. — Omnia haecce studia, aliis officiis et negotiis frequenter interrupta, non paucorum mensium spatio absolvi posse, sed plures absumere annos, nec non patientiam perseverantiamque postulare, nemo peritus negabit. Me saepius renunciasse introductionis in usus scholasticos publicandae proposito, et laborem hunece relinquere voluisse alii, qui ingenio et eruditione magis eminens et majore dexteritate gaudens fines supra dictos felicius esset assecuturus, ingenue fateri nullus dubito. Ast probe sciens, auditores meos describendis praelectionum tomis, haud raro mancis et vitiatis, multum temporis terere studiis dicandi, et frequentes hac de re querelas cognitas habens tandem omnia vici dubia, et tertiâ hermeneuticae editione vix finitâ introductionem prelo submittendam curavi. Ut intra brevissimum temporis spatium duo opera nominata e prelo prodirent, nonnisi summâ caes. reg. bibliopolae aulici, D. F. A. Credner, sollicitudine et instituti typographici D. D. Giesecke & Devrient Lipsiae sollertia effici potuit. Viris igitur nominatis maximas ago gratias. Si typi errores praeter notatos inveniantur, benigne excusabitur; nam licet manum correctricem magnâ attentione ultimus adhiberem, ad iteratam tamen operis finiti revisionem instituendam vires deerant et otium. Multum falleretur, qui non nisi nova exspectaret; potius per longam annorum seriem omnia probavi, et quae vera aptaque videbantur, sine haesitatione adoptavi, ubicunque fuerint inventa. In pluribus secutus sum Leonard. Hugium, cujus introductio, variis licet laboret mendis et audacioribus abundet hypothesibus, meliorem tamen disciplinae isagogicae tractandae ostendit methodum, et successoribus in multis subsidio erit nequaquam vilipendendo. — De ordine in parte tam generali quam speciali a me observato disputari posse, ipse sentio et lubens concedo; ast quemcunque observaveris

alium, te omnium punctum esse laturum, sperare vix licet; quare eum elegi, quem rei naturae et studentium utilitati maxime accommodatum cognovi. — Graeca antiquorum effata longiora, in specie Josephi Flavii, non juxta textum originalem attuli, sed e probata versione latina, quia citata illa legi desidero; quae autem, ut dicere solent, *graeca sunt, non leguntur.* Nec mirum; nam typi graeci, praecipue in notis marginalibus minores, oculorum aciem nimis exercent fatigantque. Quia in theologicis Austriae institutis pleraeque disciplinae gravissimis e causis latine traduntur: lingua germanica in hoc opere adhibita scopo ejus primario haud satisfaceret. Ceterum nostrorum theologiae auditorum sors ob linguae latinae usum, non, ut passim fieri solet, adeo est deploranda; si enim idioma hocce in acquirendis scientiis theologicis ab initio difficultatem quamdam parat, hocce incommodum emolumentis gravioribus large compensatur. A quo tempore diversae disciplinae linguis vernaculis tradi coeperunt, scientiarum Universitates, quae pro piis fundatorum consiliis non tantum studia generalia sint, sed omnibus nationibus destinatae, alterum hunc characterem amiserunt. Solae Facultates theologicae in Universitatibus antiquissimis characterem istum adhucdum servant. Lingua latina a me adhibita bibliopolam permovit, ut hermeneuticam meam et introductionem ob faciliorem in Italia divulgationem annunciaret etiam Romae venalem, idque me consentiente factum est; spero enim fore, ut in ipso ecclesiae catholicae centro viri eruditi in opusculis meis fidei orthodoxae aut bonis moribus periculosi nihil inveniant, et si hoc, quia errare humanum, reapse eveniret, ad errorem corrigendum me semper promtissimum exhibebo. Ne fors cui in sectione apologetica humanam N. T. auctorum axiopistiam nimis extollere et talem repraesentare videar, quae missionem Spiritus s. fere reddidisset superfluam: hoc solum observo: ab ejusmodi sententia alienissimus persuasum habeo, futurum fuisse, ut absque primo festo pentecostes christiano pusillus grex Jesu Christi ad angustiorem procul dubio ambitum maneret restrictus (Act. 1, 8.); ast Apostolos omnibus gavisos esse conditionibus, ob quas, etiamsi sibi solis relicti ea scripsissent, quae in sacris N. T. libris legimus, plena fide essent digni, ex omnibus, quae de eorum vita et charactere cognita habemus, luculentissime patet. Benignitatem divinam in rebus fidei et salutis nostrae missione et auxilio Spiritus s. infallibi-

lem praebere dignatam esse certitudinem, a me et jam ante me dictis itaque non excluditur, eo minus negatur.

Ceterum si opus hocce, quod virorum eruditorum benevolentiae commendo, ad studium biblicum promovendum aliquid contulerit, laborum meorum et molestiarum nunquam me poenitebit.

Scripsi Pragae festo s. Francisci Seraph. 1863.

**AUCTOR.**

# PROLEGOMENA.

## §. 1.

**Notio introductionis historico-criticae et apologeticae, supremum ejus principium et divisio.**

*Introductio in sacros N. T. libros historico-critica et apologetica est complexus earum notitiarum, quas tum historia, tum criticum horum librorum studium nobis de eorum origine, scopo, auctoritate, propagatione et collectione, nec non de indole interna et fatis externis suppeditat.*

*Supremum introductionis principium, norma ejus directrix est fides ecclesiae Romano-catholicae;* nam eidem libri sacri ab Apostolis traditi sunt, ab ea pretiosissimi thesauri instar per saeculorum decursum sollicite custoditi et una cum traditione certa de eorum origine atque auctoritate conservati; ejus itaque solius est de illis competentem ferre sententiam. Jam vero fides illa ecclesiae disertis verbis declarata et sancita est in concilio Tridentino sess. IV. in decreto de canonicis scripturis, ubi inter alia haec leguntur: „*Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit* (synodus) *ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti:* (enumeratis V. T. scriptis) *Testamenti novi quatuor evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem; actus Apostolorum a Luca evangelista conscripti, quatuordecim epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos; Petri Apostoli duae, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judae Apostoli una et apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit … anathema sit.*“ — Scientificae itaque introductionis in ss. N. T. libros est hanc ecclesiae catholicae fidem ac doctrinam ope historiae et criticae solide vindicare, et adversariorum commenta refutare.

Hoc vero commode fit agendo primum de iis, quae omnibus N. T. libris communia, et dein de illis, quae singulis eorum propria sunt. Hac ratione enascitur divisio introductionis in duas partes: *in generalem ac specialem.*

Pars prima — introductio generalis — sectione I. — ***historico-critica*** — de origine, collectione et agnitione librorum N. T. agit; fata eorum externa et interna, in specie lectionum variantium genesin describit, nec non virorum eruditorum conatus exponit, textum sacrum ope monumentorum ejus antiquorum et certarum regularum criticarum originariae puritati restituendi; sectione II. — ***historico-apologetica*** — examinat et demonstrat librorum N. T. authentiam, integritatem et axiopistiam.

Pars secunda — introductio specialis — agit de singulorum N. T. librorum auctoribus, de tempore quo, de loco ubi scripti sint, de lectoribus, in quorum usum proxime destinati erant; exponit eorum occasionem, scopum et argumentum, materiae dispositionem, linguam originalem et indolem styli.

## §. 2.

**Cognitio introductionis in ss. N. T. libros perquam utilis et theologis necessaria est.**

Libri sacri N. T. divini sunt et proinde maximi pretii, fons historiae sacrae et doctrinae revelatae; hinc disciplina, quae ad rite cognoscendos et solide vindicandos hos libros plurimum confert, non potest non esse utilissima ei, cui studio biblico operam navare contingit, et summe necessaria theologo, cujus prae ceteris est semper paratum esse ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in nobis est spe (I. Petr. 3, 15.). In specie vero

1. Interpres s. scripturae fine suo potiri nequit, nisi in quovis loco de originaria textus sacri lectione certius constet; atqui hanc certitudinem aut saltem summam probabilitatem sola cognitio historiae textus et criticae partis praestat, quippe quae docent, cujusmodi mutationes textus sacer subierit, et quae ex pluribus inde ortis lectionibus variis originaria sit habenda.

2. Examen, num sacri N. T. libri, qui ad fidei ac spei nostrae fulcra pertinent, genuini, integri et fide digni sint, nequaquam negligendum aut levi manu tractandum est, nostrâ praecipue aetate, qua non solum dubia diversa hac de re mota sunt, sed etiam auctores sacri aut inter misere deceptos, aut plane inter nequissimos deceptores referuntur.[1]

3. Cum denique introductio specialis ea tractet, quae §. 1. enumeravimus, absque accuratiore ejus cognitione interpretationem

[1] Provocare sufficiet ad opera D^ris^ Strauss, Feuerbach, Bruno Bauer etc., et ad Rénau Gallum, qui nostris diebus in sua „Vie de Jésus Christ" animi malignitate et mentis perversitate prius nominatos longe superat.

librorum N. T. feliciter succedere non posse, cuivis hermeneuticae biblicae gnaro manifestum est.

## §. 3.

### Variae sacrorum N. T. librorum classes.

Libri sacri N. T., si argumentum eorum a potiori parte spectetur, in tres dividuntur classes: *in historicos, didacticos et in propheticum.* — Ad primam classem (librorum historicorum) pertinent quatuor evangelia et actus Apostolorum; ad alteram (scriptorum didacticorum) epistolae viginti una, et haec classis subdividitur in epistolas *Paulinas* quatuordecim et in *catholicas* septem; ad tertiam (libri prophetici) apocalypsis Joannis.

Alias divisiones in sectione historica commemorabimus.

## §. 4.

### Fontes introductionis in ss. N. T. libros ejusque succincta historia.

I. Ad fontes disciplinae nostrae pertinent:

1. Ipsi sacri N. T. auctores, utpote qui plura et indubia continent indicia de tempore, loco, occasione, consilio, de primis lectoribus, de authentia et axiopistia, et qui in ea positi sunt relatione mutua, ut sibi invicem testimonium perhibeant et se mutuo illustrent.

2. Scriptores eccl. primorum quatuor saeculorum, quorum alii quidem nonnisi data occasione pauca suppeditant, ut s. Irenaeus, Clemens Alex., s. Epiphanius, s. Augustinus; alii vero historicae investigationi subnixi et crisi utentes partes isagogicas ex professo tractant, ut Origenes, Eusebius Caes., s. Hieronymus etc.

3. Effata et decreta conciliorum particularium et oecumenicorum, declarationes ecclesiarum autistitum solemnes, ut s. Athanasii Alex., Innocentii I., in quibus quippe traditio antiqua de libris canonicis sancita proponitur.

4. Commentatores biblici omnium temporum, qui propriis studiis singulorum N. T. librorum historiam illustrarunt, sicque ad excolenda ea contulerunt, quae ad introductionem specialem spectant. Denique

5. omnes scriptores, qui materias isagogicas ex auctoribus antiquioribus collegerunt, et crisi adhibita in ordinem redegerunt, ut Junilius Africanus, Cassiodorus, Euthalius Alex. et al., aut qui singulas materias ac quaestiones profundius tractarunt, v. g. N. T. chronologiam.

II. Quamvis introductionis in ss. N. T. libros summa sit gravitas, utilitas, et si theologos respicias, necessitas maxima:[1] antiquis-

[1] Cfr. epistolam s. Hieronymi ad Paulinum seu prologum galeatum, ubi vir eruditus castigat eos, qui „sine praevio et monstrante viam“ s. scripturam interpretari auderent.

simis tamen temporibus haec disciplina plane deerat, subsequis saeculis exigua erant ejus initia, et serius una cum hermeneutica tractari, et titulis: εἰςαγωγή, introductio, institutio vel clavis s. scripturae designari solebat; recentiori demum aetate ea, quae ad ambitum disciplinae nostrae pertinent, separata sunt et nomine introductionis historico-criticae designata. Tempore nimirum, quod aevo apostolico propius erat, viva traditio in usu sacrorum N. T. librorum quaestiones de authentia, integritate, axiopistia, de auctoribus et lectoribus primis etc. superfluas reddebat; ast annis progredientibus et adjunctis mutatis necessitas sese obtrudebat, traditiones ecclesiarum vivas in generationum futurarum usum colligendi et literis consignandi. Accessit impugnatio librorum nostrorum tum ab haereticis, tum ab adversariis religionis christianae facta, quae orthodoxis ecclesiarum traditiones et indicia interna investigandi, colligendi ac defendendi necessitatem imposuit.

Introductionis proprie sic dictae auctor est *s. Hieronymus*, qui commentariis suis in diversos s. scripturae libros praeclara praemisit prolegomena, et in primis novem capitibus operis sui de viris illustribus fere omnia collegit ac deposuit, quae ad ss. N. T. auctores eorumque scripta spectant. Eodem modo interpretes scholae Antiochenae, ut *Theodorus Mopsuest.*, *s. Chrysostomus*, *Victorinus Ant.*, *Theodoretus* et alii, commentariis suis prolegomena praemiserunt. Inter Latinos sic dictus *Ambrosiaster* (Hilarius diaconus † 390.) commentarios suos in epistolas Paulinas egregiis instruxit notitiis isagogicis. *S. Augustinus* in opere de doctrina christiana lib. IV., *Hadrianus* († 450.) in εἰςαγωγὴ τῆς θείας γραφῆς, *Eucherius Lugdunensis* († 456.) in libro *„formarum spiritualis intelligentiae,“* et *„ad Salonium filium instructio“* lib. II. magis regulas hermeneuticas tradunt, quam notitias isagogicas. — *Paulus*, magister Nisibeus, primus erat, qui praelectiones elucubraret ad lectorem in sacros libros introducendum. Opus ejus, in linguam latinam versum a Junilio Africano (c. a. 460.) sub titulo: *de partibus legis divinae libri II.*, omnia fere complectitur, quae ad ambitum spectant introductionis historicae, ut auditores, antequam ad ipsam scripturam sacram ducerentur, *„ipsarum interim causarum, quae in lege divina versantur, intentionem ordinemque cognoscerent, ne sparsim ac turbulente, sed regulariter discerent.“* Auctor colloquiorum forma utens in primo libro agit de divisione librorum quoad formam, de eorum auctoritate seu de Canone, de auctoribus, numero etc. librorum canonicorum; secundus continet doctrinae biblicae synopsin et divinitatis s. scripturae argumenta.[1] Simili modo *Cassiodorus* (c. a. 563.) in opere: *„institutio divinarum literarum“* praeter commentatores maxime insignes temporis praecedentis etiam notitias hermeneuticas et isagogicas collegit atque in ordinem redegit.

Inter Graecos eminet *synopsis s. scripturae*, quae inter opera *s. Athanasii* invenitur, et, etiamsi non hujus sit opus, antiquior tamen est Euthalio diacono (c. a. 450.), qui inde desumsit prolegomena sua

[1] Bibliotheca magn. Patrum. Coloniae 1618. tom. II. part. II. p. 198. seqq.

in s. Pauli epistolas, et notitias de hujus Apostoli vita addidit. Synopsis illa omnes complectitur libros sacros V. et N. T., de partibus Canonis disserit, dein de singulis libris eorumque auctoribus, de argumento etc.; agit porro de antilegomenis, de apocryphis, de versionibus graecis V. F. et libros deperditos recenset. — *Cosmas Indicopleustes* cognominatus (saec. VI.), in opere: *de opificio mundi seu topographia christiana lib. V.* data occasione collectiones adfert notitiarum de scriptis canonicis, de eorum auctoribus, de consilio, argumento etc.

Aevo medio cum aliis scientiis etiam introductio parum colebatur, cum ne proprii quidem labores exegetici susciperentur, sed in antiquiorum vestigiis terendis unice acquiescentes scholia et glossas colligerent catenasque conficerent, quibus interpretum antiquiorum prolegomena praemitti solebant. Haereses nimirum continuo enascentes omne fere studium ad polemicam converterant, et ingruentes dein Vandalorum, Gothorum aliorumque populorum rudium turbae sacratiorum literarum studiis minime favebant, ita ut describendis codicibus et triviis quadriviisque omnis fere literatura absolveretur.[1] Etiam minoris momenti sunt, quae hoc tempore in disciplina nostra ab *Oecumenio, Theophylacto et Euthymio Zigabeno,* inter Latinos ab *Alcuino* in libro: *„disputatio puerorum“* c. 8. effecta sunt. Serius praestantissima ingenia omne studium in theologiam sic dictam scholasticam converterunt.

Inde a saec. XIV. plura adjuncta studio biblico et mediate in specie introductioni patrocinari coeperunt. Anno nimirum 1311. in concilio Viennensi statutum est, ut in scientiarum universitatibus cathedrae linguarum orientalium erigerentur; inventa typographia (intra an. 1440—1450.) etiam libri sacri magis et minori pretio divulgabantur, et literarum in genere reflorescebat cultura; anno 1453. Constantinopoli a Turcis occupata Graecorum eruditorum plures, codices profanos et sacros secum portantes, in Italia refugium invenerunt. Hinc jam *Nicolaus Lyranus* († 1340.) postillis suis perpetuis in V. et N. T. Romae 1471. praemisit prolegomena, in quibus quae ab antiquis praeclara erant dicta, collecta exhibentur, et *Santes Pagninus Lucensis* († 1536.), elucubravit isagogen ad ss. literas et isagogen ad mysticos s. scripturae sensus, edit. Colon. 1540. In priore opere de necessaria linguae hebraicae cognitione agit, de versione graeca et latina V. T., de Canone, et demum plures adjungit regulas exegeticas. Longe vero praecedentes superavit *Sixtus Senensis* († 1560.), Judaeus natus, ordinem s. Francisci et serius s. Dominici professus, qui in bibliotheca sancta Venetiis 1586. octo libris agit de numero, partitione et auctoritate divinorum voluminum; de scripturis et scriptoribus, quorum in ss. voluminibus fit mentio; de catholicis ss. voluminum expositoribus; de annotationibus et censuris in expositores V. et N. T.; de his vel adversus eos, qui V. et N. T. volumina oppugnarunt. Si respiciamus ad tempus, opus hoc praestantiâ suâ non modo praecedentes, sed etiam subsequentes hujus generis

[1] Trivium: grammatica, rhetorica, dialectica; quadrivium: arithmetica, geometria, musica et astronomia.

lucubrationes longe superavit, ut sunt: „praeludia isagogica ad ss. librorum intelligentiam" *Antonii a Matre Dei,* edit. Lugd. 1669.; disquisitiones biblicae *Claudii Frassenii*, Paris 1682.; prolegomena biblica *Alphonsi Salmeran* Madrit. 1597—1607.; proloquia in totam s. scripturam *Jacobi Bonfrère*, Antwerp. 1625.; prolegomena biblica *Nicolai Serrarii*, Mugunt. 1682.; *Ell. Dupin*: dissertation préliminaire sur les auteurs de livres de la bible in I. volum. operis: Bibliothéque nouvelle des auteurs ecclésiastiques Paris. 1686.

Postrema demum introductionis historico-criticae aera aperitur a *Richardo Simon*, presbytero Oratorii Parisiis († 1712.). Opus ejus: *Histoire critique du nouveau Testament,* Rotterd. 1689—95. quatuor complectitur partes, in quibus magnae eruditionis historicae artisque criticae continetur thesaurus,[1] quocum comparati minoris sunt pretii labores *J. Martianay: traité de la vérité et de la connaissance des livres de la sainte écriture* 2 voll. Paris. 1697—99.; *August. Calmet* († 1757.): Prolegomena et dissertationes in omnes et singulos s. scripturae libros, Luc. 1729.; *Seemiller* institutiones ad interpretationem s. scripturae Aug. Vind. 1779.; *Jansenii* hermeneutica sacra seu introductio in omnes ac singulos libros V. et N. F. Leodii 1818; *Gerhauser* Biblische Hermeneutik I. Thl.: Einleitung in die Schriften des A. und N. B. Kempten 1829.; *Aloysii Sandbichler* et aliorum.

Mentis sagacitate, eruditione et tractatione splendida, simul vero etiam hypothesibus audacioribus inter recentiores eminet *Leonardus Hug.* († 1846.), cujus praeclarum opus: Einleitung in die Schriften des N. T. tertia vice editum est Stuttgarti et Tubing. 1826., et post ejus mortem repetitum. Multo inferior est *Feilmoser* in: Einleitung in die Bücher des N. B. II. Ausg. Tubing. 1830. Nominari meretur Dr. *Franc. Jos. Schwarz* in: Neue Untersuchungen über das Verwandtschaftsverhältniss der synoptischen Evangelien, Tubing. 1844., et *Franc. Xav. Patricius*: De evangeliis libri tres, Friburgi Brisg. 1855 in 4[to]. Denique singulari laude digna sunt duo opera, quae eodem anno prodierunt a viris de studio biblico optime meritis et adhuc merentibus, nimirum: Einleitung in die canonischen Bücher des N. B. von Dr. *Fr. Xav. Reithmayr,* Regensburg 1852., et: Einleitung in die Schriften des N. T. von Dr. *Adalbert Maier,* Freiburg im Breisgau 1852.

E causis notissimis multo frequentiora sunt scripta isagogica, quae *ex partibus Protestantium* conspexerunt lucem. Ut nihil dicamus de clavi scripturae sacrae, quae a *Matth. Flacio* Basileae 1567. et saepius edita magis institutionem hermeneuticam continet, nominari merentur: *Mich. Walter:* Officina biblica noviter adaperta, Lips. 1636.; *Abrah. Calov:* Criticus s. biblicus, Witteb. 1643. 46. 73.;

[1] Prima pars inscriptionem habet: Histoire critique du texte du N. Testament, où l'on établit la vérité des actes, sur lesquels la religion chrétienne est fondée. 1689.; altera: Histoire critique des versions du N. T., où l'on fait connaître quel a été l'usage de la lecture des livres sacrés dans les principales églises du monde. 1690.; tertia: Hist. crit. des principaux commentateurs du N. T. depuis le commencement du christianisme jusqu' à notre temps 1693.; quarta: Nouvelles observations sur le texte et les versions du N. T. 1695.

*Andr. Riveti:* Isagoge ad s. scripturam V. et N. T. Lugd. Bat. 1627.; *Heidegger:* Enchiridion bibl., Turig. 1681. —

Inter multos vero illa aetate eminuit *Brianus Waltonius* († 1661.), qui biblia sua polyglotta in VI voluminibus Londini 1657. praeclaris instruxit prolegomenis, quae peculiariter edita sunt Turig. 1673. et Lips. 1777. Prolegomena haec, si A. T. spectes, agunt de proprietatibus linguae hebraicae et graecae, de praecipuis s. librorum editionibus, versionibus, lectionibus variantibus, de puritate et auctoritate textus originalis, et denique de singulis versionibus, quae in polyglottis continentur.

Inter eos, qui in Germania introductionem illo tempore tractarunt, erat *J. Dav. Michaëlis*, cujus opus magni habitum et frequenter adhibitum: Einleitung in die göttlichen Schriften des N. T. prodiit Gotting. 1750., novis additamentis *Marshii Angli* auctum 1788.

Eodem circiter tempore in Protestantium theologia invaluit *„philosophia critica"*, per quam remotis fidei orthodoxae limitibus singulorum libertati omnes relaxatae sunt habenae. Introductioni in N. T. libros nova principia negativa applicata sunt a *J. Salom. Semler* in scriptis: Apparatus ad liberalem N. T. interpretationem, Halae 1767., et: Freie Untersuchungen über den Canon, 4 tomi Halle 1771 —75. E Semleri schola prodierunt *Hänlein*, qui edidit: Handbuch der Einleitung in die Schriften des N. T., Erlang. 1794—1802. 2 tom., et 1801—1809. 3 tom., et *J. Gottfr. Eichhorn*, qui prodire fecit: Einleitung in das N. T., Leipz. 1804—27. 5 voll.; *Berthold*, qui notitias dispersas collegit in opere: Historisch-crit. Einl. in sämmtl. Schriften des A. und N. T. Erlang. 1812—19.; *Christ. Schmid:* Hist.-crit. Einl. ins N. T. 1804—5 2 voll., altera vice 1818. Eâdem via negationis aut saltem dubitationis incesserunt *de Wette* in Lehrbuch der hist.-crit. Einl. in die Bibel A. und N. T. II tom. Berol. 1817. 26. 42., et *Schott* in: Isagoge hist.-crit. in libros N. T. sacros, Jenae 1830.; *Credner:* Einleitung in das N. T. Halle 1836 et Beiträge zur Einl. ins N. T.; *Neudecker:* Lehrbuch der hist.-crit. Einl. in das N. T., Leipz. 1840.; *Ed. Reuss:* Geschichte der Schriften des N. T., Halle 1842. — Tentaminis instar juxta antiquorum fidem introductionem tractandi considerandus set liber: Hist.-crit. Einleitung in das N. T.. editus ab *Henr. Guericke* Leipz. 1843. Periculum hocce a pluribus repetitum est ab eo inde tempore, quo Dr. Strauss, Bruno Bauer et socii historiam evang. in mythum convertere adnisi sunt, ut a *Tholuck* in: Glaubwürdigkeit der evang. Geschichte, Hamburg 1837., a *Neander:* das Leben Jesu (saep.), praecipue autem ab *Henr. Thiersch*, qui in opusculo: Versuch zur Herstellung des hist. Standpunctes für die Kritik der neutest. Schriften, Erlang. 1845. et: Einige Worte über die Echtheit der neutestamentl. Schriften, Erlang. 1846. antiquorum Protestantium principia abnegavit.

Silentio praemitti non possunt monographiae quaedam, et quidem: Dris *J. C. L. Gieseler:* Historisch-critischer Versuch über die Entstehung und frühesten Schicksale der schriftl. Evangelien, Leipz. 1818.; *J. H. A. Ebrard:* Wissenschaftl. Kritik der evang. Geschichte, 2. Aufl. Erlang. 1850.; *Joannis Kirchhofer:* Quellensammlung zur Gescihchte des neutest. Canon's bis auf Hieronymus. Zürich 1842.

# PARS I.
# INTRODUCTIO GENERALIS.

## SECTIO I.
## INTRODUCTIO HISTORICO-CRITICA.

### §. 5.
**Notio ejus et divisio.**

*Historia sacrorum N. T. librorum est narratio fide digna de eorum origine, fatis ac mutationibus, quas externa et interna eorum conditio per decursum temporis subiit.*

In tria dividitur capita: in historiam originis, conservationis ac propagationis; in historiam Canonis et in historiam textus relate ad materiam et formam.

## CAPUT I.
## Historia originis, conservationis ac propagationis librorum N. T.

### a) De origine ss. N. T. librorum.

### §. 6.
**Origo ss. N. T. librorum in genere.**

Sacri N. T. libri, „*ille coelestis thesaurus, quem Spiritus s. summâ liberalitate hominibus tradidit*“ (conc. Trid. sess. V. c. 1. de reformat.), non auctorum studio, religionem Christi in mundum introducendi seu gentes convertendi, sed peculiaribus aut ecclesiarum integrarum, aut personarum singularum votis et indigentiis historiâ teste originem debent. Quod enim attinet

1. *libros historicos:* Christus, ejus vita et doctrina praedicationis apostolicae semper et ubique erat fundamentum et centrum (I. Cor. 1, 23. 2, 2. Act. 10, 37.); nam dicta, facta et fata Jesu Christi asseclis ejus ut fidei objectum, ita et vitae norma erant. Hunc autem in finem continua et viva recordatione et accuratâ verbi praedicati

conservatione erat opus; hinc etiam Apostoli fideles ad id excitare solebant (II. Petri 1, 12.), et dicta factaque Jesu Christi in memoriam revocare satagebant (I. Cor. 11, 23. seqq. 15, 1. seqq.). Quodsi vero continuâ verbi praedicati recordatione opus erat, non poterat non mature oriri Christianorum desiderium, scripta quoque possidendi monumenta verbi oretenus sibi traditi. Desiderium hoc augebatur, cum Apostoli, testes oculati, vi destinationis suae in alias regiones sese conferrent. Hinc Luc. 1, 1. legimus, multos conatos esse ordinare ejusmodi narrationem secundum testium oculatorum et ministrorum verbi traditionem. Attamen hujus generis diegeses a viris privatis confectae desideratâ carebant fide et altiori auctoritate. Ne igitur res tanti momenti casui relinqueretur sicque certitudo (ἡ ἀσφάλεια) dubiis aut plane periculis obnoxia redderetur, Deus sapientissime providit, ut per viros inspiratos, immediatos testes et tales, qui a principio omnia accurate investigaverant, hoc negotium susciperetur. Hoc ratione igitur orta sunt tria priora Canonis nostri evangelia, quae proprie nihil continent, nisi magis minusve plenam et ordinatam Apostolorum praedicationem, ut fideles verbum Dei menti animoque profundius mandarent, certitudinem de historia Jesu Christi ab Apostolis ore traditâ haberent et normâ gauderent, ad quam vitam suam componerent. Haec monumenta scripta (ὑπομνήματα) tamdiu sufficiebant, quamdiu fideles simplici ac sincero corde verbum Dei praedicatum suscipiebant. Verum inter eos ipsos, qui sese Christi asseclas profitebantur, brevi orta est sic dicta gnosis, cujus sectatores praedicationis apostolicae materiam juxta principia praetextae sapientiae suae altioris interpretari, et testimonium de Christo subvertere conabantur. Horum conatibus obicem ponere necessarium duxit ille discipulus adhuc superstes, quem diligebat Jesus, Joannes, qui, ut genuinae fidei subversioni strenue et efficaciter resisteret, denuo et ita edidit testimonium de Verbo, quod *„caro factum est et habitavit in nobis,"* ut non omnia conscriberet, sed ut tria priora compleret evangelia. — Quatuor igitur evangelia nostra continent testimonium *„de omnibus, quae coepit Jesus facere et docere usque in diem, qua assumtus est"* (Act. 1, 1.).

Ast ecclesia ab ipso Domino fundata inde a missione Spiritus s. a parvis exordiis magna cepit incrementa non solum in Palaestina, sed etiam in regionibus exteris. Genuina hujus propagationis per Apostolos effectae historia summopere exoptata et utilis esse debebat Christianis, et authentice adornata est in actibus Apostolorum. — Si respiciamus

2. *ad libros didacticos*, etiam hi ex adjunctis temporum et ecclesiarum recenter fundatarum aut singularum personarum circumstantiis orti inveniuntur. Nam Apostoli non in hanc solum vel illam civitatem aut regionem missi erant, sed ad id destinati, *ut in mundum universum abeuntes evangelium praedicarent omni creaturae* (Mt. 28, 19. Mc. 16, 15.); quare ubique locorum ut sapientes architecti fundamentum posuerunt, ulteriorem autem ecclesiarum exstructionem fidis adjutoribus commiserunt. — Ast religio Christi, quae continet veritates antea vel plane incognitas vel menti humanae impervias (Rom. 16, 25.

I. Cor. 2, 7. al.), non poterat non innumeras excitare quaestiones, si agebatur de singulis fidei articulis et de vita vere christiana formanda; hinc orta erat sententiarum diversitas, enatae lites et schismata. Ad errores jam corrigendos aut controversias componendas magistrorum ab Apostolis relictorum auctoritas non semper sufficiebat, imo ipsi instructione pastorali scripta indigebant (I. et II. ad Tim., ad. Tit.) aut doctrinae suae confirmatione opus habebant (ad Coloss.). Quare ecclesiae ipsae aut earum doctores ac duces ad primos suos recurrebant magistros Apostolos, qui epistolis suis fideles uberius instituebant, errores eorum corrigebant, et omnes ad unitatem fidei revocabant (epp. ad Cor.). — Praeterea Christianorum ex circumcisione alii in salutis negotio justo plus tribuerunt Judaismo, ita ut non solum ipsi legem ceremonialem observarent, sed jugum hocce etiam ethnico-christianis obtrudere conarentur; alii vero Gnosticismo addicti crescente audaciâ caput erigentes eo tendebant, ut doctrinae Christi salutiferae placita humana substituerent, sicque illam vi sua privarent imo subverterent. Denique non tantum fanatismus judaicus nullum non movit lapidem, ut ecclesiam Christi fidelium sanguine suffocaret; sed etiam magistratus ethnici Christianos, quos primo ut novae sectae judaicae sodales vilipenderant, variis modis divexabant, numero autem auctos ut deorum contemtores, scelerum clandestinorum patratores, homines periculosos et exstirpandos habebant, praecipue ab eo inde tempore, quo Nero imperator Romae a se incensae flagitium in Christianos devolvens horrendam excitaverat in eos persecutionem. Opus itaque erat constantiâ in profitenda fide et spe inconcussa, ne fideles de causa Christi desperantes vitae suae conservationem praeferrent aeternae salutis dispendio; necessaria erat morum sanctitas, ne adversarii invenirent crimen, cujus praeter religionis suae professionem Christianos accusare possent. Huic interno et externo Christianorum statui pleraeque epistolae apostolicae, nec non apocalypsis Joannis originem debent.

## §. 7.

### An auctores librorum N. T. ipsi scripserint?

Antiqui opera sua tachygraphis (amanuensibus, notariis),[1] qui ex libertinorum aut servorum classe erant, dictare consueverunt, quo facto quae ad usum publicum destinata erant, a calligraphis seu bibliographis describebantur, et a correctore emendabantur.

Quod attinet libros N. T., Paulus Ap. epistolas suas dictare solebat, ut patet ex epist. ad Romanos 16, 22., ubi librarius nominatur.

---

[1] De tachygraphorum celeritate Martialis dicit:
Currant verba licet, manus velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.
Cfr. Ausonii epigramma ad notarium velocissime excipientem, et palaeographia critica edita ab Ullrico Kopp. 1817.

Quum tamen Apostolo epistola mature esset supposita coll. II. Thess. 3, 17., literis suis signum authentiae addere necessarium duxit; hinc aut finem, aut salutationem propria manu scripsit; illud factum est in ep. ad Galatas coll. 6, 11. et procul dubio in illa ad Philemonem coll. v. 19.; hoc in reliquis, quod aperte adnotatur in II. Thess. 3, 17. I. Cor. 16, 21. Coloss. 4, 18.

Ex Jo. 21, 24. I. Jo. 2, 1. 12. seqq. II. Jo. 12., III. Jo. 13., porro e Lucae 1, 1—4. et Act. 1, 1. colligitur, Joannem et Lucam scripta sua ipsos exarasse. S. Petrus coll. I. Petr. 5, 12. epistolas suas aut dictasse, aut per alium scribendas curasse videtur. S. Matthaeus, prius partitor, et s. Marcus, Petri hermenenta, scribendi artis peritiores procul dubio propria manu scripserunt, ita tamen, ut manuscripta eorum tum pro more temporis, tum pro rei natura a calligraphis describerentur, et haec dein exemplaria a fidis correctoribus emendata, aut ab ipsis auctoribus sacris revisa et approbata publicarentur.

## §. 8.

### Quibus scribendi materiis et qua librorum formâ usi sint auct. N. T.

1. E versu 12. secundae et e v. 13. tertiae epistolae Joannis discimus, N. T. scriptores usos esse chartâ, calamo et atramento. Aetate Apostolorum charta lintea et pergamena jam diu quidem nota, aegyptiaca vero e papyro ob vile pretium usitatissima erat; bombycina enim et linea serius demum inventa est; hinc N. T. auctores sine dubio usi sunt chartâ aegyptiacâ, cujus parandae artem Romani perfecerant, ita ut varias adhiberent species. Qua vero specie, num hieratica, augustana, liviana, an claudiana scriptores nostri usi sint, determinari nequit. Si morem communem secuti sunt, epistolas in augustana, alia vero opera in solidiore quadam chartâ exararunt; attamen Apostoli, qui nec ex professo eruditi erant, neque operibus suis nominis celebritatem consequi, sed votis indigentiisve primorum Christianorum satisfacere desiderabant, in eligendis materiis scripturi non nimii fuisse videntur, sed quavis occasione eas, quae praesto erant aut facilius comparabantur, acceptasse.

2. Quum Judaei voluminibus (Rollen, εἰλήματα) inde ab antiquissimis temporibus essent assueti (Ps. 40, 8. Is. 34, 4. 37, 14. Ex. 2, 9. 10. Zach. 5, 1. Apoc. 6, 14.): etiam N. T. scripta procul dubio eandem formam repraesentarunt. Membranae aut chartae plagulae sibi invicem agglutinatae erant, et scapus sic enatus aut altior aut latior scripturâ, in altero casu in columnas divisâ, complebatur, baculo circumvolvebatur et ligamine firmabatur (Plinius).

## §. 9.

### Lingua originalis.

Eâ scriptorum quisque linguâ utatur necesse est, quam tum ipse callet, tum a proximis lectoribus intelligi scit. Iam vero libros

N. T., qui graece ad nos pervenerunt, ab origine 1. *graece scribi potuisse*, intelligimus, sive lectores primos, sive auctores ipsos respiciamus; eos, excepto evangelio Matthaei et fors demta epistola ad Hebraeos, 2. *revera graece exaratos esse*, e traditione edocemur.

Ad 1. Alii N. T. libri iique longe plurimi destinati erant lectoribus graecis, alii romanis aut italis, alii palaestinensibus. Nonnisi de illis quaestionem moveri posse lectoribus librorum N. T. primis, qui aut latinâ, aut aramaicâ utebantur vernaculâ, res ipsa docet.

Quod jam priores attinet, e testimoniis *Ciceronis, Horatii*[1] et *Juvenalis*[2] constat, linguae graecae cognitionem aetate Apostolorum Romae adeo fuisse vulgarem, ut vel ad hominum infimae conditionis classes penetraverit, et in ipsis servis desideraretur;[3] quare et Josephus Fl. opera sua in usum Romanorum et Graecorum graece exaravit, et s. Ignatius Martyr graecam ad Romanos scripsit epistolam; hinc etiam evang. Marci et epistola ad Romanos graece scribi poterant.

*Judaeis Palaestinensibus* non tantum occasio erat linguam graecam addiscendi, sed plane necessitas; nam

1. inde a saec. IV. ante Christum, quo Palaestinae per Alexandrum M. graeci milites illati sunt, Palaestinenses in arctiori nexu manebant cum Graecis; etenim teste historia

*a*) in Alexandri exercitu graeco 8000 Judaeorum stipendia meruerunt, eoque mortuo linguae graecae cognitione imbuti domum reversi sunt;

*b*) in bellis, quibus post Alexandri mortem Aegypti ac Syriae reges continuo fere confligebant, Palaestina per longam annorum seriem belli theatrum erat;

*c*) 120 millia Judaeorum palaest., a Ptolomaeis in Aegyptum captiva abducta, a Ptolomaeo Philadelpho postea domum dimissa sunt;

*d*) urbes Dora, Gadara, Hippos, Tiberias, Scythopolis, Caesarea, Ascalon, Gaza maximâ ex parte incolas habebant graecos;

*e*) Herodes M. non tantum mores graecos ac romanos introducere, sed in genere Judaeos in Graecos transformare nitebatur; nam Caesareae theatrum et amphitheatrum, Jerichunte stadium, amphitheatrum et theatrum, juxta muros Hierosolymorum stadium et

---

[1] Horat. epp. lib. II. ep. 1, 156. ait.:
Graecia capta ferum victorem cepit. et artes
Intulit agresti Latio.

[2] Juvenal. satyr. VI. 184. irridens dicit:
Nam quid rancidius, quam quod non se putat ulla
Formosam, nisi quae de Thusca Graecula facta est,
De Sulmonensi mora Cecropis? Omnia graece,
Cum sit turpe magis nostris nescire latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gandia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta etc.

[3] Horat. epp. lib. II. ep. 2, 6:
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Literulis graecis imbutus idoneus arti
Cuilibet etc.

amphitheatrum, et denique in ipsa civitate sancta theatrum aedificavit;

*f*) postremis reipublicae judaicae temporibus magistratus et milites romani in Palaestina linguae graecae cognitionem potius promovebant, quam impediebant;

*g*) etiam primores populi judaici linguae graecae obstacula non ponebant, eam potius usque ad ultima reipublicae tempora magni habebant, in operibus eruditis, imo in rebus judiciariis cum religione in nexu positis eam adhiberi concedebant, v. g. in scribendo ac signando libello repudii;[1]

*h*) ingens Judaeorum exterorum graecâ utentium numerus quotannis tempore festorum solennium ad sacra celebrauda Hierosolymam venire solebat; denique

*i*) coll. Act. 6, 9. plures in ipsa metropoli erant exterorum Judaeorum scholae, ut Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, illorum ex Asia et e Cilicia, qui omnes graecâ linguâ utebantur.

Haec omnia Judaeis palaest. veluti totidem erant incitamenta ad linguam graecam addiscendam adhibendamque. — Linguae graecae cognitionem in Palaestina coufirmat

2. *Aristeae* narratio de versionis Septuaginta origine a Josepho Fl. in opus Antiquitatum (12, 2, 1—15.) recepta. Narrat nimirum Josephus, Ptolomaeum Philadelphum per Demetrium Phalaereum, Alexandriae regiarum bibliothecarum praefectum, motum esse, ut libros Judaeorum sacros hebraico sermone scriptos ad decus bibliothecae augendum iu graecum vertendos curaret; Ptolomaeum ergo legatos misisse ad Eleazarum, tum temporis summum Judaeorum sacerdotem, cum muneribus splendidissimis et epistola, qua eum rogavit, ut correctum exemplar librorum sacrorum sibi transmitteret una cum viris, qui utriusque linguae (hebr. et gr.) esseut periti; Eleazarum precibus regis annuisse, et 72 viros cum justo sacri textus exemplari in Aegyptum ablegasse, qui ibidem hanc versiouem confecissent, et peracto labore in Palaestiuam essent reversi.

Quomodo jam Josephus hanc historiam habere potuisset veram, si Philadelphi et Eleazari tempore i. e. annis circiter 285 ante Chr. nemo Palaestinensium linguae graecae gnarus fuisset?

3. Linguae graecae cognitionem in Palaestina vel ad illiteratos peuetrasse, docet Act. 21, 40. coll. cum 22, 2.; cum enim turba Paulum Ap. hebraice perorantem audiens in admirationem rapta sistatur, minime hebraicam, sed graecam exspectavit orationem, adeoque linguae hujus ignara esse vix poterat.

## §. 10.

### Continuatio.

Quodsi jam Judaeis palaestineusibus in genere, etiam Christi Apostolis et N. T. auctoribus linguae graecae cognitio adjudicanda

[1] Mischna tract. Gitin c. 9. n. 8.

erit, non e scholis quidem aut ex eruditorum libris, sed e frequente cum hominibus graecis consortio hausta. Ut enim nihil dicamus de linguarum dono, quo teste s. scriptura non tantum Apostoli, sed alii quoque Christiani praediti erant,

1. Christus viros linguae graecae plane ignaros ne apte quidem eligere potuisset evangelii in toto terrarum orbe praecones.

2. Jo. 12, 20. hellenes quidam adiisse leguutur Philippum Ap., eique desiderium suum cum Jesu colloquendi manifestasse; item Act. c. 10. Petrus brevi post effusionem Spiritus s. Caesareae Cornelium centurionem totamque ejus familiam ad Christum convertisse narratur, quin interpretis mentio fiat. Cum jam haec linguae graecae in illis Apostolis cognitio non ut Act. 22, 2. in Paulo illa hebraicae ut peculiare quid repraesentetur, etiam reliquos Apostolos linguae graecae gnaros fuisse non temere concluditur.

3. Hanc sententiam confirmat peculiaris Apostolorum et N. T. auctorum conditio; nam Lucas, medicus Antiochenus, non minus ac Paulus, Tarso, Ciliciae metropoli oriundus et eruditus, hanc linguam cognitam habuisse recte creditur; Matthaeus, prius portitor Capharnaumi, ubi multi regionum vicinarum incolae graeci mercaturae causa confluebant; Marcus, Pauli primum et Barnabae, dein Petri per regiones graecas itineris comes, et Joannes, qui in Asiam minorem ecclesiarum, praecipue Ephesinae abiit rector ac praesul, linguae graecae plane ignari cogitari haud possunt.

4. Etiamsi ab initio exigua fuisset illa linguae graecae in nonnullis N. T. auctoribus cognitio, haec tamen ab eis, antequam libros suos scriberent, multum augeri ac perfici potuit, imo debuit, cum inter eorum vocationem et librorum N. T. editionem longius temporis spatium esset interpositum, et ipsi fere omnes per hoc tempus in ejusmodi versarentur regionibus, ubi lingua graeca erat vernacula.

Ad 2. N. T. auctores revera graece scripsisse, docent Patres et scriptores ecclesiastici, quatenus ut peculiare quid tradunt, Matthaeum evangelium, et Paulum epistolam ad Hebraeos hebraice scripsisse. Sic *Tertullianus* versionibus latinis ubique opponit graecum authenticum (originale), et *s. Hieronymus* in praefatione ad quatuor evangelia scribit: *„Si autem veritas est quaerenda de pluribus, cur non ad graecam originem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel a praesumtoribus imperitis emendata perversius, vel a dormitantibus librariis aut addita sunt aut mutata, corrigimus? Neque ego de veteri disputo instrumento, de novo testamento loquor, quod graecum esse non dubium est“.* [1]

---

[1] De linguae graecae in N. T. libris indole cfr. Auctoris hermeneut. III. edit. pag. 61. seqq.

## §. 11.

### De originaria scripturae forma in libris N. T.

1. Quod *originariam literarum formam* attinet, jam ante Christum nota quidem erat scriptura cursiva; ast in scriptis publico usui destinatis literae nonnisi majores, quadratae aut rotundae, a s. Hieronymo *unciales* dictae, adhibebantur, et non est, quod N. T. auctores a consuetudine communi discessisse supponamus. *Jota subscriptum,* cum scriptura cursiva enatum, vel uncialibus postscribebatur, vel omittebatur; hinc num in protographis N. T. adfuerit, certo definiri nequit.

2. Monumenta quaedam ante Christum exarata habent quidem *spiritum asperum* (*H*), imo *Aristophanes* (saec. II. a. Ch.) signum hoc dividendo spiritum asperum (*F*) et lenem (*Ⅎ*) invenisse creditur;[1] cum vero alia ejusdem temporis monumenta hoc signo spiritus careant, cumque vivâ adhuc linguâ alioquin notum esset, quonam spiritu legenda sint vocabula, quae a vocali incipiunt: incertum est, num N. T. auctores spiritus signa adhibuerint.

3. *Accentus,* ad lectionem rite instituendam inventi, tribuuntur *Aristophani;* ast *s. Epiphanius* testatur, accentus primum additos esse textui versionis Sept., et inde demum transiisse in N. T. libros; unde verosimile non est, N. T. auctores iisdem esse usos.

4. Antiquis temporibus *scriptura continua* in usu erat, qua omnes voces absque spatio inter singulas relicto, sine ullo interpunctionis signo inter sententias adhibito ita juxta se collocabantur, ut vocabula unius lineae unum quasi efficerent totum. — Etiam protographa N. T. voces et propositiones junctim exhibuisse, sequentibus probatur:

*a*) Codices antiquissimi scripturam continuam et interpunctionem vel plane nullam, vel rarissimam et discrepantem continent;

*b*) versiones veteres ac scriptorum antiquorum citata in conjungendis et separandis vocibus ac propositionibus magnopere dissentiunt, et Patres, si contra haereticos alios conjungendi modos sequuntur, non ad manuscripta antiquiora, sed potius ad argumenta interna et ad ecclesiarum legendi consuetudinem provocant, v. g. Jo. 1, 3. Quae omnia vix explicari possent, si scriptores N. T. librorum distinctionibus essent usi.

## §. 12.

### Prima librorum N. T. editio.

*Editio libri dicitur actus, quo quis opus a se profectum publici facit juris.*

Editio libri, quem quis Apostolorum tempore vel ipse vel per calligraphum scripserat et per correctorem emendandum curaverat,

[1] Cfr. Montfauconii: Palaeographia graeca Paris. 1708.

locum habebat, dum auctor opus suum coram amicis recitaret, et dein hisce petentibus aut bibliopolis per librarios describendum et divulgandum traderet, vel dum librum cuidam mitteret amico, qui una cum eo simul patroni officium suscepit, et proinde opus sibi dedicatum per apographa multiplicandum et aliis communicandum curavit, nec non necessitate urgente defendit.

Ab hoc jam modo opera publicandi communi prima librorum N. T. editio eo solum differt, quod hi non qualibuscunque hominibus, sed certis tantum ecclesiis vel personis destinati, et ab ipsis auctoribus aut immediate traditi, aut per fidos adjutores missi, et ab ecclesiarum antistitibus vi muneris publicandi erant. Sic Act. 15, 22. legimus, Apostolos epistolam suam per selectos a se viros misisse Antiochiam; s. Petrus primam epistolam suam per Silvanum probabiliter non tantum scribendam, sed etiam perferendam curavit (I. Petr. 5, 12.); s. Paulum cum literis suis Tychicum, Titum aliosque adjutores fidos ablegasse notum est; imo idem Apostolus in I. Thess. 5, 27. (procul dubio presbyteros) adjurat *„per Dominum, ut epistola haec legatur omnibus sanctis fratribus.“*

Libri itaque nostri et eorum auctores eis, quibus illi proxime destinati erant, non e longinquo, neque incertâ famâ, nec mediantibus ignotis aut privatis hominibus, sed modo innotuerunt, qui nulli authentiae dubio locum relinqueret, et per lectionem deinde subsequentem publicam ac solennem ad aliorum quoque cognitionem pervenerunt. Ultima ergo ratio genuinitatis N. T. librorum est testimonium fide dignissimum ecclesiarum aut personarum, quarum manibus primitive traditi erant.

b) De librorum N. T. conservatione.

## §. 13.

### An quidam libri N. T. prorsus interierint?

Non omnia Apostolorum scripta sacra ad nos pervenisse, plures statuerunt, idque probare conati sunt:

1. *Ex adversis multarum ecclesiarum fatis*, ob quae etiam plura Patrum opera prorsus perierunt. Verum *a)* Patrum scripta, licet magni habita, tantâ tamen veneratione non fruebantur, quantâ libri apostolici gaudebant; hinc illa non statim tot apographis multiplicabantur, neque tam celeriter in diversis regionibus propagabantur, ut hi; quamobrem etiam facilius interire poterant. Porro *b)* de perditis Patrum operibus quidem, non vero de librorum apostolicorum interitu relationes historicae adsunt.

2. *E locis quibusdam N. T.*, in quibus jactura talis inuui videtur. — Ast nonnisi loco I. Cor. 5, 9. vis probandi inest; nam verba: *„Scripsi vobis per epistolam“* collata cum illis v. 11.: *„Nunc autem scripsi vobis,“* non de prima nostra, sed solum de alia epistola prius jam ad Corinthios missâ intelligi possunt. — Unam vel plures epistolas

ad Philippenses periisse, e verbis Philipp. 3, 18.: πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, cum sententia sequente comparatis: νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω perperam colligitur; nam non perspicitur, cur Apostolus verbo λέγειν, quod hic de monito scripto adhibet, uti non potuerit de monitis oretenus datis. Verba I. Petri 5, 12. non de alia, sed de hac ipsa epistola intelligenda sunt. Epistolam ad Laodicenses Col. 4, 16. commemoratam esse nostram ad Ephesios dictam, in introd. speciali videbimus.

## §. 14.

### De celeri τῶν αὐτογράφων interitu.

*Autographa* seu rectius *protographa* librorum N. T. procul dubio saec. I. jam perierunt; nam saeculo II. nemo eorum mentionem facit, potius antiqui scriptores ecclesiastici: Clemens Alex., Origenes et Tertullianus, ubi de genuina textus lectione disputant, non ad autographa, sed ad rationes internas et ad ecclesiarum legendi consuetudinem provocant. Silentium hoc de autographis et eorum usus plane neglectus explicari non posset, si illa aetate adhuc exstitissent. Erant quidem, qui apud s. Ignatium et Tertullianum vestigia eorum inveniri contenderent, imo qui idiocheiron s. Joannis in ecclesia Ephesina usque ad saeculum IV. asservatum esse, et codicem Venetum nec non fragmentum Pragense s. Marci autographon hodiedum continere assererent. Ast

1. *s. Ignatius* in ep. ad Philadelphienses dicens c. 8.: Ἐπεὶ ἤκουσά τινων λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχαίοις (ἀρχείοις) εὕρω, τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω: per ἀρχαῖα non intelligit autographa N. T., sed scripta V. F.; nam τὰ ἀρχαῖα opponuntur τῷ εὐαγγελίῳ; dein, ut ex praecedentibus et subsequentibus patet, verba illa sunt adversariorum judaizantium, qui V. F. novo testamento praeferebant, et huic in illis tantum credebant, quae V. F$^{s}$ confirmarentur.

2. *Tertullianus* de praescriptione haereticorum c. 36. provocat quidem ad literas Apostolorum authenticas;[1] attamen per hasce intelligit exemplaria graeca accurate scripta et per haereticos non corrupta, uti docent addita vocabula: „*sonantes vocem — — unius cujusque*," et opus de monogamia c. 11., ubi textum graecum relate ad versionem latinam authenticum i. e. genuinum nominat;[2] denique etiamsi concederetur,[3]) Tertullianum, uti per sententiam: „*apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident*", cathedras, quibus Apostoli erant usi, ita et per verba: „*apud quas*

[1] „Percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae literae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi Achaja, habes Corinthum; si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses; si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est." Cfr. contra Marc. IV. 5.

[2] „Sciamus plane, non sic esse in graeco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem."

[3] Cfr. Reithmayr Einleitung pag. 185.

*ipsae authenticae literae eorum recitantur*", Apostolorum autographa revera intellexisse: e conjectura tamen potius, quam ex autopsia ob silentium reliquorum haec dixisse censendus esset.

3. In chronico Alexandrino[1] provocat quidem *Petrus episcopus* († 311) ad *ἰδιόχειρον* s. Joannis Ephesi asservatum;[2] attamen huic relationi fides vix haberi potest, quia ne Origenes quidem, qui varia suscepit itinera, de ejusmodi autographo mentionem facit, neque antiquorum quis, dum de lectionibus variantibus agitur, in evang. s. Joannis obviis, ad illud provocat.

4. Quod attinet *codicem Venetum et fragmentum Pragense*, sequentia observamus: Aquileiae saeculo XIV. asservabatur codex evangelii Marci latinus, qui *autographon Marci* habebatur. Nam *Carolus IV. imperator* anno 1354. ad fines Italiae profectus, cum ad fratrem *Nicolaum*, patriarcham Aquileiensem divertisset, ibidem manuscriptum vidit, quod Marci credebatur autographon, duosque quaterniones ultimos a fratre multis precibus obtinuit, et ecclesiae Pragensi per *Ludovicum de Hoenloh* missos donavit.[3] — Canonici Aquileienses ob tumultus excitatos anno 1409. sacras Sanctorum reliquias una cum libris et aliis supellectilibus pretiosis, inventario confecto, civium Forojuliensium fidei concrediderunt. In hoc inventario inter cetera etiam invenitur liber evangelii B. Marci argento deaurato coopertus, nec non codex latinus evangeliorum Matthaei, Lucae et Joannis[4]. Evangelium Marci canonicis Aquileiensibus esse restitutum, inde patet, quia in inventario altero, anno 1418. confecto, rursus commemoratur, non item codex trium reliquorum evangeliorum. Codex itaque evangeliorum Matthaei, Lucae et Joannis, quem nunc Forojuliensem vocant, anno 1409. et quinque quaterniones evangelii s. Marci anno 1418. Forojulii relicti erant; ille ad nostra usque tempora, hi vero usque ad annum 1420. ibidem permanserunt! — Anno nimirum 1420. *Thomas Mocenigo*, Venetiarum dux, datis literis a Forojuliensibus vehementer petiit, ut sibi evangelium B.

---

[1] Edidit Dindorf Bonnae 1832.

[2] — — *Καθὼς τὰ ἀκριβῆ βίβλια περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, ὅπερ μεχρὶ νῦν πεφύλακται χάριτι τοῦ Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἀπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται.*

[3] Exstant duae ejus epistolae ad Arnestum archiepiscopum et capitulum Pragense scriptae. In priore inter alia dicit: „Noverit vestra devotio, quod nuper ad fines Italiae procedentes in ecclesia Aquileiensi invenimus librum evangelii s. Marci evangelistae latinis literis, in septem quaternis propria ejusdem et evangelistae manu conscriptum, cujus duos quaternos ultimos instantia magnarum precum obtinuimus, vobisque pro decore s. Pragensis ecclesiae matris nostrae per nobilem Ludovicum de Hoenloh dirigimus, prout in literis regiis majestatis nostrae sigillo dependente signatis, evidentius est expressum. Datum Feltri die ultimo mensis Octobris, regnorum nostrorum anno nono."

Ludewig in Reliq. monum. tom. V. p. 573. expressam mentionem facit pretiosae thecae, in qua illud fragmentum Carolus IV. recondidit.

[4] Laurentius a Turre in epist. ad Blanchinum pag. 560. ait: „Initio saec. XV., cum omnia tumultibus turbata essent, anno 1409. sacras Sanctorum reliquias una cum libris et aliis pretiosis supellectilibus, inventario confecto, civium Forojuliensium fidei canonici Aquileienses commendarunt. In hoc inventario inter cetera tres evangeliorum libros invenio hoc modo: Liber evangeliorum B. Marci, argento deaurato coopertus" etc.

Marci propria ejus manu scriptum donarent. Forojulienses precibus ducis annuerunt, et codex ille ingente totius urbis gratulatione receptus est, religiose hucusque asservatus, *codex Venetus* dictus, et omnium inspecturorum oculis sollicite subtractus.[1]

Certum itaque est: codicem Venetum Aquileiâ Forojulium iudeque Venetias migrasse, et eundem non integrum s. Marci continere evangelium, sed inde duos quaterniones jam Aquileiae esse decerptos et Pragam missos, ita ut, quod de uno valet, etiam de altero asserere liceat. Aeque indubium est, codicem Venetum et fragmentum Pragense ab origine non fuisse manuscriptum peculiare, per se subsistens, sed nonnisi partem codicis prius Aquileiensis, nunc Forojuliensis; etenim *a*) teste *Blanchinio*, qui codicem Forojuliensem accurate descripsit, et in parte II. in appendice evangeliarii quadruplicis edidit, hic codex ad finem evangelii s. Matthaei continet verba: „*Sequuntur breves secundum Marcum*"; post breves, quae numero 12 sunt, sequuntur capitula 46 cum inscriptione: „*Capitula secundum Marcum*", quibus ordine descriptis subjunctum legitur: „*Explicuerunt capitula secundum Marcum.* Explicit evangelium secundum Marcum, incipit secundum Lucam". Ex his itaque patet, in codice Forojuliensi inter evangelium Matthaei et Lucae ab initio etiam illud Marci fuisse positum, serius autem inde decerptum, peculiaribus thecis instructum et Marci autographon habitum. Idem confirmatur *b*) omnimodo fragmenti Pragensis cum codice Forojuliensi consensu, si *formam* respicias, ita ut unus idemque illius et hujus se prodat librarius. Quemadmodum enim teste Blanchinio in hoc codice membrana est tenuissima, literarum latinarum figura quadrata, scriptura in duas columnas in utraque foliorum paginâ disposita, et quaelibet columna 19 lineis constat, quarum una est longior, brevior altera: ita etiam cuncta se habent in fragmento Pragensi. — Quodsi vero codex Venetus, ut fragmentum Pragense, pars est codicis Forojuliensis (prius Aquileiensis): ille s. Marci autographon haberi non potest, siquidem tale codex Forojuliensis et fragmentum Pragense censeri nequeunt; atqui haec s. Marci autographon haberi non possunt,

*α*) quia secus statuendum foret, Marcum non tantum suum ipsius evangelium latine exarasse, sed etiam reliqua evangelia in latinum vertisse, aut quatuor evangelia ab aliis in linguam Latii versa propria manu descripsisse. Ast primum contrarium est indirecto omnium antiquorum testimonio et mera Baronii conjectura; alterum et tertium tamdiu admitti nequit, quamdiu non fuerit demonstratum, s. Marco non graviora negotia fuisse peragenda, quam illa versoris aut librarii;

*β*) quia codex Forojuliensis breves, et quidem a prima manu scriptas continet, quae tamen serius demum introductae sunt;

*γ*) quoniam textus latinus codicis Forojuliensis et fragmenti

---

[1] Ferdinandus, Austriae dux, anno 1564. codicem hunc a senatu enixe, frustra tamen petiit. Hoc solum constat, codicem hunc instructum esse laminis argenteis, quarum altera insigne familiae de la Turre, altera civitatis Aquileiensis exhibet.

Pragensis non est peculiaris, sed versio Hieronymiana, proindeque utrumque monumentum non ante saeculum V. scribi potuit.[1]

## §. 15.

### Causae celeris hujus interitus.

Mirum profecto videri posset, protographa N. T. librorum, quae tamen magnae utilitati fuissent primorum saeculorum Christianis, tam mature interiisse, ita ut jam saec. II. nullum plane eorum superesset vestigium. Sed plures cogitari possunt causae, quae in explicatione hujus phaenomeni nos juvent, et quidem

1. *frequens usus;* nam experientia teste ab apographis, quamvis maxima diligentia exaratis, vix unquam omnia omnino absunt menda; quod cum non ignorarent primi Christiani, quilibet certe libri apostolici apographon ex autographo potius, quam ex alio apographo desiderabat.

2. *Chartae indoles;* etenim frequenti usu protographorum interitus accelerari eo magis debebat, si in charta minus solida scripta erant; cum vero N. T. auctores non nominis celebritatem intenderent, eos chartam, quae aut praesto erat, aut facilius comparabatur, hinc et tenuiorem adhibuisse, haud est vero dissimile.

3. *Character encyclicus* plurium N. T. librorum; cum enim horum protographa nemini in specie destinata essent, nemo etiam praerogativam possessionis eorundem merito sibi arrogare potuit; quod autem in nullius est possessione, facillime perit. Qui priores acceperant autographon, hoc apographis sibi paratis ad alios missum non amplius curabant; ecclesia vero, cui postremae illud jam detritum traditum erat, nova exemplaria ex illo accurate descripta non poterat non praeferre protographo jam lacerato, idque eo magis, si

---

[1] Fragmentum Pragense, quod in ecclesia metropolitana cum aliis reliquiis pretiosis religiose asservatur, et, quamvis haud sit s. Marci autographon, venerabile tamen est antiquitatis monumentum; — fragmentum Pragense, inquam, ut jam diximus, coustat ex ultimis duobus quaternionibus seu e sedecim foliis, et incipit a verbis 12, 21.:

Et secundus accepit
Eam et mortuus est
Et nec iste reliquid
Semen

et finitur vocibus 16, 20.:

Illi autem profeeti
Praedicaverunt
Ubique
Dn̄o cooperante
Et sermonem confir
mante sequen
tibus signis
Amen.

Duorum quaternionum defectus (fragmentum Pragense) in codice Aquileiensi evangelii Marci accurato apographo compensatus est; quonam hoc pervenerit, non innotuit. Cfr. Fragmentum Pragense evangelii s. Marci vulgo autographi. Edidit Jos. Dobrowský. Pragae 1778.

4. *ipsum protographon non erat sacri auctoris autographon*, sed nonnisi manuscriptum a librario elucubratum.

5. *Fata adversa* plurium ecclesiarum et virorum apostolicorum, quibuscum autographon facile perire, vel quos ipsa erga Apostolos pietas movere poterat, ut autographon occultari mallent aut deleri, quam in manus inimicorum incidere. Denique

5. *Collectiones librorum* N. T., quarum instituendarum majus certe adhibebatur studium, quam conservandi unius alteriusve autographi, ut ex mox dicendis patebit.

## §. 16.

### c) De propagatione et collectione librorum N. T.

Jam ad finem saeculi I. sacros N. T. libros per apographa multiplicatos, longe lateque propagatos, imo et collectos fuisse, e sect. I. scimus. Causae erant sequentes:

1. *Ipsa indoles encyclica* plurium scriptorum, quorum quaelibet ecclesia, antequam ad alias mitterentur, apographa sibi parabat.

2. *Summa,* qua Apostoli eorumque comites apud omnes Christianos gaudebant *veneratio*, quae effecit, ut illorum non tantum superstitum, sed etiam jam emortuorum libri, quorum authentiam certa traditio contestabatur, pretiosissimarum reliquiarum instar habiti sedulo conquirerentur, et in usum tam ecclesiarum, quam privatorum hominum piorum ac ditiorum frequenter describerentur.

3. *Exemplum Judaeorum*, qui habebant collectionem librorum V. F., et eadem in synagogis utebantur, non poterat non provocare Christianos ad colligendos N. T. libros. Ad quod accedit

4. *Maturum Christianorum scripta religiosa possidendi studium,* quod inde elucet, quia Patrum opera jam saeculo II. colligi coeperunt. Sic teste Eusebio[1] ecclesia Philippensis epistolas s. Ignatii brevi post ejus mortem colligere coepit. Eo major certe Christianorum erat scripta apostolica colligendi sollicitudo, cujus felicem successum adjuvit

5. *nexus diversarum ecclesiarum mature ortus*, quem promovebant legationes Apostolorum ad ecclesias et vice versa, itinera multorum per diversas regiones, systema metropolitarum, nec non controversiarum origo, v. g. de tempore celebrandi paschatis. Hac ratione singulis ecclesiis facile, brevi et certo innotuit, quae scripta sacra in aliis exstarent.

Propagatus est autem textus sacer per apographa (manuscripta, codices), et serius per editiones, per versiones, per citata Patrum, de quibus serius recurret sermo.

---

[1] H. e. III. 37. *Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου τὰς πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ καὶ ἄλλας, ὅσας εἴχομεν παρ' ἡμῖν, ἐπέμψαμεν ὑμῖν, καθὼς ἐνετείλασθε.*

# CAPUT II.

## Historia Canonis.

### §. 17.

**Quid est Canon, liber canonicus et apocryphus?**

Vox *canon* (*κανών*) inter alia denotat regulam, in specie normam credendi et agendi, quo significatu a s. Paulo Gal. 6, 16. Phil. 3, 16. adhibetur; hinc etiam libri, qui juxta constantem ecclesiae traditionem divini, sacri habentur, et in rebus fidei ac morum christianorum divinâ, normativâ gaudent auctoritate, *βιβλία κανονικά, κανονιζόμενα, κεκανονισμένα* seu *ὡρισμένα, βιβλία τοῦ κανόνος*, et simul sumti *ὁ κανὼν τῶν ἱερῶν γραφῶν* aut simpliciter *ὁ κανών* dicuntur. Per Canonem itaque intelligimus complexum librorum, qui juxta constantem ecclesiae traditionem a viris divinitus inspiratis descendunt, et in rebus fidei ac morum christianorum divinâ, normativâ gaudent auctoritate. In designatione itaque illa latet nota characteristica tum inspirationis divinae, omnibus libris biblicis communis, tum apostolicae originis, N. T. scriptis peculiaris, unde dein auctoritas eorum sponte consequitur.[1] Peculiaris librorum canonicorum praerogativa erat, quod publice praelegebantur, unde et *δεδημοσιευμένα βιβλία, δεδημοσιευμέναι γραφαί* dicebantur. — Scripta alia, quae praeter canonica inter Christianos erant divulgata, ad publicam vero lectionem in conventibus sacris non admissa, *ἀπόκρυφα*, libri secreti, absconditi, vel etiam *ἰδιωτικά* vacari solebant, *s. Justinus M.* vero expressionem *ἀφανὲς ποιεῖν* adhibet (dialog. cum Tryphone 120.).[2] *Origenes* vocibus *κανονικός* (regularis) et *ἀπόκρυφος* modo exposito primus quidem, attamen ita utitur, ut eas una cum significationibus suis notas et usitatas esse supponat;[3] inde a saeculo quarto voces istae inter

---

[1] Cfr. Hug: Einleitung I. Th. 3. Aufl. S. 121. ff.; Scholz Einleitung in das A. und N. T. I. 197. Herbst-Welte: Hist. kritische Einleitung in die Schriften des N. T.; Reithmayr: Einleitung S. 57. ff. aliam proponit sententiam.

[2] Denominationem certorum librorum per *ἀπόκρυφα* alii ex ethnicismo derivant, ubi sacerdotum scripta in templorum adyto deposita et vulgo abscondita sic vocabantur (Reithm.), alii ex Judaismo, qui libros non sacros, magni vero habitos גְּנוּזִים dicebant (Hug.).

[3] Prolegom. in Cant. cant.: Illud palam est, inquit, multa ab apostolis et evangelistis exempla esse prolata et novo testamento inserta, quae in his V. T. scripturis, quas canonicas habemus, nuspiam legimus, in apocryphis tamen inveniuntur, et evidenter ex iis ostenduntur assumta. Sed ne sic quidem apocryphis locus donandus est, nec transeundi sunt termini, quos statuerunt Patres; potuit enim fieri, ut apostoli et evangelistae Spiritu s. repleti sciverint, quid assumendum esset ex illis scripturis, quidque repudiandum; nobis autem non licet absque periculo tale quid praesumere, quibus non est tanta Spiritus abundantia. — Comment. in Mt. 27, 9. ait: In nullo regulari libro hoc positum invenitur, nisi in secretis Eliae. —

Graecos et Latinos communi usu receptae, et, ut ex eorum effatis de auctoritate librorum canonicorum et non canonicorum patet, ita, ut supra expositum, adhibitae inveniuntur.[1]

## §. 18.

**Quotuplex scriptorum N. T. classis primis fidei saeculis exstitit?**

Scripta, quae primis fidei saeculis divulgabantur, et quibus auctoritas canonica a pluribus vel paucioribus adscribebatur, in tres classes referri possunt. Prima complectitur libros, qui revera sunt originis apostolicae, et tales statim ab initio aut in cunctis ecclesiis catholicis, aut in singulis saltem agniti erant, in plerisque cogniti et publice lecti, et a pluribus Patrum citati (libri nostri canonici). Altera comprehendit scripta, quae a viris apostolicis data occasione ad instar epistolarum apostolicarum singulis ecclesiis, ut publice praelegerentur, missa erant, et eundem in finem cum aliis ecclesiis communicata. Quo pertinent epistola Barnabae, illae Clementis Romani, s. Ignatii, pastor Hermae. Tertia denique classis continet apocrypha proprie sic dicta, quae subdividuntur in anonyma et pseudepigrapha.

*a*) Scripta *anonyma* vel ante libros nostros sacros, vel eodem cum hisce tempore ad instar evangeliorum nostrorum divulgabantur, et historiam Jesu Christi aut singulas ejus partes tractant. Hisce accessit series librorum, qui ab ignotis auctoribus confecti, vel selectae partes ex praedicatione unius aut plurium Apostolorum haberi voluerunt, ut praedicatio Petri, doctrina seu praecepta Apostolorum; vel ut nostri Apostolorum actus epitomas et appendices continebant ex itineribus Apostolorum collectas, v. g. periodi Petri, periodi Pauli et Theclae.

*b*) Scripta *pseudepigrapha*, ab haereticis initio saec. II. usque ad IV. eum in finem confecta et nomine Apostolorum ornata, ut orthodoxorum argumentis e codice sacro depromtis alia opponerent, ignaris fucum facerent et doctrinae suae fictae auctoritatem apostolicam conciliarent. Nulla fere exstitit secta, quae semet munire neglexisset libris splendido hujus illiusve Apostoli nomine ornatis, quorum antiquissima sunt: inter Judaistas: evangelium duodecim Apostolorum; inter Gnosticos: evangelium Petri; inter Manichaeos: evangelium Thomae, evang. Matthiae, evang. Jacobi Minoris etc.

---

Et quia sunt, qui non possint quasi trapezitae inter verba discernere, verane sint an falsa, nemo uti debet ad confirmationem libris, qui sunt extra canonizatas scripturas. — Ad Matth. 13, 18. mortem Isaiae non descriptam esse dicit *ἐν τοῖς κοινοῖς καὶ δεδημοσιευμένοις βιβλίοις, εἰκὸς δὲ ὅτι ἐν ἀποκρύφοις.* — In ep. ad Africanum c. 9. Judaeorum presbyteros partes scripturae removisse asserit *ἀπὸ τῆς γνώσεως τοῦ λαοῦ, ὧν τινα σώζεται ἐν τοῖς ἀποκρύφοις.*

[1] S. Athanasius ep. fest. in fine utriusque Canonis dicit: *Ταῦτα πηγαὶ τοῦ σωτηρίου —— ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται.* — Conc. Carth. III. anno 397. ait: Item placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legeretur sub nomine divinarum scripturarum.

Eodem consilio ducti haeretici divulgarunt historias speciales, ut acta Thomae, acta Joannis, revelatio Pauli.[1]

## §. 19.

**Quales libri ab ecclesia catholica in Canonem referebantur?**

Non temere liber qualiscunque, qui originem apostolicam sibi arrogabat, sed nonnisi ille, qui certis criteriis ac principiis respondebat, ab ecclesia in Canonem sacrorum N. T. librorum referebatur.[2] Criteria autem haec in recipiendis aut rejiciendis libris erant sequentia:

1. *Testimonium illius ecclesiae aut personae, cui scriptum quoddam N. T. proxime erat destinatum.* Nullus enim liber N. T. fortuito editus, i. e. ita, ut auctor ejus profanorum scriptorum instar casui relinqueret, num, ubi aut quos lectores inventurus esset; sed potius omnes certis ecclesiis ordinatis vel personis ecclesiasticis dedicati erant. Hac itaque ratione factum est, ut singuli N. T. libri in ecclesia, cui destinati erant, firmissimum originis suae haberent testimonium, quod publica praelectione vivide conservatum, posteris traditum, cum ecclesiis aliis una cum ipsis libris communicatum et receptione confirmatum est. Primos vero, qui librum acceperant apostolicum, falli non potuisse, cautelae docent adhibitae; nam liber apostolicus aut ipsius auctoris manu ecclesiis traditus aut missus erat. In casu priore de fraude commissa alioquin sermo esse nequit; in altero autem scripta per fidos adjutores acceptantibus probe notos missa, et a s. Paulo saltem salutatione aut vocibus quibusdam propria manu adjectis ceu authentiae sigillo munita erant.[3] Ecclesias antiquas illud principium et criterium revera esse secutas, agendi ratione Patrum contra haereticos edocemur; nam num libri ab ecclesia recepti apostolici sint et sacri, an vero illi, quos apocryphos habet, quaestionem facti declarant, ad quam rite solvendam recurrendum sit ad ecclesias ab Apostolis ipsis vel eorum comitibus et adjutoribus fundatas, ab eorum successoribus continua serie rectas;[4] *quidquid in his ecclesiis*

---

[1] Cfr. Orig. homil. I. in Lucam; synops. Athanasii s. scripturae; Hieronym. comment. in Matth. proëmium; Gelasii I. decret.; Fabricius: codex apocryph. N. T. II. voll. Hamburg. 1719.; auctarium codicis apocryph., edit. Andreas Birch, Havniae 1804.; Schmid corpus omnium veterum apocryph. Hadam 1804.; Thilo: codex apocryph. N. T. tom. unus Lips. 1833.; Const. Tischendorf: evangelia apocrypha Lips. 1833.

[2] Die äussere Canonicität setzt die innere voraus; aber die innere Canonicität gewinnt erst durch die äussere allgemeine Geltung. Es verhält sich hiebei gerade wie mit einer von einer gerichtlichen Behörde anzuerkennenden Urkunde. Weil eine Urkunde ächt ist (oder wenigstens als ächt erscheint), wird sie als solche anerkannt; aber erst nachdem sie öffentliche oder amtliche Anerkennung gefunden, gewinnt sie officielle Auctorität und eine amtliche Kraft. Ohne officielle oder amtliche Anerkenntniss hat die ächte Urkunde doch nur eine Privatauctorität. Tanner: Ueber das katholische Traditions- und das protestantische Schrift-Princip. Lucern 1862. S. 148.

[3] Quanti momenti ecclesiis antiquis fuerit conservare nomina virorum, per quos libri sacri erant allati, docent subscriptiones et catalogus Ebedjesu in Assem. bibl. orient. tom. III. p. I. pag. 8. seqq.

[4] S. Irenaeus adv. haeres. III. 4. Quid enim. et si de aliqua modica quaestione

*semper observatum, custoditum et traditum est:* id vere apostolicum esse, proinde et libros, qui in hisce ecclesiis semper in usu publico erant, apostolici et divini habiti, revera tales agnoscendos,[1] *alios autem omnes,* qui contra hunc usum et traditionem — apostolicam originem ac divinam auctoritatem sibi arrogarent, apocryphos esse censendos.[2] *Argumento historico ad ostendendam* apostolicam originem librorum N. F. sufficienti aliud adjungebatur, et quidem

2. *Consensus argumenti libri cum sana doctrina* ab Apostolis

---

disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, in quibus apostoli conversati sunt, et ab eis de praesenti quaestione sumere, quod certum et liquidem est? Tertull. de praescript. haeret. c. 19. ante omnia inquirendum esse dicit: „Quibus competat fides ipsa, cujus sint scripturae, a quo, per quos et quando et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei christianae, illic erit veritas scripturarum et expositionum et omnium traditionum Christianorum.“ Ibid. c. 32. Edant (haeretici) origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Joanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum.

[1] Tertull. c. Marcionem IV. 5. In summa, si constat, id verius, quod prius, id prius, quod ab initio, id ab initio, quod ab apostolis: pariter utique constabit, id esse ab apostolis, quod apud ecclesias apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus, quod lac a Paulo Corinthii hauserint, — — quid etiam Romani de proximo sonent, quibus evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Joannis alumnas ecclesias. Nam etsi apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. Sic et ceterarum (scripturarum sc.) generositas recognoscitur. ... Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthaei, licet Marcus, quod edidit, Petri affirmetur, cujus interpres Marcus. Atquin haec magis a primordio fuisse, credibile est, ut priora, qua apostolica, ut cum ipsis ecclesiis dedicata. Cap. 5. His fere compendiis utimur, cum de evangelii fide adv. haereticos expedimus, defendentibus et temporum ordinem posteritati falsariorum, praescribentem, et auctoritatem ecclesiarum traditioni apostolorum patrocinantem, quia veritas falsum praecedat necesse est, et ab eis procedat, a quibus tradita est. S. August. de doct. christ. II. 12. In canonicis autem scripturis ecclesiarum catholicarum quam plurium auctoritatem sequatur, inter quas sane illae sint, quae apostolicas sedes habere et epistolas accipere meruerunt. Contra Faust. XI. c. 2.: Vides in hac re quid ecclesiae catholicae valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque ad hodiernam diem succedentium sibimet episcoporum serie et tot populorum consensione firmatur.

[2] Serapion, episcop. Antioch. circa an. 190. (apud Euseb. hist. ecc. VI. 12.) rationem, cur evangelium sic dictum Petri rejiciat, hanc reddit: *Ἡμεῖς καὶ Πέτρον καὶ τοὺς ἄλλους ἀποστόλους ἀποδεχόμεθα ὡς Χριστόν· τὰ δὲ ὀνόματι αὐτῶν ψευδεπίγραφα ὡς ἔμπειροι παραιτούμεθα, γινώσκοντες, ὅτι τὰ τοιαῦτα οὐ παρελάβομεν.* Clemens Al. Julium Cassianum, effatum Christi ex evangelio secundum Aegyptios allegantem, sic refutat: *Πρῶτον μὲν ἐν τοῖς παραδεδομένοις ἡμῖν τέσσαρσιν εὐαγγελίοις οὐκ ἔχομεν τὸ ῥητὸν, ἀλλ' ἐν τῷ κατ' Αἰγυπτίους.* Strom. III. 13. Cyrillus Hieros. catech. IV. monet catechumenos, ut neglectis apocryphis solum legant libros ab ecclesia receptos, et motivum addit hoc: *Πολὺ σοῦ φρονιμώτεροι καὶ εὐλαβέστεροι ἦσαν οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ ἀρχαῖοι ἐπίσκοποι, οἱ τῆς ἐκκλησίας πρόστατοι, οἱ ταῦτα παραδόντες. Σὺ οὖν τέκνον τῆς ἐκκλησίας ὤν, μὴ παραχάραττε τοὺς θεσμούς.* S. August. cont. Faustum XI. 2. ... Vel de iis (libris), qui appellantur apocryphi ... quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum praesumtione prolati sunt.

tradita vel viva voce, vel in scriptis, quae ab omnibus agnoscebantur; persuasum enim erat ecclesiae, Apostolos nec praedicantes, nec scribentes sibi contradixisse, et proinde librum, qui doctrinae apostolicae contradiceret, genuinum esse non posse.[1] Denique

3. *Harmonia dictionis et styli cum scribendi ratione N. F. auctoribus* adeo peculiari, ut factum imitationis periculum felicem habere non posset successum, imo brevi detegeretur.

Quam severae fuerint ecclesiae antiquae in observandis hisce criticae principiis, et quanta certitudine authentiae et apostolicae originis gaudeant libri, quos per eas et secundum eas habemus, docent dubia de nonnullis scriptis biblicis hic ibi mota et fota, de quibus §. 30. agemus.

## §. 20.

### Unde cognoscitur, quinam libri in diversis ecclesiis in Canonem sint relati?

Licet jam saec. I. librorum N. F. collectiones existerent, Canon tamen per tria circiter saecula in omnibus ecclesiae partibus non erat uniformis; potius inter scripta nostra sacra inveniuntur septem, quorum singula inde ab Apostolorum aevo in hujus quidem vel illius provinciae ecclesiis, non vero in cunctis unanimi consensu recepta erant. Quinam libri in diversis ecclesiae partibus antiquitus in canonem relati sint, cognoscitur:

1. e patribus et scriptoribus ecclesiae;
2. e catalogis librorum sacrorum;
3. e versionibus ecclesiasticis, et
4. e conciliorum declarationibus.

Ratione antiquitatis patres apostolici inter testes illos primum tenent locum; attamen cum non omnia eorum opera ad nos pervenerint; cum patres nonnisi data occasione singula scripta allegent, non vero omnia a se et ab ecclesiis suis in canonem recepta enumerent, imo et alia opera in canonem non relata commemorent: dubiis variis relinquunt locum. Quare primas hac in re partes tribuimus librorum sacrorum catalogis, versionibus et conciliorum declarationibus, patres vero et scriptores in subsidium vocamus.

---

[1] S. Irenaeus adv. haer. III. 11.: Valentiniani in tantum processerunt audaciae, ut, quod ab his non olim conscriptum est, veritatis evangelium titulent, in nihilo conveniens apostolorum evangeliis, ut nec evangelium quidem apud illos sine blasphemia sit. Si enim, quod ab eis profertur, veritatis est evangelium, dissimile autem hoc illis, quae ab apostolis nobis tradita sunt: qui volunt, possunt discere, quemadmodum ex ipsis scripturis ostenditur, jam non esse id, quod ab apostolis traditum est, veritatis evangelium.

## 1. Historia Canonis usque ad concilium Nicaenum I.

### §. 21.

#### a) Canon N. F. tempore Apostolorum.

1. Ecclesias Asiae minoris collecta habuisse tria priora evangelia, antequam s. Joannes suum conscriberet, jam hujus libri indoles docet, utpote quae tum in auctore, tum in lectoribus — illorum cognitionem supponit, quod et traditio confirmat; nam *Clemens Al.* testatur, Joannem inter evangelistas postremum, quum videret, in evangeliis ea, qua ad corpus (Christi) pertinent, narrata esse, ad familiarium suorum preces Spiritu s. afflatum spirituale composuisse evangelium.[1] In ecclesiis itaque Asiae minoris tribus prioribus evangeliis additum est quartum, quod ad alias quoque ecclesias, quae prioribus jam gaudebant, mature transiit, et sic completa est evangeliorum collectio, ita ut ecclesiis recenter fundatis *εὐαγγέλιον τετράμορφον* traderetur. Idem valet de I. ep. Joannis et de ejusdem apocalypsi.

2. Epistolarum paulinarum plures in Asiae minoris provinciis prius jam collectas fuisse, ipse *s. Petrus* testatur in II. ep. 3, 15. 16. — Statuere itaque licet, ecclesias Asiae minoris sub finem saec. I. longe plurimos N. F. libros habuisse collectos, id, quod scriptis patrum apostolicorum et inde confirmatur, quia saec. II. jam colligere coeperunt patrum apostolicorum libros.[2] Etiamsi relationi Photii,[3] a s. Joanne canonem esse determinatum, fides non esset habenda, eundem tamen omnibus reliquis Apostolis superstitem in hac re gravissimi momenti habuisse partes, non temere asseritur.

### §. 22.

#### b) Canon patrum apostolicorum.

Inter patres apostolicos nonnisi apud *s. Ignatium* — disertum invenitur testimonium de collectione N. F. librorum; nam commemorat *εὐαγγέλιον* et *ἀποστόλους*, quos cum lege et prophetis coordinet, certe non intelligit historiam evangelicam et doctrinam apostolicam ore traditam, sed literis consignatam.[4] Per *εὐαγγέλιον* intelligenda

---

[1] Clemens Alex. apud Euseb. hist. eccl. VI. 14. *Τὸν μέντοι Ἰωάννην ἔσχατον συνιδόντα, ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδήλωται, προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορεθέντα πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον.* Cfr. s. Hieronym. in prof. comment. in Matth.; de viris illustrib. c. 9.

[2] Cfr. §. 16.

[3] Bibl. cod. 254.

[4] Epist. ad Philadelph. c. 5. *Προσφυγὼν τῷ εὐαγγελίῳ ὡς σαρκὶ Ιησοῦ, καὶ τοῖς ἀποστόλοις ὡς πρεσβυτερίῳ ἐκκλησίας· καὶ τοὺς προφήτας δὲ ἀγαπῶμεν, διὰ τὸ καὶ αὐτοὺς εἰς τὸ εὐαγγέλιον κατηγγελκέναι, καὶ εἰς αὐτὸν ἐλπίζειν.* Ad

esse quatuor evangelia nostra ceu partes unius totius, evangelium quatriforme, usu loquendi antiquissimorum patrum [1] et inde probatur, quod s. Ignatius in citatis suis cognitionem evangeliorum Matthaei, Lucae et Joannis prodit. Per expressionem ἀπόστολος vel ἀπόστολοι antiqui patres designare solent alteram collectionis partem, cujus tamen ambitus pro locorum ac temporum diversitate varius erat; quum vero s. Ignatius plurali (ἀπόστολοι) utatur, canonem ejus praeter paulinas prius collectas aliorum etiam Apostolorum epistolas continuisse, merito colligitur. [2] Citata *s. Ignatii, s. Clementis Rom.* et *s. Polycarpi* sese extendunt ad epistolas s. Pauli, exceptis II. ad Tim., ad Titum et ad Philemonem; in Clemente praeterea inveniuntur loci ex ep. s. Jacobi; in Polycarpo et Papia e I. Petri et I. Joannis, ita ut has epistolas ἀποστόλοις s. Ignatii addere liceat; accedunt denique allusiones ad acta Apostolorum apud Clementem et Ignatium, ad apocalypsin Joannis in pastore Hermae. Ceterum cum patres apost. pauca conscriberent opuscula, libros N. F. non ex professo enumerarent, sed singulos nonnisi data occasione commemorarent: ex defectu mentionis plurium librorum sacrorum colligere nefas foret, hosce in canone illorum patrum aut ecclesiarum, quibus praeerant magistri ac duces, plane defuisse.

## §. 23.

### c) Canon saec. II.

#### α) S. Justini Martyris.

Medio saec. II. canon *s. Justini M.*, qui arctiori in nexu cum primariis orientis et occidentis ecclesiis positus erat, fere universalis totius ecclesiae habendus est. Justinus jam in utraque apologia et in dialogo cum Tryphone Judaeo fontes, e quibus historiam evangelicam hauserit, plerumque designat per ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων (memorabilia Apostolorum), quae tamen etiam εὐαγγέλια, aut collective εὐαγγέλιον nominat. [3] Justinum nostra intelligere evangelia, inde patet, quod ἀπομνημονεύματα *a*) die solis una cum prophetis in conventibus sacris legi dicit; [4] *b*) *ab Apostolis et eorum discipulis* ori-

Smyrn. c. 7. *Πρέπον οὖν ἐστὶν ... προσέχειν τοῖς προφήταις, ἐξαιρέτως δὲ τῷ εὐαγγελίῳ, ἐν ᾧ τὸ πάθος ἡμῖν δεδήλωται καὶ ἡ ἀνάστασις τετελείωται.* Ibid. c. 5. *Οὓς οὐκ ἔπεισαν αἱ προφητεῖαι, οὐδ᾽ ὁ νόμος, ἀλλ᾽ οὐδὲ μέχρι νῦν τὸ εὐαγγέλιον, οὐδὲ τὰ ἡμέτερα τῶν κατ᾽ ἄνδρα παθήματα.*

[1] Clemens Alex. strom. VII. *Ἔχομεν γὰρ τὴν ἀρχὴν διδασκαλίας τὸν κύριον, διά τε τῶν προφητῶν, διά τε τοῦ εὐαγγελίου καὶ διὰ τῶν μακαρίων ἀποστόλων, πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος ἡγούμενον τῆς γνώσεως.*

[2] Cfr. Thiersch: Versuch zur Herstellung des historischen Standpunktes für die Kritik. Erlangen 1845. pag. 345. seqq. 424. seqq.

[3] Apolog. II. c. 66. *Οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ᾽ αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν* λ. Dial. c. 10. *Ὑμῶν δὲ καὶ τὰ ἐν τῷ λεγομένῳ εὐαγγελίῳ παραγγέλματα θαυμαστὰ* λ. c. 100. *Καὶ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ δὲ γέγραπται.*

[4] *Καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις καὶ ἀγροὺς μενόν-*

ginem habere asserit,[1] id, quod evangeliis canonicis apprime convenit et quocum etiam Tertullianus, quatuor evangelia in classes redigens convenit.[2] Citata *s. Justini* rarius ad verbum cum nostris evangeliis consentire, mirum esse nequit, cum e memoria citet et verba minime curet, quod ex repetita ejusdem loci allegatione intelligitur.[3] Praeterea in scriptis Justini superstitibus inveniuntur citata saltem indirecta ex actis Apostolorum, e pluribus s. Pauli epistolis, etiam ex illa ad Hebraeos, et speciatim ex apocalypsi, quae Joanni, uni ex Apostolis Christi adscribitur.[4] Imperfectum esse hunc Justini canonem, inde explicatur, quod in apologiis adv. ethnicos et Judaeos usus frequentior evangeliorum, rarior librorum didacticorum opportunus erat. Quodsi scripta ejus *κατὰ πασῶν τῶν αἱρεσέων* et *κατὰ Μαρκιῶνος* ad nos pervenissent, praeter paulinas epistolas certe non deessent testimonia de I. Petri et I. Joannis epistola, quas communi consensu agnitas esse, praecedentia et mox sequentia docent.

*NB.* Cum s. Irenaeus et Tertullianus Marcionis canonem, qui evangelium Lucae et decem epistolas Pauli complectebatur, ad antiquarum ecclesiarum consensum provocantes truncatum dicant: canonem ecclesiae universalis praeter illius haeretici libros sacros plures alios habuisse, indirecte testantur.

## §. 24.

### β) Canon ecclesiae romanae.

Muratorius medio saeculo elapso in bibliotheca Mediolanensi invenit manuscripti antiqui fragmentum, quod antiquissimum librorum N. F. catalogum, et quidem, ut plura indicia docent, ecclesiae romanae continet.[5]

---

*των ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ.*

[1] Dial. c. 103. *Ἐν γὰρ τοῖς ἀπομνημονεύμασιν, ἅ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ καὶ τῶν ἐκείνοις παρηκολουθησάντων συντέταχθαι.*

[2] Adv. Marcionem IV. 2.: Constituimus inprimis, evangelicum instrumentum apostolos habere — si et apostolicos, non tamen solos, sed cum apostolis et post apostolos. — — Nobis fidem ex apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant.

[3] Cfr. dial. c. 17. *οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι λ.* cum eodem cit. c. 112.; c. 35. *ἀναστήσονται πολλοὶ ψευδόχριστοι* cum c. 82.

[4] Dial. c. 81. *Καὶ ἐπειδὴ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ.*

[5] Fragmentum hoc Muratorius Cajo presbytero romano (circa finem saec. II.) tribuit, et in opere suo: Antiquitates italicae medii aevi tom. III. pag. 854. typis excudendum curavit. Integrum fragmentum, a Wieseler emendatum et interpunctionis signis munitum, sic sonat: ... quibus tamen interfuit (Marcus) et ita posuit. Tertio (um) evangelii librum secundo (um) Lucam. Lucas iste medicus post ascensum Christi, cum eo (eum) Paulus quasi ut juris studiosum secundum adsumsisset, numeri (nomine) suo ex opinione concriset (conscripsit); Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et idem prout assequi potuit. Ita et ab nativitate Joannis incipet (it) dicere. Quarti (um) evangeliorum Joannis ex decipulis (discipulis). Cohortantibus condecipulis (condiscipulis) et episcopis suis dixit: Conjejunate mihi odie (hodie) triduo, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis

Catalogus hic altera parte saec. II., et quidem post proditum Montani (intra ann. 170—190) eo consilio exaratus est, ne libris in ecclesia publice legendis accenserentur tales, qui ejusmodi auctoritate non gauderent vel essent perniciosi. Primum intelligimus e verbis: „*Pastorem nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Hermas conscripsit sedente (in) cathedra urbis Romae ecclesiae Pio episcopo, fratre ejus*“ (ab anno 142—157); alterum indicatur hisce: „*Fertur etiam ad Laudecenses, alia ad Alexandrinos Pauli nomine ficta ad haeresin Marcionis et alia plura, quae in catholicam recipi non possunt; fel enim cum melle misceri non congruit.*“ Idem patet ex observatione, pastorem Hermae privatim quidem, non vero in ecclesia publice legi posse inter prophetas aut inter Apostolos. Distinguitur ergo pastor a libris in ecclesia publicandis et in ecclesiam receptis.

---

enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex apostolis, ut recognoscentibus cuntis (cunctis), Joannis (es) suo nomine cuncta describeret. Et ideo licit (licet) varia singulis evangeliorum principia doceantur, nihil tamen differt credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de nativitate, de passione, de resurrectione, de conversatione cum decipulis (discipulis) suis, ac de gemino ejus adventu: primo (us?) in humilitate dispectus (desp.), quod fo ... (fuit), secundum (us?) potestate regali praeclarum (us?), quod foturum (futurus?) est. Quid ergo mirum, si Joannes tam constanter singula etiam in epistulis suis proferat, dicens in seme(t) ipsu (m): „Quae vidimus oculis nostris et auribus audivimus, et manus nostrae palpaverunt, haec scripsimus.“ Sic enim non solum visurem (orem), sed (se) et auditorem, sed et scriptorem omnium mirabilium Dominus (i) per ordinem profitetur. Acta autem omnium apostolorum sub uno libro scripta sunt. Lucas optime (o) Theophile (o) comprindit (comprehendit), quia (quae?) sub praesentia ejus singula gerebantur, sicuti et semote passionem Petri evidenter declarat, sed profectionem Pauli ab Urbe ad Spaniam proficiscentis. Epistulae autem Pauli, quae, a quo loco vel qua ex causa directe (ae) sint, voluntatibus (volentibus) intellegere (ligere), ipsae declarant. Primum omnium Corintheis (iis) scysme (schisma) haeresis interdicens, deinceps Calactis (Galatis) circumcisione (m), Romanis autem ordine (scripturarum), sed et principium earum esse Christum intimans, prolexius (ixius) scripsit, de quibus sincolis (gulis) necesse est a nobis disputari. Cum ipse beatus apostolus Paulus sequens praedecessoris sui Joannis ordinem nonnisi nominatim semptem (septem) ecclesiis scribat ordine tali: Accorenthios (Ad Corinth.) prima, ad Ephesios seconda, ad Philippinses (enses) tertia, ad Colossenses quarta, ad Galatas quinta, ad Tensalonicensis (Thessalonicenses) sexta, ad Romanos septima; verum Corinthiis et Thessalonicensibus, licet pro correptione iteretur, una tamen per omnem orbem terrae ecclesia deffusa (diff.) esse denoscitur (dign.). Et Joannes enim in apocalepsy (apocalypsi) licet septem ecclesiis scribat, tamen omnibus dicit. Verum ad Philemonem una, et ad Titum una et ad Timotheum duas (ae) pro affecto (u) et dilectione, in honorem tamen ecclesiae catholicae, in ordinatione ecclesiastice (ae) discipline (ae) sanctificate sunt. Fertur etiam ad Laudecenses, alia ad Alexandrinos Pauli nomine finctae (fictae) ad haeresin Marcionis, et alia plura, quae in catholicam ecclesiam recepi (recipi) non potest (possunt?). Fel enim cum melle misceri non congruit. Epistola sane Jude (ae) et superscriptio (ti) Joannis duas (ae) in catholica habentur, et sapientia ab amicis Salomonis in honorem ipsius scripta, apocalapse (apocalypsis, es?) etiam Joannis (, ?). Et Petri tantum recipimus, quam quidem (am) ex nostris legi in ecclesia nolunt. Pastorem vero nuperrime temporibus nostris in urbe Roma Herma (as) conscripsit, sedente cathedra urbis Romae ecclesiae Pio, episcopo fratre ejus; et ideo legi cum quidem oportet, se publicare vero in ecclesia populo, neque inter profattas (phetas) complctum (os) numero, neque inter apostolos in finem temporum potest. Arsinoi autem seu Valentini vel Miltiadis nihil in totum recipimus, qui etiam novum psalmorum librum Marcioni conscripserunt. Unacum Basilide Assianum (Assianorum?) Catafrycum (phrygum) constitutorem ... (rejicimus?).

Inter libros tales recensentur: Quatuor evangelia, acta Apostolorum, 13 epistolae Pauli, sola excepta ad Hebraeos, duae epistolae et apocalypsis Joannis, ep. Judae et duae Petri. Ad hanc sententiam vindicandam sequentia observamus:

1. Evangelium Matthaei et Marci non diserte quidem nominatur; nam initium catalogi deest, et his incipit verbis: — — „*quibus tamen* (procul dubio Petri praedicationibus) *interfuit et ita posuit*“ (Marcus), et sequitur: „*Tertio (um) evangelii librum secundum Lucam*“; cum tamen unanimi illius temporis consensu Matthaei evangelium primum, et Marci secundum haberetur: eadem evangelia et eodem quidem ordine ab auctore nostro agnita esse, dubio caret.

2. Acta Apostolorum Lucae adscribuntur, et tredecim epistolae Pauli una cum auctoribus suis proximis expresse nominantur, excepta epist. ad Hebraeos. Haecce vix designatur illâ „*ad Alexandrinos. Pauli nomine ficta ad haeresin Marcionis*“, uti visum est Hugio[1]; nam a) similitudo inter verba auctoris: „*Fel enim cum melle misceri non congruit*“, et inter effatum in ep. ad Hebraeos 12, 15.: „*Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat*“ etc. adeo exigua et remotior est, quam ut illis allusio ad hocce inveniatur; b) epistolam ad Hebraeos — ad Alexandrinos unquam dictam esse, nullibi legimus; c) epistola ad Hebraeos Pauli nomine ficta et quidem ad haeresin Marcionis dici non potuit; Pauli enim nomen non prae se fert, neque Marcionis haeresi favet.

3. Epistola Judae et Joannis evangelistae duae epistolae et apocalypsis clare nominantur.

4. Perquam obscura sunt verba: „*Apocalypse (is? es?) etiam Joannis (,?) et Petri tantum recipimus, quam quidem (am) ex nostris in ecclesia legi nolunt.*“ Verbis in se consideratis indicare videtur auctor, in ecclesia romana lectam esse praeter apocalypsin Joannis illam quoque Petri; attamen haec sententia probari haud potest; nam dum apocalypsis Petri, quam in ecclesia romana unquam lectam esse, nemo antiquorum testatur, inter libros canonicos nominaretur, primae Petri epistolae unanimi antiquorum consensu receptae nulla plane fieret mentio. Quare alii[2] censent, fragmentum hoc esse versionem minus aptam ex originali graeco, hic loci sic sonante: *καὶ Πέτρου μόνην παραδεχόμεθα, ἣς παρέξ τινες ἡμῶν ἀναγινώσκεσθαι ἐν ἐκκλησίᾳ οὐ θέλουσι* (et Petri unam recipimus, extra quam quidam ex nostris in ecclesia legi nolunt), quod versor latinus, *μόνον* loco *μόνην* legens, reddidisset: Et Petri tantum recipimus, quam etc.; alii, textum latinum originalem habentes,[3] statuunt, vocem „quam“ per compendium scripturae ex vocabulo „quantum“ erronee ortam esse, et legendum: Et Petri tantum recipimus, quantum quidam ex nostris etc. i. e. praeter primam etiam secundam Petri epistolam recipimus; alii denique suspicantur, auctorem Petro tantum, quan-

[1] Einleitung I. pag. 123.
[2] Hug. l. c. pag. 125.
[3] Guerice in Beiträge zur Einleitung in's N. T. pag. 12. 13.

tum Joanni attribuisse, nimirum duas epistolas et apocalypsin, quam tamen nonnulli Catholicorum (non necessario Romanorum) in ecclesia legi noluissent. Quaecunque harum sententiarum praeferatur, patet, auctori duas Petri epistolas fuisse cognitas, et in ecclesia ejus primam Petri canonicam certo habitam.

Ex epistolis itaque Pauli Ap. illam ad Hebraeos, et ex catholicis Jacobi nec non tertiam Joannis inter scripta canonica non nominat auctor.

## §. 25.

### γ) Canon ecclesiae syriacae.

Ex hac ecclesiae parte versio Peschito dicta, et si non prius, certe medio saec. II. confecta, et usibus ecclesiasticis destinata ad nos pervenit, ita ut consignationis librorum N. T. canonicorum defectum compenset. Fere omnia vero manuscripta, imo et primae ejus editiones Viennae 1555. et Heidelbergae 1569. prelo submissae continent quatuor nostra evangelia, acta Apostolorum, ex epistolis catholicis illam Jacobi, primam Petri et primam Joannis, et omnes quatuordecim epistolas Pauli. Desunt itaque ex epistolis cath. illa Judae, secunda Petri, secunda et tertia Joannis hujusque apocalypsis.[1] In uno quidem codice nominatae quoque quatuor epistolae inveniuntur, et in duobus aliis apocalypsis Joannis legitur; ast versionem horum librorum serioris esse originis, proprietates ejus docent; praeterea Cosmas Indicopleustes (saec. VI.) refert, Syros nonnisi tres epistolas catholicas habere[2]; et denique Nestorianis Syris, qui in montibus curdicis degunt, usque ad recentissima tempora quatuor ex epistolis catholicis una cum apocalypsi plane incognitae erant, quia canonem, qualis erat ante separationem ab ecclesia orthodoxa (saec. V.) retinuerunt. — Memoratu dignum est, in hunc canonem ecclesiae syriacae receptam esse epistolam ad Hebraeos et Jacobi, quae utraque in canone romano desideratur. Sub finem saeculi II. et initio III. canonis testes sunt: s. Irenaeus, ex Asia minori oriundus et Lugduni in Gallia (ab anno 177—202.) episcopus, Clemens Al. et Tertullianus, qui sententiam et usum omnium ecclesiarum circa mare mediterraneum repraesentant, et qui sacrorum librorum canoni unanimiter adnumerant: quatuor nostra evangelia, acta Apostolorum,

---

[1] Hugius demonstrare conatur, II. Petri, II. et III. Jo., Judae epistolam et apocalypsin ab origine adfuisse in versione Peschito, et huuc in finem provocat ad s. Ephraemum Syrum, qui in operibus suis locos quosdam e scriptis nominatis citavit, quin graecae gnarus esset. Verum paucos hos locos s. Ephraemus vel interpretis ope vel proprio marte e textu graeco haurire potuit; nam si graece loquendo. ideo nondum intelligendo impar censendus est. Praeterea si Hugii sententia vera esset, statuendum foret, quod vix probabile est, Syriam observasse praxim ratione habita aliarum ecclesiarum plane contrariam; nam saec. II., quo versio Pesch. confecta est, illos libros nondum ab omnibus agnitos recepisset, seriori autem tempore, quo communiter agnoscebantur, demum rejecisset.

[2] De mundo lib. VII. in Galland. bibl. Patrum tom. XI. pag. 535. *Παρὰ Σύροις δὲ εἰ μὴ αἱ τρεῖς μόναι αἱ προγεγραμμέναι οὐχ εὑρίσκονται· λέγω δὲ Ἰακώβου, Πέτρου καὶ Ἰωάννου.*

tredecim epistolas s. Pauli, I. Petri et I. Joannis epistolam hujusque apocalypsis. Accedunt apud Clementem Alex. ep. ad Hebraeos; apud eundem et s. Irenaeum II. Joannis; apud Tertullianum et Clementem ep. Judae. De epistola Jacobi sententia eorum incerta est; II. Petri vero et III. Joannis non nominatur. Unanimis Patrum horum consensus, qui simul fidem ecclesiarum, in quibus floruerunt, repraesentat, agnitionem et usum canonicum librorum prius nominatorum multo antiquiorem contestatur; etenim scripta, quae recenter innotuissent, non adeo celeriter universalem invenissent receptionem.

## §. 26.

### d) Canon saec. III. et initio IV., et quidem α) ecclesiae Alexandrinae.

Ecclesiae Alexandrinae e saec. III. librorum N. T. consignatio nobis servata est, et quidem ab *Origene*, qui[1] homil. in Josuam VII. haec dicit: ... „Sacerdotali tuba primus in evangelio suo Matthaeus increpuit; Marcus quoque et Lucas et Joannes suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epistolarum suarum personat tubis, Jacobus quoque et Judas. Addit et nihilominus Joannes tuba canere per epistolas suas, et Lucas Apostolorum gesta describens. Novissime vero ille (Paulus) veniens — — et in quatuordecim epistolarum suarum fulminans tubis muros Jericho et omnes idololatriae machinas — usque ad fundamenta dejecit.“ Catalogus hic, cujus nonnisi versio latina Rufini ad nos pervenit, confirmatur alio, quem Eusebius e duobus commentariorum ejus locis, nimirum e tom. I. in Matth. et e tomo V. in Joannem, concinnavit. In primo jam libro expositionum in evang. Matthaei, ecclesiastico insistens canoni, quatuor duntaxat evangelia esse testatur his verbis: „Sicut ex traditione accepi de quatuor evangeliis, quae sola in universa Dei ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur“: Matthaei, — Marci, — Lucae — et Joannis.[2]

In altero loco (lib. V. exposit. in evang. Joannis) Origenes de epistolis s. Pauli in genere tantum sermonem facit[3]; ast in lib. III. 20. contra Celsum epistolas ad Eph., Coloss., Thess., Philip. et Romanos nominat, et in aliis operibus omnes quatuordecim citat, et in specie ep. ad Hebraeos paulinam agnoscit.[4]

De epistolis cath. dicit: „Petrus autem, cui ceu fundamento superstruitur ecclesia Christi, — unam duntaxat omnium consensu

---

[1] Euseb. hist. eccl. VI. 25. *τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα — — ὡς ἐν παραδόσει μαθών.*

[2] Euseb. hist. eccl. VI. 25. *Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον, τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα, μόνα τέσσαρα εἰδέναι εὐαγγέλια μαρτύρεται, ὧδέ πως γράφων, ὡς ἐν παραδόσει μαθὼν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνα ἀναντίῤῥητά ἐστιν ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ.*

[3] *Παῦλος, ὁ πεπληρωκὼς τὸ εὐαγγέλιον ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, οὐδὲ πάσαις ἔγραψεν αἷς ἐδίδαξεν ἐκκλησίαις· ἀλλὰ καὶ αἷς ἔγραψεν, ὀλίγους στίχους ἐπέστειλε.*

[4] Cfr. introd. spec. in hanc epistolam.

receptam reliquit epistolam. Concedamus vero et secundam ejus esse; de hac enim ambigitur. Jam vero quid dicendum est de eo, qui in sinu Jesu recubuit, Joanne? Qui quidem unum reliquit evangelium; — scripsit praterea revelationem, — scripsit etiam epistolam admodum brevem; sed concedamus, si placet, et secundam et tertiam ab illo scriptam esse; neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt; ambae tamen vix centum stichos continent.[2] *Denique epistolam Jacobi nominat et citat*[2], *et epistolam Judae absque ulla haesitatione recipit.*[3]

## §. 27.

### β) Canon Eusebii.

*Eusebius Caesar.* in hist. ecc. III. 25. sub titulo: *Περὶ τῶν ὁμολογουμένων θείων γραφῶν καὶ τῶν μὴ τοιούτων* nobis reliquit consignationem librorum N. T. Catalogus hic, qui in diversis hist. ecc. locis uberius illustratur et vindicatur, memoratu dignissimus est, quia auctor non suam solius, ecclesiae suae aut temporis proximi sententiam sequens; sed historica investigatione praemissa, severiori crisi adhibita, et jacturam antiquiorum scriptorum ex parte compensans docet, quid omnis retro antiquitas catholica senserit de scriptis N. T., de quorum auctoritate canonica quaestio moveri posset.[4]

---

[1] *Πέτρος δὲ, ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία, — μίαν ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην καταλέλοιπεν· ἔστω δὲ καὶ δευτέραν· ἀμφιβάλλεται γάρ. Τί δεῖ περὶ τοῦ ἀναπεσόντος λέγειν ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ, Ἰωάννου, ὅς εὐαγγέλιον ἓν καταλέλοιπεν· ἔγραψε δὲ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν· — καταλέλοιπε δὲ καὶ ἐπιστολὴν πάνυ ὀλίγων στίχων· ἔστω δὲ καὶ δευτέραν καὶ τρίτην, ἐπεὶ οὐ πάντες φασὶ γνησίους εἶναι ταύτας· πλὴν οὐκ εἰσὶ στίχων ἀμφότεραι ἑκατόν.*

[2] Comment. in Joann. tom. XIX. *Ἐὰν γὰρ λέγηται μὲν πίστις, χωρὶς δὲ ἔργων τυγχάνῃ, νεκρά ἐστιν ἡ τοιαύτη, ὡς ἐν τῇ φερομένῃ Ἰακώβου ἐπιστολῇ ἀνέγνωμεν.* Comment. in ep. ad Rom. lib. IV.: „Nec solus hoc Paulus in suis libris scribit; audi et Jacobum, fratrem Domini, similia protestantem, cum dicit: Qui voluerit amicus esse saeculi hujus, inimicus Dei constituetur" (Jac. 4, 4.). Ibid.: Denique et Jacobus Apostolus ita dicit: „Resistite diabolo, et fugiet a vobis; appropinquate Deo, et appropinquabit vobis" (Jac. 4, 7. 8.). Ibid. lib. IX.: Sicut et Jacobus apost. dicit: Omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum (Jac. 1, 17.). Select. in psalm. 30. *ὡς παρὰ Ἰακώβῳ, ὥσπερ δὲ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν.*

[3] Comment. in Mt. tom. XVII. *Εἰ δὲ καὶ τὴν Ἰούδα πρόσοιτο τὶς ἐπιστολὴν, ὁράτω κ.* Ibid. *Καὶ Ἰούδας ἔγραψεν ἐπιστολὴν ὀλιγόστιχον μὲν, πεπληρωμένην δὲ τῶν τῆς οὐρανίου χάριτος ἐρρωμένων λόγων, ὅστις ἐν τῷ προοιμίῳ εἴρηκεν· Ἰούδας, Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου.* Com. in ep. ad Rom. lib. V.: „Quomodo etiam, quod Judas Apostolus in epistola cath. dicit, poterit explanari?" Ait enim ita: „Angelos quoque, qui non servaverunt principatum suum, sed dereliquerunt" (Jud. v. 6.).

[4] Canon sic sonat: *Εὔλογον δ' ἐνταῦθα γενομένους, ἀνακεφαλαιώσθαι τὰς δηλωθείσας τῆς καινῆς διαθήκης γραφάς· καὶ δὴ τακτέον ἐν πρώτοις τὴν ἁγίαν τῶν εὐαγγελίων τετρακτύν· οἷς ἕπεται ἡ τῶν πράξεων τῶν ἀποστόλων γραφή· μετὰ δὲ ταύτην τὰς Παύλου καταλεκτέον ἐπιστολάς· αἷς ἑξῆς τὴν φερομένην Ἰωάννου προτέραν, καὶ ὁμοίως τὴν Πέτρου κυρωτέον ἐπιστολήν· ἐπὶ τούτοις τακτέον, εἴγε φανείη, τὴν ἀποκάλυψιν Ἰωάννου, περὶ ἧς τὰ δόξαντα κατὰ καιρὸν ἐκθησόμεθα· καὶ ταῦτα μὲν ἐν ὁμολογουμένοις. Τῶν δ' ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς, ἡ λεγομένη Ἰακώβου φέρεται καὶ ἡ Ἰούδα. ἥτε Πέτρου δευτέρα ἐπιστολὴ, καὶ ἡ ὀνομαζομένη δευτέρα καὶ τρίτη Ἰωάννου, εἴτε τοῦ εὐαγ-*

1. Ante omnia commemorat libros, qui ubique, semper et ab omnibus sacri agniti erant, seu de quorum auctoritate canonica nullum unquam dubium motum, et hisce accenset sacram evangeliorum quadrigam[1], acta Apostolorum[2], epistolas s. Pauli omnes[3], I. Joannis[4] et I. Petri[5], addens: „Hisce adnumeranda, si visum fuerit, apocalypsis Joannis. Et haec sunt in scriptis ab omnibus receptis“.

2. Enumerat libros, quibus contradicitur quidem, qui vero simul plerisque cogniti sunt[6], nimirum ep. Jacobi, ep. Judae, II. Petri, II. et III. Joannis.[7] Deinde pergit: Inter spuria etiam in hanc classem referenda sunt: acta Pauli, sic dictus pastor (Hermae) apocalypsis Petri,[8] porro epistola Barnabae nomine nota et sic dictae doctrinae Apostolorum, atque, si placuerit, apocalypsis Joannis, quam

γελιστοῦ τυγχάνουσαι, εἴτε καὶ ἑτέρου ὁμωνύμου ἐκείνῳ. Ἐν τοῖς νόθοις κατατετάχθω καὶ Παύλου πράξεων ἡ γραφή, ὅτε λεγόμενος ποιμήν, καὶ ἡ ἀποκάλυψις Πέτρου· καὶ πρὸς τούτοις ἡ φερομένη Βαρνάβα ἐπιστολή, καὶ τῶν ἀποστόλων αἱ λεγόμεναι διδαχαί· ἔτι τε ὡς ἔφην, ἡ Ἰωάννου ἀποκάλυψις, εἰ φανείη, ἥν τινες, ὡς ἔφην, ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις. Ἤδη δ' ἐν τούτοις τινὲς καὶ τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον κατέλεξαν, ᾧ μάλιστα Ἑβραίων οἱ τὸν Χριστὸν παραδεξάμενοι χαίρουσι. Ταῦτα μὲν πάντα τῶν ἀντιλεγομένων ἂν εἴη. Ἀναγκαίως δὲ καὶ τούτων ὅμως τὸν κατάλογον πεποιήμεθα, διακρίνοντες τάς τε κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς καὶ ἀπλάστους καὶ ἀνωμολογημένας γραφάς, καὶ τὰς ἄλλας παρὰ ταύτας, οὐκ ἐνδιαθήκους μὲν, ἀλλὰ καὶ ἀντιλεγομένας, ὅμως δὲ παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν γιγνωσκομένας, ἵν' εἰδέναι ἔχοιμεν αὐτάς τε ταύτας, καὶ τὰς ὀνόματι τῶν ἀποστόλων πρὸς τῶν αἱρετικῶν προφερομένας· ἤτοι ὡς Πέτρου καὶ Θωμᾶ καὶ Ματθία, ἢ καὶ τινῶν παρὰ τούτους ἄλλων εὐαγγέλια περιεχούσας· ἢ ὡς Ἀνδρέου καὶ Ἰωάννου καὶ τῶν ἄλλων ἀποστόλων πράξεις· ὧν οὐδὲν οὐδαμῶς ἐν συγγράμματι τῶν κατὰ διαδόχας ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ εἰς μνήμην ἀγαγεῖν ἠξίωσεν. Πόῤῥω δέ που καὶ ὁ τῆς γράφεως παρὰ τὸ ἀποστολικὸν ἀναλλάττει χαρακτήρ· ἥ τε γνώμη καὶ ἡ τῶν ἐν αὐτοῖς φερομένων προαίρεσις, πλεῖστον ὅσον τῆς ἀληθοῦς ὀρθοδοξίας ἀπᾴδουσα, ὅτι δὴ αἱρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει, σαφῶς παρίστησιν. Ὅθεν οὐδ' ἐν νόθοις αὐτὰ καταταχτέον, ἀλλ' ὡς ἄτοπα πάντη καὶ δυσσεβῆ παραιτητέον.

[1] Cfr. hist. eccl. III. 24.

[2] Ibid. III. 4.

[3] Ibid. III. 3. τοῦ δὲ Παύλου πρόδηλοι καὶ σαφεῖς αἱ δεκατέσσαρες.

[4] Ibid. III. 24. Ἡ προτέρα τῶν ἐπιστολῶν παρά τοῖς νῦν καὶ τοῖς ἔτ' ἀρχαίοις ἀναμφίλεκτος ὡμολόγηται.

[5] Ibid. III. 3. Πέτρου μὲν οὖν ἐπιστολὴ μία ἡ λεγομένη αὐτοῦ προτέρα, ἀνωμολόγηται· ταύτῃ δὲ καὶ οἱ πάλαι πρεσβύτεροι ὡς ἀναμφιλέκτῳ ἐν τοῖς σφῶν αὐτῶν κατακέχρηνται συγγράμμασι.

[6] Hoc illustratur serius per: παρὰ πλείστοις τῶν ἐκκλησιαστικῶν γινωσκομένας; et in loco parall. c. 31. τῶν ἀντιλεγομένων μὲν, ὅμως δ' ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις παρὰ πολλοῖς δεδημοσιευμένων.

[7] Ibid. II. 23. ... κατὰ τὸν Ἰάκωβον, οὗ ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται· ἰστέον δὲ ὡς νοθεύεται μέν· οὐ πολλοὶ γὰρ τῶν παλαιῶν αὐτῆς ἐμνημόνευσαν, ὡς οὐδὲ τῆς λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς οὔσης τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν: ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις δεδημοσιευμένας ἐκκλησίαις. Ibid. III. 3. Τὴν δὲ φερομένην αὐτοῦ (τοῦ Πέτρου) δευτέραν, οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήφαμεν, ὅμως δὲ πολλοῖς χρήσιμος φανεῖσα μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη γραφῶν. Ibid. III. 24. de II. et III. Joannis: ἀντιλέγονται αἱ λοιπαὶ δύο. Ipse tamen Eus. in demonst. ev. eas absque haesitatione Joanni Ap. adscribit.

[8] Τὸ κατ' αὐτὸν (Πέτρον) ὠνομασμένον εὐαγγέλιον ... καὶ τὴν καλουμένην ἀποκάλυψιν οὐδ' ὅλως ἐν καθολικοῖς ἴσμεν· ὅτι μήτε ἀρχαίων, μήτε τῶν καθ' ἡμᾶς τις ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς ταῖς ἐξ αὐτῶν συνεχρήσατο μαρτυρίαις. De actis Pauli: Οὐδὲ μὴν τὰς λεγομένας αὐτοῦ πράξεις ἐν ἀναμφιλέκτοις παρείληφα. Ibid. III. 3.

quidem alii rejiciunt, alii vero *ὁμολογουμένοις* adnumerant.[1] In eandem classem a quibusdam relatum est etiam evangelium secundum Hebraeos, quo maxime delectantur Hebraei illi, qui fidem Christi receperunt. Totam hanc enumerationem claudit: „Et haec omnia inter ea, quibus contradicitur, referri possunt".

3. Docet, quo consilio ductus duplicem hanc librorum classem constituerit, dicens: „Horum catalogum texere ideo necessarium putavi, ut, quum ex ecclesiae traditione veras ac sinceras scripturas et omnium consensu probatas ab iis distinxerimus, quae dubiae quidem auctoritatis sunt, nec in N. T. corpus relatae, plerisque tamen ecclesiasticis viris cognitae, hoc modo tum hos ipsos libros facilius dignoscere possimus, tum alios sub Apostolorum nomine vulgatos". Ad hos jam libros ultimo loco commemoratos refert: Petri, Thomae, Matthiae et quorumdam aliorum evangelia; Andreae quoque, Joannis aliorumque Apostolorum acta, „quos quidem libros nemo unquam, qui continuata ab Apostolis successione in ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est; sed et ipsum dicendi genus longe ab apostolica simplicitate discrepat; sensus quoque ipse, et quae ibi traditur fides, cum a vera et recta doctrina plurimum quantum aberret, haec haereticorum hominum figmenta esse, manifeste coarguit. Quocirca ne inter *νόθα* quidem ponendi sunt libri hi, sed ut absurdi omnino et impii prorsus repudiandi."

Eusebius itaque librorum N. T., qui divinam auctoritatem praetexerent, triplicem classem primariam distinxit: 1. *τῶν ὁμολογουμένων* seu *ἐνδιαθήκων*; 2. *τῶν ἀντιλεγομένων* quidem, plerisque tamen cognitorum, et 3. *τῶν ἀτόπων πάντῃ καὶ δυσσεβῶν*. Sicut tertiae classis scripta ab illis secundae distinguit, quod haec secus ac illa cum doctrina catholica consentiant, in plerisque ecclesiis publice legantur et a viris ecclesiasticis commemorentur: ita ipsos *ἀντιλεγομένους* subdividit in tales libros, quorum origo apostolica probabilis, et in *νόθους*, quorum origo apostolica plane improbabilis, qui itaque spurii habendi essent. Eusebium in hac subdivisione majorem aut minorem certitudinem de origine apostolica esse secutum, inde patet, quod apocalypsin Joannis ratione habita aevi antiquioris, quo Joanni Apost. adscribebatur, *ὁμολογουμένοις* adnumerat, sententia vero Dionysii Alex. motus inter *νόθα* refert[2]; nam Dionysius cum asseclis suis librum illum a viro sancto quidem, et qui a Spiritu s. afflatus esset, descendere, non vero Apostolum habere auctorem asserebat. Ratione habita familiarissimae et singularis relationis Marci et Lucae ad Petrum praecipue et Paulum Apostolos Eusebius illorum evangelia cum omnibus antiquis *ὁμολογουμένοις* accenset, dum scriptis Barnabae et Hermae, qui non minus Apostolorum discipuli erant, eandem praerogativam non tribuit, quia, num in pastore Hermae exarando et in epistola Barnabae scribenda Apostolorum quidam habuerit partes, antiquis quidem valde dubium erat, non autem Eusebio, qui

[1] Ibid. III. 24. *Τῆς δὲ ἀποκαλύψεως (Ἰωάννου) ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα.*
[2] Cfr. ibid. VII. 24. 25.

illa scripta una cum actis Pauli, apocalypsi Petri, doctrinis Apostolorum etc. independenter ab Apostolis elucubrata esse persuasum habebat, ita ut ea respectu originis apostolicae inter *τὰ νόθα* referret.

## §. 28.

### 2. Historia canonis a concilio Nicaeno I. usque ad conc. Tridentinum.

Exposuimus sententiam, ab Eusebio, qui traditionum ecclesiasticarum diligentissimus erat scrutator, latam ante conc. Nicaenum I. an. 325. celebratum. Sed alia rerum facies hac in re sese exhibet post illam synodum, et quidem in favorem *τῶν ἀντιλεγομένων*, ita ut in Asia, Africa et in Italia omne fere discrimen inter libros nostros N. T. (proto- et deutero-canonicos dictos) prius vigens esset sublatum, et omnis contradictio evanesceret. De sola Joannis apocalypsi in ecclesia graeca dubitabatur a nonnullis, probabiliter motis auctoritate Dionysii Alex., qui Joannem presbyterum illius auctorem declaravit. Luculenta mutationis hac in re factae testimonia praebent Patres et scriptores ecclesiae, concilia et pontifices romani.

1. Patres et scriptores ecclesiae. Sic

*a*) s. *Athanasius* (circa an. 296. natus), episcopus Alexandrinus, in epist. 39. festiv. librorum N. T. tres classes distinxit: Canonizomena, anagignoscomena et apocrypha; prioribus, Lucae proëmium apte imitans, annumerat omnes nostros libros sacros;[1] scriptis, quae in ecclesia Alex. legi possent, accenset: Apostolorum constitutiones et pastorem Hermae.[2] In synopsi s. scripturae, quae inter opera s. Athanasii legitur, iidem libri N. T. enumerantur.[3]

---

[1] *Ἐπειδήπερ τινὲς ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι ἑαυτοῖς τὰ λεγόμενα ἀπόκρυφα, καὶ ἐπιμύξαι ταῦτα τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ, περὶ ἧς ἐπληροφορήθημεν, καθὼς παρέδοσαν τοῖς πατράσιν οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται γενόμενοι τοῦ λόγου· ἔδοξε κἀμοὶ προτραπέντι παρὰ γνησίων ἀδελφῶν, καὶ μαθόντι ἄνωθεν, ἑξῆς ἐκθέσθαι τὰ κανονιζόμενα καὶ παραδοθέντα τε θεῖα εἶναι βιβλία· ἵνα ἕκαστος, εἰ μὲν ἠπατήθη, καταγνῷ τῶν πλανησάντων· ὁ δὲ καθαρὸς διαμείνας, χαίρῃ πάλιν ὑπομιμνησκόμενος.* Enumeratis libris V. T. pergit: *Τὰ δὲ τῆς καινῆς πάλιν οὐκ ὀκνητέον εἰπεῖν· ἔστι γὰρ ταῦτα· Εὐαγγέλια τέσσαρα· κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην. Εἶτα μετὰ ταῦτα πράξεις ἀποστόλων καὶ ἐπιστολαὶ καθολικαὶ καλούμεναι τῶν ἀποστόλων ἑπτά· οὕτως μὲν* (*Ἰακώβου* suppl.) *ά, Πέτρου δὲ β', εἶτα Ἰωάννου γ', καὶ μετὰ ταύτας Ἰούδα ά. Πρὸς τούτοις Παύλου ἀποστόλου εἰσὶν ἐπιστολαὶ δεκατέσσαρες, τῇ τάξει γραφόμεναι οὕτως· πρώτη πρὸς Ῥωμαίους· εἶτα πρὸς Κορινθίους δύο, καὶ μετὰ ταῦτα πρὸς Γαλάτας, καὶ ἑξῆς πρὸς Ἐφεσίους, εἶτα πρὸς Φιλιππησίους καὶ πρὸς Κολοσσαεῖς, καὶ μετὰ ταύτας πρὸς Θεσσαλονικεῖς δύο, καὶ ἡ πρὸς Ἑβραίους, καὶ εὐθὺς πρὸς μὲν Τιμόθεον δύο, πρὸς δὲ Τίτον μία, καὶ τελευταία ἡ πρὸς Φιλήμονα, καὶ πάλιν Ἰωάννου ἀποκάλυψις. Ταῦτα πηγαὶ τοῦ σωτηρίου, ὥστε τὸν διψῶντα ἐμφορεῖσθαι τῶν ἐν τούτοις λογίων· ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται· μηδεὶς τούτοις ἐπιβαλλέτω, μὴ δὲ τούτων ἀφαιρείσθω τι.*

[2] *Οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον· ... διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων, καὶ ὁ ποιμήν.*

[3] Synops. s. script. c. 3. opp. s. Athanasii tom. II. pag. 129. *Τὰ τῆς καινῆς διαθήκης πάλιν ὡρισμένα καὶ κεκανονισμένα βιβλία ταῦτα* ... Enumeratis reliquis libris nostris: *ἐπὶ τούτοις ἐστὶ καὶ ἡ ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, δεχθεῖσα ὡς ἐκείνου καὶ ἐγκριθεῖσα ὑπὸ πάλαι ἁγίων καὶ πνευματοφόρων πατέρων.*

*b*) *Cyrillus Hierosolymitanus* (natus circa an. 315. † 386.) distinguit *ὁμολογούμενα*, *ἀμφιβαλλόμενα* et *ἀπόκρυφα* seu *ψευδεπίγραφα*; catechumenos suos jubet nihil prorsus apocryphorum legere, et dein scripta N. T. legenda recensens, excepta apocalypsi omnia enumerat, quae et nos in canone habemus, hinc et deuterocanonicos.[1] Eodem fere tempore

*c*) *Gregorius Naz.* († 391.) in carmine de veris et germanis s. scripturae libris — hisce adnumerat nostras scripturas canonicas, demta sola apocalypsi.[2]

*d*) *Amphilochius*, episcopus Iconiensis (circa an. 370), in jambis suis ad Seleucum (qui etiam Gregorio Naz. adscribuntur) apocalypsin quoque canoni verissimo scripturarum divinitus inspiratarum adnumerat.[3]

---

[1] *Καὶ φιλομαθῶς ἐπίγνωθι παρὰ τῆς ἐκκλησίας, ποῖαι μέν εἰσιν αἱ τῆς παλαιᾶς διαθήκης βίβλοι, ποῖαι δὲ τῆς καινῆς, καὶ μοι μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε· ὁ γὰρ τὰ παρὰ πᾶσιν ὁμολογούμενα μὴ εἰδώς, τί περὶ τὰ ἀμφιβαλλόμενα ταλαιπωρεῖς μάτην. Ἀναγίνωσκε τὰς θείας γραφάς.* (Recensitis V. T. libris) *Τῆς δὲ καινῆς διαθήκης τὰ τέσσαρα εὐαγγέλια· τὰ δὲ λοιπὰ ψευδεπίγραφα καὶ βλαβερὰ τυγχάνει. ... Δέχου δὲ καὶ τὰς πράξεις τῶν δώδεκα ἀποστόλων· πρὸς τούτοις δὲ καὶ τὰς ἑπτὰ Ἰακώβου καὶ Πέτρου, Ἰωάννου καὶ Ἰούδα καθολικὰς ἐπιστολάς· ἐπισφράγισμα δὲ τῶν πάντων καὶ μαθητῶν τὸ τελευταῖον, τὰς Παύλου δεκατέσσαρες ἐπιστολάς· τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω κείσθω ἐν δευτέρῳ. Καὶ ὅσα μὲν ἐν ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα μηδὲ κατὰ σαυτὸν ἀναγίνωσκε, καθὼς ἤκουσας, καὶ περὶ μὲν τούτων ταῦτα.*

[2] *Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν Ἑβραίοις θαυμαστὰ Χριστοῦ.*
*Μάρκος δ' Ἰταλίῃ, Λουκᾶς Ἀχαΐδι.*
*Πᾶσι δ' Ἰωάννης, κῆρυξ μέγας, οὐρανοφοίτης.*
*Ἔπειτα πράξεις τῶν σοφῶν ἀποστόλων.*
*Δέκα δὲ Παύλου τέσσαρές τ' ἐπιστολαί.*
*Ἑπτὰ δὲ καθολικαί, ὧν Ἰακώβου μία,*
*Δύο δὲ Πέτρου, τρεῖς δ' Ἰωάννου πάλιν·*
*Ἰούδα δ' ἐστὶν ἑβδόμη. Πάσας ἔχεις.*
*Εἴ τι δὲ τούτων ἐκτός, οὐκ ἐν γνησίαις.*

[3] *Καινῆς διαθήκης ὥρα μοι βίβλους λέγειν.*
*Εὐαγγελιστὰς τέσσαρας δέχου μόνους,*
*Ματθαῖον, εἶτα Μάρκον, ᾧ Λουκᾶν τρίτον*
*Προσθείς, ἀρίθμει τὸν Ἰωάννην, χρόνῳ*
*Τέταρτον, ἀλλὰ πρῶτον ὕψει δογμάτων.*
. . . . . . . . . . . . . . . .
*Δέχου δὲ βίβλον Λουκᾶ καὶ τὴν δευτέραν,*
*Τὴν τῶν καθολικῶν πράξεων ἀποστόλων.*
*Τὸ σκεῦος ἑξῆς προστίθει τῆς ἐκλογῆς,*
*Τὸν τῶν ἐθνῶν κήρυκα, τὸν ἀπόστολον*
*Παῦλον, σοφῶς γράψαντα ταῖς ἐκκλησίαις*
*Ἐπιστολαῖς δὶς ἑπτά· Ῥωμαίων μίαν*
. . . . . . . . . . . . . . . . λ.
. . . . . . *καὶ πρὸς Ἑβραίους μίαν.*
*Τινὲς δέ φασι τὴν πρὸς Ἑβραίους νόθον,*
*Οὐκ εὖ λέγοντες· γνησία γὰρ ἡ χάρις.*
*Εἶεν, τί λοιπόν; Καθολικῶν ἐπιστολῶν*
*Τινὲς μὲν ἑπτά φασιν, οἱ δὲ τρεῖς μόνας*
*Χρῆναι δέχεσθαι· τὴν Ἰακώβου μίαν,*
*Μίαν δὲ Πέτρου, τὴν τ' Ἰωάννου μίαν·*
*Τινὲς δὲ τὰς τρεῖς, καὶ πρὸς αὐταῖς τὰς δύο*
*Πέτρου δέχονται, τὴν τ' Ἰούδα ἑβδόμην.*

*e*) S. *Epiphanius* (saec. IV.) omnes nostros libros canonicos agnoscit.[1]

*f*) S. *Hieronymus* solum epistolam ad Hebraeos a plerisque (Latinorum) non agnosci observat.[2]

*g*) *Philastrius*, Brixiensis episcopus († 387.), haeres. 88. inter libros in ecclesia publice legendos solam apocalypsin Joannis et epistolam ad Hebraeos non commemorat.[3]

*h*) *Rufinus*, presbyter Aquileiensis († 410.), in expositione symboli apostolorum canonem ecclesiae occidentalis plene delineat.[4]

Eandem fidem contestantur

2. *Concilia* saec. IV. celebrata. Sic

*a*) Conc. *Laodicense* (an. 364.) can. 59. et 60. statuit, non oportere in ecclesia legi psalmos privatos, nec libros non canonicos, sed solum canonicos V. et N. T. Inter hos autem, sicut canon 85. Apostolorum, omnes libros recenset, quos nos canonicos habemus, excepta apocalypsi,[5] de qua ecclesia graeca dubitare perseveravit usque ad Joannem Damascenum († 754.), qui et ipsam agnovit, et a cujus tempore omnis lis evanuit.

---

*Τὴν ἀποκάλυψιν τὴν Ἰωάννου πάλιν*
*Τινὲς μὲν ἐγκρίνουσιν, οἱ πλείους δέ γε*
*Νόθον λέγουσιν. Οὗτος ἀψευδέστατος*
*Κανὼν ἂν εἴη τῶν θεοπνευστῶν γραφῶν.*

[1] Haeres. tom. I. *Εἰ γὰρ ἦς ἐξ ἁγίου πνεύματος γεγεννημένος, καὶ προφήταις καὶ ἀποστόλοις μεμαθευμένος, ἔδει σε διελθόντα ἀπ' ἀρχῆς γενέσεως κόσμου ἄχρι τῶν τῆς Αἰσθὴρ χρόνων, ἐν εἴκοσι καὶ ἑπτὰ βιβλίοις παλαιᾶς διαθήκης, εἴκοσι δύο ἀριθμουμένοις* (ab Hebraeis), *τέτρασι δὲ ἁγίοις εὐαγγελίοις, καὶ ἐν (τέτρασι?) τέσσαρες καὶ δέκα ἐπιστολαῖς τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου, καὶ ἐν ταῖς παρὰ τούτων καὶ σὺν ταῖς ἐν τοῖς αὐτῶν χρόνοις, πράξεσι τῶν ἀποστόλων, καθολικαῖς ἐπιστολαῖς Ἰακώβου καὶ Πέτρου καὶ Ἰωάννου καὶ Ἰούδα, καὶ ἐν τῇ τοῦ Ἰωάννου ἀποκαλύψει.*

[2] In prologo galeato et in epistola ad Paulinum: Tangam et novum leviter testamentum. Matthaeus, Marcus, Lucas et Joannes, quadriga Domini et verum cherubim. ... Paulus Apostolus ad septem ecclesias scribit (octava enim ad Hebraeos a plerisque extra numerum ponitur). Timotheum instruit ac Titum, Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. — — Actus apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, et nascentis ecclesiae infantiam texere; sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in evangelio, animadvertemus pariter, omnia verba illius animae languentis esse medicinam. Jacobus, Petrus, Joannes, Judas Apostoli septem epistolas ediderunt tam mysticas, quam succinctas et breves pariter et longas; breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non in earum lectione coecutiat. Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi pro merito voluminis; laus omnis inferior est; in verbis singulis multiplices latent intelligentiae.

[3] Statutum est ab apostolis et eorum successoribus, non aliud legi in ecclesia debere catholica, nisi legem et prophetas, et evangelia et actus apostolorum, et Pauli tredecim epistolas et septem alias: Petri duas, Joannis tres, Judae unam et unam Jacobi; hanc quidem a nonnullis non haberi genuinam, ab ecclesia vero interdum ad lectionem admitti, haeres. 89. observat.

[4] Cap. 37.: Novi vero testamenti quatuor evangelia: Matthaei, Marci, Lucae, Joannis; actus Apostolorum, quos descripsit Lucas; Pauli Apost. epistolas quatuordecim; Petri Apost. epistolas duas; Jacobi, fratris Domini et Apostoli unam; Judae unam; Joannis tres, apocalypsin Joannis. Haec sunt, quae patres intra canonem concluserunt, ex quibus fidei nostrae assertiones constare voluerunt.

[5] *Ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐδὲ ἀκανόνιστα βιβλία, ἀλλὰ μόνα τὰ κανονικὰ τῆς καινῆς καὶ παλαιᾶς διαθήκης. ... Τὰ δὲ τῆς*

*b*) Concilium *Carthaginiense III.* (an. 397.) can. 47., secutum declarationem synodi *Hipponensis* (393.) can. 36., statuit, „ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum,“ et hisce enumeratis: „ut de confirmando isto canone transmarina ecclesia consulatur.“ [1] Concil. Carthagin. V. (an. 419.) can. 29. canonem utriusque synodi mox laudatae repetit, attamen epistolam ad Hebraeos non amplius separatim commemorat, sed simpliciter 14 epistolas s. Pauli nominat, et addit: „Hoc etiam fratri et sacerdoti nostro *Bonifacio* vel aliis earum partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a patribus ista accepimus in ecclesia legenda.“

Huic declarationi assensum praebuerunt

3. Pontifices Romani; nam *Innocentius I.* anno 405. in epistola ad Exsuperium, episcopum Tolosanum, eosdem libros 27 inter canonicos refert,[2] et *Gelasius I.* in synodo 70 episcoporum (an. 494.) totidem recipit, et sic canon ubique locorum conformis factus est.

Hujus rei causa sita erat in arctiori nexu inter diversas longe dissitas ecclesias orto, quo occasio offerebatur, ut traditiones indubiae, quae de singulis libris N. T. in ecclesiis praecipue apostolicis depositae erant, aliis etiam certo innotescerent, accuratius examinarentur, et sic ad canonis conformitatem efficiendam conferrent. Neque minimas hac in re partes *concilium oecumenicum I. Nicaeae celebratum* habuisse videtur. In hoc concilio de canone ex professo, publice ac solenniter esse tractatum, in actis ejus non quidem legimus[3]; attamen dubitari nequit, quin ecclesiae antistites ex universo orbe christiano congregati in consortio suo ac colloquiis de libris sacris quoque agerent; etenim *α*) res ipsa gravissimi momenti erat et diu ventilata, quae nemini non cordi esse debebat; *β*) prima vice opportunissima offerebatur occasio, omnes traditiones in universo orbe christiano dispersas de singulis libris N. T. sibi invicem communicandi, et veram quorundam scriptorum originem auctoritatemque hucusque a non-

---

*καινῆς διαθήκης ταῦτα· Εὐαγγέλια τέσσαρα· κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον, κατὰ Λουκᾶν, κατὰ Ἰωάννην· πράξεις ἀποστόλων, ἐπιστολαὶ καθολικαὶ ἑπτὰ οὕτως· Ἰακώβου μία, Πέτρου δύο, Ἰωάννου τρεῖς, Ἰούδα μία· ἐπιστολαὶ Παύλου δεκατέσσαρες· πρὸς Ῥωμαίους μία, πρὸς Κορινθίους δύο, πρὸς Γαλάτας μία, πρὸς Ἐφεσίους μία, πρὸς Φιλιππησίους μία, πρὸς Κολοσσαεῖς μία, πρὸς Θεσσαλονικεῖς δύο, πρὸς Ἑβραίους μία, πρὸς Τιμόθεον δύο, πρὸς Τίτον μία, πρὸς Φιλήμονα μία.*

[1] Item placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturae: Genesis, Exodus etc. Novi autem testamenti evangeliorum libri quatuor, actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apost. epistolae tredecim, ejusdem ad Hebraeos una, Petri Apost. duae, Joannis Apost. tres, Judae Apost. una, apocalypsis Joannis liber unus.

[2] Consulenti tibi, frater charissime, quid de proposita unaquavis specie sentiam, pro captu intelligentiae meae, quae sunt visa, respondi, quid sequendum vel docilis ratio persuaderet, vel auctoritas lectionis ostenderet, vel custodita series temporum demonstraret etc. Gallaud. bibl. patrum tom. VIII. p. 563. seq.

[3] S. Hieronymus in prologo in librum Judith dicit quidem: „Hunc librum synodus Nicaena in numerum sanctarum scripturarum legitur computasse;“ ast num hoc manifesta patrum declaratione, an solo usu libri istius factum sit, non constat.

nullis addubitatam certo cognoscendi; γ) rationem historicam, qua haec sententia confirmatur, in eo invenimus, quod Cyrillus Hieros. et Gregorius Naz., qui concilio non interfuere, Dionysii Alex. opinioni inhaerere pergentes apocalypsin Joannis libris divinis non adnumerabant, dum s. Athanasius, qui in hoc concilio magnas habuit partes, opus illud Joanni Apostolo absque ulla haesitatione tribueret, quin rationem haberet sententiae contrariae, licet in ipsa ejus ecclesia esset orta, et per antecessorem adeo celebrem et ab omnibus magni habitum introducta. Cum tamen in concilio Nicaeno canon librorum sacrorum solenniter ac dogmatice non esset definitus: liberum erat absque haereseos nota dubia de authentia et divina auctoritate singulorum scriptorum manifestare, quod factum invenimus de apocalypsi in ecclesia graeca, et de epistola ad Hebraeos in ecclesia occidentali, ubi tempore Isidori Hispalensis nondum ab omnibus Latinis Pauli Apostoli opus agnita erat.

## §. 29.

### 3. Declaratio concilii Tridentini de canone.

Cum reformatores sic dicti in quosdam libros sacros essent invecti, ita ut v. g. Lutherus epistolam s. Jacobi stramineam appellaret in ecclesia non legendam: [1] patres concilii Trid. hac de re serio deliberabant. Suadentibus aliis, ut duplex series ss. librorum conficeretur, aliis autem monentibus, deesse tale exemplum concilii cujusdam, et eruditis discrimen inter singulos libros intercedens alioquin esse notum: concilium sess. IV. declaravit, se omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, pari pietatis affectu ac reverentia suscipere et venerari, et enumeratis omnibus libris sacris quemcunque anathemati subesse pronunciavit, qui libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia cath. legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit.

Per hocce decretum ergo divina auctoritas omnibus nostris V. et N. T. libris aequalis vindicata, discrimen vero, quod de gradu certitudinis historicae inter singulos intercedit, non sublatum est, quum discrimen hocce testimonio historico nitatur, quod nulla auctoritate humanâ tolli potest, quodque concilium eruditis alioquin notum supponit.

## §. 30.

### Causae dubiorum in antiquis ecclesiis de quibusdam N. T. libris.

Causae, ob quas non omnes nostri N. T. libri sacri statim ab initio in cunctis ecclesiis agniti, sed potius septem illorum hic ibi diutius addubitati sint, sitae erant in summa severitate, qua antiqui

[1] In editione N. T. an. 1524.: „Darum ist St. Jacobus Epistel eine rechte ströherne Epistel.“

ntebantur in recipiendis libris, qui apostolicam originem aut inscriptione sua praetexebant, aut nonnullorum opinione habebant. Nam coll. §. 19. singulae ecclesiae ex ejusmodi librorum farragine nonnisi illa agnoverunt receperuntque scripta, quorum originem apostolicam testimonium omni dubio majus cujusdam ecclesiae certam reddebat, et quorum argumentum ac stylus cum doctrina et dictione apostolica ex asse concordat. Jam vero

1. Epistolae Jacobi et Judae non certis cujusdam provinciae ecclesiis, sed omnibus Judaeochristianis ubicumque terrarum degentibus destinatae erant; quemadmodum ergo destinatione peculiari, ita et diutius testimonio ecclesiae cujusdam speciali carebant.

2. Epistola II. Petri serius demum, probabiliter mortuo jam auctore ad lectores pervenerat; in eadem nemo comitum Apostoli, neque nuntius nominatur; II. et III. Joannis epistola personis privatis dedicata aliis nonnisi serius innotuit, et fere nihil continet, quod ad eas in ecclesiis legendas vel in scriptis citandas movisset. Cum jam ecclesiae apostolicae summo studio invigilarent iis, quae a patribus acceperant, ecclesiae autem filiae omnem reformidarent rerum novitatem, qua discessissent a matre; quum denique scripta copiosa splendidis Apostolorum nominibus ornata successive prodirent: mirum certe non erit, admodum cautas fuisse ecclesias et fere scepticas, ita, ut ne auctoritas quidem doctorum maxime insignium, v. g. s. Ephraemi in ecclesia syriaca, s. Hilarii, s. Ambrosii in occidentali sufficeret ad apocalypsin Joannis canoni inserendam in illa, et ad Hebraeorum epistolam addendam in hacce.[1]

3. Quodsi liber quidam apostolicus hic ibi receptus, in alia ecclesia, attamen absque certissimo testimonio serius innotuit, non deerant critici, qui argumentum illius et formam severius examinarent, et vel ob levissimam difficultatem spuriae originis suspicionem moverent. Sic s. Hieronymus (de viris illustr. c. 4.) testatur, epistolam Judae esse addubitatam, „quia de libro Enoch, qui apocryphus est, assumsit testimonia"; secundae Petri obstare videbatur „dissonantia styli cum priori"; epistola Jacobi doctrinae Pauli Ap. contraria continere; apocalypsis Joannis chiliastarum commentis; epistola ad Hebraeos praeter nominis Pauli defectum, diversitatem styli et quosdam locos difficiliores Montanistarum et Novatianorum erroribus favere videbatur.

Attamen haec antilegomena antiquissimis temporibus non absolute ubique locorum e canone erant exclusa; potius singula in singulis ecclesiis partim agnita, partim publice lecta, in plerisque cognita, et a nonnullis doctoribus in scriptis citata,[2] et hac ratione via parata ad ea ubique recipienda, quod vero non singulorum judicio, sed duce

[1] S. Hieronym. ep. ad Dardan. hoc respectu ait: „Quodsi eam (ep. ad Hebr. ecclesiarum graecarum lectione celebratam) Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas: nec Graecorum quidem ecclesiae apocalypsin Joannis eâdem libertate recipiunt; et tamen nos utraque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes."

[2] Cfr. Euseb. h. e. II. 23. III. 2. 25.

traditione indubiâ conciliorum auctoritate factum esse, in praecedentibus ostendimus.

## §. 31.

### Fata librorum ecclesiasticorum et apocryphorum.

I. Quod attinet alteram classem scriptorum, quae in primis ecclesiis nota et usitata erant, et quae communi nomine *ἀναγινωσκόμενα*, libri ecclesiastici vocantur, ut pastor Hermae, epistola Barnabae, doctrina Apostolorum, epistolae Clementis Rom., s. Ignatii, s. Polycarpi etc. sequentia observamus:

1. Cum in ecclesiis communiter nonnisi scripturae sacrae praelegerentur et exponerentur: illorum librorum, qui ad fidem fovendam, ad sensa christiana nutrienda atque ad promovendos mores Christi cultoribus dignos apti videbantur, usus potius privatus, quam publicus concedebatur; attamen in hac illâve ecclesiâ singuli etiam populo praelegebantur et a nonnullis scriptoribus citabantur. Hinc

2. ejusmodi libri, ne cum canonicis confunderentur (ut factum est in canone apostol. 85., ubi inter epistolas canonicas et actus Apostolorum duae epistolae Clementis Rom. commemorantur), ab hisce, uti a scriptis haereticis inde ab antiquissimis jam temporibus et ab omnibus fere, qui de canone disseruut, accurate distinguebantur, et quomodo ab hisce differant, exponebatur. Sic auctor fragmenti apud Mur. pastorem Hermae privatim quidem, non vero populo in ecclesia publice legi concedit;[1] Origenes tertiam classem librorum commemorat, quos dicit mixtos;[2] Eusebius acta Pauli, pastorem Hermae, apocalypsin Petri, epistolam Barnabae et doctrinas Apostolorum post *ἀντιλεγόμενα* proprie dicta nominat, attamen ab haereticorum figmentis accurate separat;[3] s. Athanasius doctrinam Apostolorum et pastorem a catechumenis legi concedit, nullatenus vero apocrypha, quia sint haereticorum hominum figmenta,[4] et Rufinus libris ecclesiasticis auctoritatem ad probanda dogmata concedere non licere affirmat;[5] quomodo haec scripta a canonicis differant, osten-

---

[1] „Et ideo legi quidem eum oportet, se publicare vero in ecclesia populo neque inter prophetas — neque inter apostolos potest."

[2] Comment. in Jo. tom. XIII. 13. de opere: *κήρυγμα Πέτρου* dicit, so indagare nolle, *πότερόν ποτε γνήσιόν ἐστι, ἢ νόθον ἢ μικτόν.*

[3] Cfr. hist. ecc. III. 25. et canonem ejus.

[4] Epist. fest. enumeratis libris canonicis pergit: *ὡς ὅτι ἐστι καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν, οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπώμενα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν εὐσεβείας λόγον· Σοφία Σολομῶνος, καὶ σοφία Σειρὰχ, καὶ Ἐσθὴρ καὶ Ἰουδὶθ, καὶ Τοβίας, καὶ διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων, καὶ ὁ ποιμήν. Καὶ ὅμως, ἀγαπητοὶ, κἀκείνων κανονιζομένων, καὶ τούτων ἀναγινωσκομένων, οὐδαμοῦ τῶν ἀποκρύφων μνήμη, ἀλλ᾽ αἱρετικῶν ἐστιν ἐπινοία.*

[5] Exposit. symb. apost. c. 38. enumeratis libris canonicis ait: „Sciendum tamen est, quod et alii libri sunt, qui non canonici, sed ecclesiastici a majoribus appellati sunt, ut est sapientia Salomonis etc. In novo vero testamento libellus, qui dicitur pastoris sive Hermetis; qui appellatur Duae viae (?) vel judicium Petri; quae omnia legi quidem in ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem fidei ex his confirmandam. Ceteras vero scripturas apocryphas nominarunt, quas in ecclesiis legi noluerunt. Haec nobis a Patribus, ut dixi, tradita.

dere nituntur, docentes, usum eorum ecclesiasticum ac privatum juxta consuetudinem antiquorum licitum quidem esse, eis vero auctoritatem divinam seu canonicam venerationem non tribuendam.

3. Cum canon N. T. esset fixus, libri illi ab omni usu eccl. arcebantur, sensu mitiori apocryphi dicebantur, imo brevi post oblivioni tradebantur, idque eo magis, quia in ecclesia cath. successu temporis edita erant scripta pastore Hermae, epistola Barnabae longe praestantiora.

Tantum igitur abest, ut usus *τῶν ἀναγινωσκομένων* et eorum veneratio, qua apud nonnullos fruebantur, testimonia Patrum et ecclesiarum de libris canonicis suspecta reddat; ut potius illorum historia doceat, quantâ sapientiâ ac sollicitudine ecclesia catholica omnia removerit, quae hic ibi canoni sese obtrudere nitebantur.

II. Inter libros apocryphos *a*) anonymi confecti erant ab ejusmodi hominibus, qui, ut s. Hieronymus dicit, *„sine Spiritu et gratia Dei conati sunt magis ordinare narrationem, quam historiae texere veritatem“*, et plura quidem vera, attamen etiam erronea fictaque complectebantur. Quominus ejusmodi scripta historiae verae et doctrinae salutiferae fons haberentur, obstitit, quod eorum origo ignota, auctoris nomen incognitum [1] et ecclesiae cujusdam testimonio destituta erant, [2] et quamvis in manibus nonnullorum Christianorum hic ibi et aliquamdiu versarentur, ab ecclesia tamen non agnoscebantur, ab usu publico arcebantur, ideoque apocrypha recte dicebantur et manebant omni pretio destituta. [3] — *b*) Pseudepigrapha ecclesia catholica, non obstantibus splendidis eorum titulis (signis), a praelectione non tantum publica constanter arcebat, sed etiam ne privatim quidem legi suadebat aut concedebat. [4] Hac itaque ratione factum est, ut ejusmodi scripta ad solas haereses manerent restricta.

---

[1] „Qui appellantur apocryphi, non quod habendi sint in aliqua auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de nescio quo secreto, nescio quorum praesumtione prolati sunt.“ S. Aug. contr. Faustum XI. 2. — „Quod eorum occulta origo non claruit Patribus, a quibus usque ad nos auctoritas veracium scripturarum certissima et notissima successione pervenit.“ Idem de civit. Dei XV. 23.

[2] „Ceteri autem homines, qui de Domini vel Apostolorum actibus aliqua scribere conati sunt, non tales exstiterunt suis temporibus, ut eis fidem haberet ecclesia, utque in auctoritatem canonicam librorum sanctorum eorum scripta reciperet; nec solum quia illi non tales erant, quibus narrantibus credere oporteret; sed etiam quia scriptis suis quaedam fallaciter indiderunt, quae catholica atque apostolica regula fidei et sana doctrina contemnat.“ S. Aug. de cons. evang. proëm.

[3] „Scripturae, quae appellantur apocryphae, pro eo, quod multa in eis corrupta et contra fidem veram inveniuntur a majoribus traditam, non placuit eis dari locum, nec admitti ad auctoritatem.“ Orig. in proleg. in Cant. cant.

[4] *Καί μοι μηδὲν τῶν ἀποκρύφων ἀναγίνωσκε. Ὁ γὰρ παρὰ πᾶσιν ὁμολογούμενα μὴ εἰδώς, τί περὶ τὰ ἀμφιβαλλόμενα ταλαιπωρεῖς μάτην;* Cyrill. Hieros. catech. IV. n. 33. *Πρὸς τὰ ἀπόκρυφα μηδὲν ἔχε κοινόν.* Ibid. n. 36. *Ὅσα μὲν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις μὴ ἀναγινώσκεται, ταῦτα μηδὲ κατὰ σεαυτὸν ἀναγίνωσκε.* Ibid. n. 36. — S. Basilius M. monachis praecipit: *τὰ ἐνδιάθετα βιβλία ἀναγινώσκειν, ἀποκρύφοις ὅλως μὴ ἐντυγχάνειν.* Opp. tom. II. — S. Hieronymus ep. ad Laet. 107.: „Caveat omnia apocrypha; sed si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat, eorum non esse, quorum titulis praenotantur.“ Cfr. Gregor. Naz. carmen V. ad Seleucum.

Idem valet de genuinis N. T. libris, ab haereticis ad fines suos interpolatis aut truncatis, qui sic pseudepigraphi et apocryphi facti sunt, ut Tatiani monotessaron, Ebionitarum evangelium secundum Hebraeos et al.

## §. 32.

**Fata librorum canonicorum inter heterodoxos.**

Defectus originis apostolicae et traditionis continuae non interruptâ episcoporum successione custoditae in haereticorum libros sacros non minus, quam in eorum doctrinam gravissimum exseruit influxum; nam sectarum nulla canonem ecclesiae cath. integrum servavit, sed omnes bona e domo maternâ ablata pro libitu magis minusve dilapidarunt, aut fonte salutis derelicto proprias cisternas sibi foderunt.[1] Etenim

1. *Nazaraei, Ebionitae et in genere Judaistae* solum receperunt evangelium Matthaei hebraice scriptum (secundum Hebraeos),[2] attamen non ubique et in omnibus incorruptum;[3] praeterea utebantur actis Apostolorum fictis, in quibus principem locum tenet Jacobus; similiter ac Severiani[4] omnes reliquos libros, in specie epistolas Pauli rejecerunt.[5]

2. *Manichaei* nonnisi evangelium Joannis et epistolas Pauli recepisse videntur; acta Apostolorum, quia de facta Spiritus s. missione narrant, plane repudiarunt; reliquorum librorum vel authentiam, vel integritatem et simul auctoritatem negarunt; delectabantur vero scriptis recenter ortis, ut evangelio Thomae, Matthiae etc.

---

[1] Das Grundgebrechen der Secten aller Zeiten, — der Abgang der apostolischen Stiftung, zeigt sich in Ansehung der heil. Schriften so folgenreich und fast noch auffallender, als selbst in der Lehre. Nehmen wir in der kathol. Kirche zu Folge ihres Ausganges von den Aposteln das wohl begriffene Bestreben wahr, das ihr Ueberlieferte zu sammeln, zusammen zu halten und vor fremder Beimischung zu bewahren: so characterisirt es dagegen sämmtliche Haeresien, dass sie das aus der Kirche mitgenommene Gut dilapidiren, es nach vorgefassten Urtheilen herabwürdigen oder verwerfen, nach Befund das Aechte theils verstümmeln, theils mit selbsterdachten Machwerken ihres Geistes vermischen, — Erscheinungen, welche eben so unzweideutig das Unrecht der Haeretiker an und auf diese Schriften bezeugen, als sie das Recht der Kirche beurkunden." Reithm. Quod Tertullianus de praescript. haer. c. 17. observat, de omnibus sectis valet: Ista haeresis non recipit quasdam scripturas, et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit; et si recipit, non recipit integros; et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum et corruptor stylus; variae praesumtiones nolunt agnoscere ea, per quae revincuntur. His nituntur, quae ex falso composuerunt, et quae de ambiguitate ceperunt.

[2] Cfr. Iren. adv. haer. I. 26. 2.; Euseb. hist. ecc. III. 25.; Epiphan. haer. XXX. 3. XXIX. 9.

[3] Cfr. Epiphan. haer. XXX. 13., ubi de Ebionitis dicit: *Ἐν τῷ γοῦν παρ' αὐτοῖς εὐαγγελίῳ κατὰ Ματθαῖον ὀνομαζομένῳ, οὐχ ὅλῳ καὶ πληρεστάτῳ, ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ, ἑβραϊκὸν δὲ τοῦτο καλοῦσιν, ἐμφέρεται λ.*

[4] Eus. hist. ecc. IV. 29.

[5] Cfr. Iren. l. c. Eus. l. c. III. 27. Epiphan. haeres. XXX. 16.

3. *Montanistae* eodem cum Manichaeis motivo ducti acta Apostolorum,[1] et ut

4. *Alogi* scripta s. Joannis rejecerunt,[2] reliqua probabiliter receperunt.

5. *Sectae gnosticae* utebantur quidem canone, qualem invenerant, ut Valentiniani, ad quos pertinent Ptolomaeus, Marcus, Heracleon, Julius Cassianus, Bardesanes et alii, et hoc respectu ad ecclesiam cath. propius accedebant; verum tamen ad peculiares sententias suas tuendas libros apostolicos partim ad somnia sapientiae suae altioris contorquebant, partim per evangelia juxta systema suum conficta (ut *εὐαγγέλιον τῆς ἀληθείας, εὐαγγ. τῆς τελειώσεως* etc.) superfluos reddebant.[3]

6. Marcion, antinomista, cujus solius canon accuratius innotuit, ulterius progressus, et evangelium cath. ab additamentis et partibus spuriis expurgare praetendens, e quatuor canonicis evangeliis illud Lucae adoptavit, in multis tamen corrupit; epistolarum paulinarum decem (demtis illa ad Hebraeos et pastoralibus) recepit eodem modo interpolatis; omnia reliqua scripta repudiavit.[4] Neque deerant, qui vesanam hanc Marcionis crisin imitarentur. Ad illustrationem et comprobationem placitorum, quae Docetae et Antinomistae favebant, conficta sunt acta et revelationes.

7. Haeretici quarti et sequentium saeculorum, ut *Ariani, Nestoriani, Monophysitae* etc., a canone, quem in ecclesia invenerant, non discesserunt; imo ecclesia graeca in synodo hierosolymitana an. 1672. canonem Laodicensem, addita apocalypsi, repetiit et confirmavit.

8. *Protestantes*, religionem christianam, ut dicebant, puritati trium priorum saeculorum restituturi, denuo addubitare coeperunt sic dicta *ἀντιλεγόμενα*, et decreto concilii Trid. de canonicis scriptu-

---

[1] S. Aug. ep. 237. n. 2.: Nam quidem Manichaei canonicum librum, cujus titulus est: Actus Apostolorum, repudiant. ... Quod et illi haeretici faciunt, qui vocantur Cataphryges.

[2] Epiph. haeres. 51. n. 3. (*Ἄλογοι*) ... *οὔτε τὸ τοῦ Ἰωάννου εὐαγγέλιον δέχονται, οὔτε τὴν αὐτοῦ ἀποκάλυψιν· ... λέγουσι γάρ, μὴ εἶναι αὐτὰ Ἰωάννου, ἀλλὰ Κηρίνθου· καὶ οὐκ ἄξια αὐτά φασιν εἶναι ἐν ἐκκλησίᾳ.*

[3] Iren. adv. haeres. III. 11. n. 9.: Hi vero, qui a Valentino sunt, — suas conscriptiones proferentes plura habere gloriantur, quam ipsa sint evangelia. Si quidem in tantum processerunt audaciae, ut, quod apud has non olim conscriptum est, veritatis evangelium titulent, in nihilo conveniens Apostolorum evangeliis. Cfr. Tertull. de praescript. haer. c. 49. Epiph. haer. XXVI. n. 2.

[4] Epiph. haer. 62. *Αἱ δὲ ἐπιστολαὶ αἱ παρ' αὐτῷ λεγόμεναί εἰσι· πρώτη μὲν πρὸς Γαλάτας, δευτέρα, τετάρτη πρὸς Κορινθίους, τρίτη πρὸς Κορινθίους δευτέρα, τετάρτη πρὸς Ῥωμαίους, πέμπτη πρὸς Θεσσαλονικεῖς, ἕκτη πρὸς Θεσσαλονικεῖς δευτέρα, ἑβδόμη πρὸς Ἐφεσίους, ὀγδοὴ πρὸς Κολοσσαεῖς, ἐννάτη πρὸς Φιλήμονα, δεκάτη πρὸς Φιλιππησίους.* Iren. adv. haer. I. 27.: (Marcion) solus ausus est manifeste circumcidere scripturas. III. 12. de antinomistis: Et Apostolos quidem adhuc, quae sunt Judaeorum, sentientes annuntiasse evangelium; se autem sinceriores et prudentiores Apostolis esse. Unde et Marcion et qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt scripturas, quasdam quidem in totum non agnoscentes, secundum Lucam autem evangelium et epistolas Pauli decurtantes, haec sola legitima esse dicunt, quae ipsi minoraverunt. Tertull. de praescript. haeret. c. 38.: Marcion exerte et palam machaera, non stylo usus est, quoniam ad materiam suam caedem scripturarum confecit.

ris offensi continuo invecti sunt in singulas earum, quas ab usu publico arcendas esse clamitarunt; paulatim vero aestus controversiae cessavit quidem, et nonnulli se aequiores in illos libros exhibuerunt; ast plures inter eruditos eorum libera sua indagatione nixi eo vesaniae ultimis temporibus progressi sunt, ut eos etiam libros sacros, de quorum authentia et auctoritate canonica nemo Christianorum unquam dubitaverat, successive aggredi auderent, ita ut cum unico fidei suae fonte ipsius etiam Christianismi jacturam fecerint, et in vesani pantheismi gurgites late patentes delapsi sint.

---

# CAPUT III.

## Historia textus A) manuscripti et quidem

### ARTICULUS I.

### relate ad formam.

### §. 33.

**Conspectus.**

Textus sacer, si respiciamus externam ejus conditionem seu formam, successu temporis varias subiit mutationes, quae argumentum ss. librorum immediate quidem non afficiunt, attamen ita sunt comparatae, ut textui ipsi mutando saepius saltem occasionem praeberent; quare hac e causa memoratu dignae sunt, et critico scitu maxime necessariae, quia 1) planum faciunt, quaenam e pluribus lectio et cur potius pro recentiore, quam pro originaria sit habenda; quia 2) codicum aetas inde determinatur. — Agendum itaque est nobis:

1. De variis materiis, diversis temporibus ad scribendum adhibitis;
2. de literarum et voluminum forma mutata;
3. de varia textus s. divisione
   a) per vocum reparationem et interpunctionis signa;
   b) per anagnosmata;
   c) per κεφάλαια et τίτλους, et per hodierna capita et versus;
4. de inscriptionibus et subscriptionibus.

### §. 34.

**1. De variis materiis, diversis temporibus ad scribendum adhibitis.**

Quamdiu charta aegyptiaca sit adhibita, certo quidem definiri nequit; attamen in N. T. libris saeculo IV. membranas, antiquis jam cognitas ob majus vero pretium rarius adhibitas, in usum venisse communem, historice constat. Sic Eusebius in vita Constantini M.

lib. IV. c. 36. tradit, hunc imperatorem 50 exemplaria N. T. in membranis (ἐν διφθέραις) describenda curasse in usum ecclesiarum, quarum numerus in dies augebatur. Idem testatur s. Hieronymus, qui in ep. 141. dicit, Pamphyli Martyris bibliothecam Caesareensem ex parte corruptam in membranis fuisse restauratam.[1] — A saeculo XI. charta bombycina (Cotton-Papier), et inde a saec. XIII. illa e lino (Linnen-P.) in usum venit.

Colorem atramenti antiqui nigrum, sed etiam rubrum e minio (Bergzinnober), cocco aut cinnabari praeparatum adhibuerunt; in titulis, in literis praecipue marginalibus et initialibus etiam usi sunt auro.

## §. 35.

### 2. De literarum et voluminum forma mutata.

Non tantum Apostolorum aevo, sed etiam serius libri usui publico destinati non literis minusculis et tachygraphorum compendiis, sed characteribus uncialibus a calligraphis scribebantur. Literae hae exhibent formam quadratam et rectam aut rotundam, omnique nexu inter se invicem carent; in antiquissimis manuscriptis elegantissimae sunt, et elegantiores in graecis, quam in latinis. In antiquioribus codicibus omnes literae, excepta initiali, aequales, in recentioribus vero primae singularum pericoparum majores sunt. Saeculo IX. literae C, Є, O, Θ formâ suâ rotundâ amissâ magis comprimebantur; aliae, ut Z, Ξ, X aut infra, aut supra lineam producebantur; literae quadratae formam oblongam et obliquam assumserunt, et fere inter se invicem colligabantur. In codice D unciali litera *A* refert formam α, ita ut scripturae cursivae praeludat, quae in libris profanis ad finem saeculi IX. invaluit, saeculo X. vero in communem abiit usum. Ast in libris, qui ad usum ecclesiasticum destinati vel pro ditioribus exarati erant, antiqua literarum forma diutius servabatur. Sic codex S seu Vaticanus 354., qui, ut subscriptio dicit, anno 949. finitus est, uncialem refert characterem.

Cum literis minoribus (minusculis) jota subscriptum enatum est. Spiritus asper antiquitus figuram *H* habebat vel *Ͱ*, postea formam *r* serius anguli ∠, et demum hodiernam semicirculi c.

Scripturae compendia ab antiquis nonnisi in vocibus notissimis, ut θεός ($\overline{\Theta C}$), κύριος ($\overline{KC}$), πνεῦμα ($\overline{\Pi NA}$), ἄνθρωπος ($\overline{ANΩC}$) adhibebantur, ita ut nonnisi casu errores inde enasci possent; ast serius, praecipue a tempore, quo character cursivus invaluit, etiam frequentiora compendia locum habuerunt, ita ut facile errores enascerentur.

Voluminum formae ob majorem scribentis et legentis commoditatem mature praeferebant illam librorum nostrorum, quam omnes exhibent N. T. et versionis Sept. codices, qui ad nos pervenerunt. Libelli ternorum, quaternorum aut plurium foliorum duplicium in

[1] „Quam (bibliothecam) ex parte corruptam Acacius dehinc et Euzojus, ejusdem ecclesiae sacerdotes, in membranis instaurare conati sunt."

unum conjungebantur. Singulae paginae in columnas dividi solebant plures aut pauciores; sic codex Alexandrinus (*A*) binas, codex Vaticanus (*B*) trinas, Sinaiticus quaternas exhibet; attamen in aliis manuscriptis scriptura per integram paginae latitudinem decurrit, ut in codice Ephraemi Syri rescripto (*C*).

### 3. De varia textus sacri divisione, et quidem

### §. 36.

#### a) per vocum separationem et interpunctionis signa.

*Scriptura continua*, quae Apostolorum tempore usitata erat, etiam serius retinebatur. In inscriptionibus, quae ante Christum et tempore primorum Caesarum exaratae sunt, occurrit quidem vocabulorum separatio per puncta; ast haec in libris non erat usitata. Etiam interpunctionis signa jam diu ante aeram christianam nota erant, attamen ad grammaticorum scholas et scriptores eruditos restricta manebant.[1] Qui igitur sacros N. T. libros legere voluit, eum e literis voces et e vocibus sententias formare necesse erat. Hinc mirum non est, apud Patres antiquos, in versionibus ac codicibus varias mirasque earumdem vocum et sententiarum inveniri separationes et conjunctiones. Sic nonnulli Patres Philip. 1, 1. legebant *συνεπισκόποις*, codex Baernerianus (*G*) Phil. 2, 4. *ἕκαστοι σκοποῦντες* divisit: *ἑκάστοις κοποῦντες*; cod. L Luc. 24, 34. e lectione *ὤφθη Σίμωνι* formavit: *ὤφθης ἱμῶν*.

Attamen jam in cod. Alexandrino (*A*) vocum separatio per signum nostro commati simile in superiori literae finalis apice indicatur. In codice Augiensi (*F*), qui saeculo IX. tribuitur, voces non tantum intervallis, sed etiam punctis disjunguntur. Plena vero vocum separatio cum scriptura cursiva demum est introducta.

Quod attinet *sententiarum separationem* seu interpunctionem, etiam haec apud antiquos diversa erat. Sic v. g. s. Irenaeus, Clemens Alex., Orig. et s. Athanasius Jo. 1, 3. post verba *οὐδὲ ἕν* distinxerunt, et *ὃ γέγονεν* cum sequentibus (cum v. 4.) conjunxerunt, quam distinctionem s. Epiphanius blasphemiam, et s. Chrysostomus haeresin dixit. Quamvis vero in quibusdam locis hujus illiusve codicis juxta Patrum legendi rationem a lectoribus vel librariis interpunctio esset facta, ut v. g. in cod. Alexandrino et Cantabrigiensi ad Jo. 1, 3. secundum legendi consuetudinem Patrum Alexandrinorum post voces: *χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν* punctum est positum; continua tamen interpunctio ne quarto quidem et quinto saeculo adfuit, ut a s. Epiphanio in opere *περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν* edocemur, etsi ecclesiae non defuissent grammatici tali labori suscipiendo pares. Causa hujus rei sita erat in maximis tum difficultatibus, tum periculis, quibus ejusmodi opus erat obnoxium; nam facile fieri potuisset, ut quis haereticorum sententiis invitus favere videretur. Interpunctio itaque

[1] Cfr. Montfaucon. palaeographia graec.

in aliud tempus erat differenda. — Ut vero indigentiis lectorum quodammodo saltem succurreretur, inventa est stichometria, i. e. illa scribendi ratio, qua singulae lineae nonnisi tot continent vocabula, quot uno spiritu legenda sunt. Hac distinctione effectum erat, ut lectores scirent, quae continuo legenda essent, et ubi intermittendum. Sic v. g. ad Titum 2, 2. 3. in codice *H* ita scribitur:

*Πρεσβυτας νηφαλιους ειναι*
*σεμνους*
*σωφρονας*
*ὑγιαινοντας τη πιστει*
*τη αγαπη*
*πρεςβυτας ὡσαυτως*
*εν καταστηματι ἱεροπρεπεις*
*μη διαβολους*
*μη οινω πολλω δεδουλωμενας*
*καλοδιδασκαλους.*

Ita scriptus est codex Cantabrigiensis *D*, Claromontanus *D*, Sangermanensis *E*, Coislianus *H* et alii multi omnium regionum ac familiarum, qui, licet non amplius stichos accurate observent, in singulorum tamen librorum fine stichorum consignationem exhibent, hacque ratione, se e codicibus stichometricis descriptos esse, manifeste produnt. Inde jam vero concludere licet ad aetatem exemplarium, e quibus tales codices descripti sunt.

Hanc scribendi rationem *Origenes* primus in hexaplis adhibuit (Eus. hist. eccl. VI. 16.) et in epistola ad Galatas, quam ab illo in commata esse divisam s. Hieronymus testatur (in praefat. in ep. ad Gal.). Origenis exemplum secutus est ipse s. Hieronymus in versione V. F.,[1] et haec scribendi ratio in usum communem abiit praecipue in psalmis, proverbiis, ecclesiaste, cantico cant., Jobo, ecclesiastico et sapientia.

In N. T. libros novam hanc scribendi rationem transtulit *Euthalius*, ecclesiae Alexandr. saec. V. diaconus, qui epistolis Paulinis anno 462. finitis mox etiam acta apostolorum et epistolas catholicas ita scribere coepit, ut ipse dicit: *κατὰ τὴν ἐμαυτοῦ συμμετρίαν πρὸς εὔσημον ἀνάγνωσιν.* Distinctiones hasce minus apte *στίχους* (lineas), et ipsam hanc scribendi rationem *στιχηδὸν γράψαι*, *στιχομετρίαν* dixit.[2] Ob legentium commodum haec textus divisio transiit etiam in evangelia et in multos codices.

Stichometria interpunctioni ordinariae viam stravit, ut edocemur e codice Cyprio (K.). Per stichometricam nimirum scribendi rationem ultra dimidium spatii vacuum relinquebatur, quo non potuit

[1] „Nemo, cum prophetas versibus viderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebraeos ligari, et aliquid simile haberi de psalmis et operibus Salomonis; sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, et per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt, nos quoque utilitati legentium providendo interpretationem nostram novo scribendi genere distinximus." Proleg. in Isaiam.

[2] Cfr. Zacagni collect. pag. 403. seqq. et Gallandi biblioth. patrum et antiq. scriptorum X. p. 199. seqq.

non fieri, ut manuscripta tam volumine, quam pretio crescerent. Ut itaque et stichi servarentur et spatio parceretur, singulae sententiae non amplius lineis, sed punctis distinguebantur. In codice K. v. g. Mt. 2, 21. 22. sic scriptus legitur: *ὁ δε ἐγερθεις. παρελαβε το παιδιον. και την μητερα αὐτου. και ἠλθεν εἰς γην Ἰσραηλ.* Exinde jam enata est interpunctio continua et ad regulas logicas facta. Non vero ab uno eodemque continuam et ordinariam interpunctionem esse tentatam, tum inaequalitas ejus, tum diversitas signorum in codicibus obviorum ostendit. In aliis nimirum manuscriptis, ut in cod. L, loco puncti nostri adhibetur signum crucis, quod in aliis omnium distinctionum vices tenet, ut in cod. Vaticano 1067.; in cod. Vaticano 351. distinctiones fere semper per duo puncta supra se posita indicantur, in cod. Basileensi E punctum positum in apice superiori literae punctum nostrum, in basi literae comma, et in medio semicolon designat; alii denique codices praeter punctum et commate utuntur. Quo in negotio librarii aut grammatici periti ac seduli in locis difficilioribus Patrum commentariis adjuti esse videntur. Per quos autem et quando haec omnia effecta sint, eo minus determinari potest, ac nonnisi successive evenerint. Hoc solum certum est, inventâ typographiâ in editionibus N. T. interpunctionem ordinariam et continuam esse adhibitam; Manutius uterque eam scriptis classicorum applicuit, et dein Robertus Stephanus N. T. libris.[1]

## §. 37.

### De sacri textus divisione

#### b) per anagnosmata et pericopas.

Quemadmodum Judaei sabbato et diebus festis in synagogis, ita et primi Christiani in conventibus suis sacris certam pentateuchi et prophetarum partem praelegere solebant, et, cum N. T. libri sacri essent editi ac recepti, teste s. Justino Martyre (apol. I. c. 67.), etiam horum lectionem adjungebant, quod divisioni eorumdem librorum occasionem praebuit ad instar legis et prophetarum, qui apud Judaeos in paraschot et haphtarot jam erant divisi. Sectiones illae dicebantur *ἀναγνώσματα* seu *ἀναγνώσεις*, lectiones, *περικοπαί*,[2] pericopae.

*In ecclesia Africana* aetate Tertulliani (sub finem saec. II. et initio III.) pericopae pro temporum qualitate libere seligebantur;[3] ast post medium saec. IV. singulis diebus dominicis et festis certae lectiones evangeliorum et epistolarum erant assignatae,[4] et in codi-

[1] Cfr. Rogall de auctoritate et antiquitate interpunctionis N. T. Regiom. 1734. et Adalbert Maier Einleitung in die Schriften des N. T. p. 500. seq.

[2] Quae pericopae non sunt confundendae cum illis Clementis Alex., qui per eas certos s. scripturae locos designat = *ῥῆσις, τόπος, χωρίον.*

[3] Tertull. apol. c. 34.: „Coimus ad divinarum literarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit, aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus.“

[4] S. Aug. praef. in I. ep. Joannis: „Meminit sanctitas vestra, evangelium

cibus biblicis procul dubio peculiaribus signis indicatae. Idem supponere licet in aliis ecclesiis factum; etenim quum praecipuorum festorum cyclo hic ibi certos libros legere consueverint: hosce pro dierum numero in certas lectiones dividere necessarium erat.[1]

*In ecclesia Alexandrina* saec. V. Euthalius, jussus ab Athanasio episcopo, acta apostolorum, epistolas catholicas et Paulinas juxta numerum dierum dominicorum et festorum praecipuorum in 57 anagnosmata divisit, quorum acta ap. 16, epistolae catholicae 10, et Paulinae 31 continebant. Evangeliorum divisio in 57 lectiones aut jam antiquior erat, aut ab Euthalio serius facta. Apocalypsis exceptâ ecclesiâ Hispanicâ, ubi cum actis ap. a paschate usque ad pentecosten legebatur, (Conc. Tolet. IV. c. 17.), ad publicam praelectionem minus apta videbatur. Attamen anagnosmata Alexandrina recepta non sunt in aliis ecclesiis, in quibus quippe alius legendi ordo jam erat usitatus.

Circa medium saec. V. *in Gallia* mos invaluit, sacros N. T. libros non integros continua serie legendi, sed certas partes seligendi, quae anni temporibus et festis maxime convenire videbantur, quo facto pericopae illae selectae eo ordine, quo per anni decursum praelegi solebant, in peculiari libro describebantur, qui *ἐκλογάδιον*, lectionarium, si pericopas e solis evangeliis legendas complectebatur, *εὐαγγελιστάριον*, quodsi vero lectiones ecclesiasticas ex actis et epistolis continebat, *πραξαπόστολος*, praxapostolarium vel etiam lectionarium dicebatur. In ecclesia graeca lectionariorum ante *Joannem Damascenum* (saec. VIII.) non fit mentio. Ut vero etiam in codicibus, qui libros N. T. integros continebant, pericopae ecclesiasticae per decursum totius anni legendae facile invenirentur, earundem consignationes citatis verbis initialibus et finalibus confici, codicibus praeponi vel adjungi, et lectiones in textu ipso designari solebant. Consignationes pericoparum, quae juxta ordinem dierum dominicorum et festorum legendae sunt, *συναξάρια*, et illae, quae lectiones diebus Sanctorum recitandas continent, *μηνολόγια* dicuntur. Inter Graecos pericoparum ordo ecclesiae Constantinopolitanae, inter Latinos vero ille ecclesiae Romanae paulo immutatus inde a temporibus Caroli M. dominans evasit.

Ab initio lectionum ecclesiasticarum pronomina, quae in codicibus continuis occurrunt, perspicuitatis causa cum nominibus propriis permutata sunt; porro inscriptiones: Lectio evangelii v. g. secundum Matthaeum, vel lectio epistolae v. g. s. Pauli ad Romanos, item in evangeliorum pericopis voces: In illo tempore dixit Jesus adjiciebantur. Praeterea clausulas simplices pleniores reddebant, tristes vero reformidantes saepe verba quaedam resecarunt, quae auditoribus terrorem incutere potuissent, licet ad idem cum praecedentibus

secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare. Sed quia nunc interposita est solennitas sanctorum dierum, quibus *certas ex evangelio lectiones oportet recitari, quae ita annuae sunt, ut aliter esse non possint:* ordo iste paululum intermissus est."

[1] Cfr. s. Chrysost. in homil. cur in pentecoste acta leguntur.

comma pertinerent, v. g. Mt. 3, 17. voces *καὶ πυρί;* unde factum est, ut ejusmodi verba in pericopis omissa vel adposita etiam in codicibus continuis vel adderentur vel omitterentur a librariis, qui notis marginalibus seducti vel lectionariis assueti ejusmodi verba in textu vel addita vel omissa esse putabant. Cfr. §. 41. 4. a.

## §. 38.

### De sacri textus divisione

### c) per *κεφάλαια* et *τίτλους*, per capita et versus.

Antiqui sacrum N. T. codicem praeter pericopas in sectiones alias diviserunt, quin tamen omnes omnium temporum ac regionum hac in re convenirent. Ex hisce sectionibus memoratu digniora sunt

1. in evangeliis *κεφάλαια* et *τίτλοι*, seu capitula et breves.

*a) Κεφάλαια ab Ammonio* descendunt, unde et Ammoniaca dicuntur vel capita *Eusebii*, qui ea aptius adhibuit et commendavit. Ammonius nimirum Alexandrinus intra annos 222—250 harmoniam quatuor evangeliorum confecit, et hunc in finem ipsa evangelia in sectiones, numeris suis signatas divisit, et quidem Matthaeum in 355, Marcum in 236, Lucam in 342 et Joannem in 232. Dein ad textum singulorum capitum Matthaei locos parallelos et similes reliquorum evangeliorum numeris suis citavit; quae singulis evangelistis propria sunt, locis competentibus evangelii Matthaei inseruit; quae vero ab alio evangelista clarius dicuntur, textui Matthaei substituit. — Rem ita se habere, edocemur ab Eusebio, qui in ep. ad Carpianum dicit: *Ἀμμώνιος ὁ Ἀλεξανδρεὺς — — τὸ διὰ τεσσάρων ἡμῖν καταλέλοιπεν εὐαγγέλιον, τῷ κατὰ Ματθαῖον τὰς ὁμοφώνους τῶν λοιπῶν εὐαγγελιστῶν περικόπας παραθείς*, et e versione latina illius harmoniae, quae a Victore Cap. confecta ad nos pervenit. [1] — Saeculo IV. Eusebius Caes. decem tabulas seu canones confecit, quorum ope tam loci paralleli et similes, quam cuivis evangelistarum propria facile inveniri possent. Hunc in finem sectiones Ammoniacas in margine quatuor evangeliorum literis numeralibus signavit, dein ad quamvis sectionem examinavit, num omnes quatuor evangelistae, an tres tantum, an duo solum de eadem vel simili re agant, an dicta peculiaria sint; numeris singularum sectionum in casu primo subjecit literam α', in secundo literam β', γ', δ', prout loci paralleli inveniuntur aut in Matthaeo, Marco et Luca, aut in Matthaeo, Luca et Joanne, aut in Matthaeo, Marco et Joanne; in casu tertio capitum numeris subscripsit literam ε', ϛ', ζ', η', ϑ', prout vel Matthaeus et Lucas, vel Matthaeus et Marcus, vel Matthaeus et Joannes, vel Lucas et Marcus, vel Lucas et Joannes de eadem re agunt; denique numeris sectionum. quae cuivis evangelistae peculiares sunt, subjecit literam ι'. — Hisce decem tabulas seu canones suos ita adaptavit, ut primus canon litera α' insignitus in quatuor columnis exhiberet locos parallelos numeris Ammonii indicatos quatuor evangelistarum; secundus,

[1] Cfr. Galland. bibl. patrum tom. II.

tertius et quartus seu β', γ', δ' in tribus columnis trium, quintus, sextus, septimus, octavus et nonus duorum tantum, et denique decimus quatripartitus, quae singulis evangelistarum sunt propria. Si v. g. quis scire desiderabat locos parallelos aut similes verborum Matthaei: *καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς κ. τ. λ.*, quae apud Ammonium et Eusebium sunt initium capitis *ιδ* in evangelio Matthaei, et juxta nostram divisionem Mt. 3, 16., ratio habenda est literae sub capitis numero *ιδ* positae, quae est *α* et indicat, priorem numerum *ιδ* quaerendum esse in prima tabula, et quidem in prima columna sub voce *Ματθαῖος*. Haec autem tabula penes numerum *ιδ* in altera columna sub voce *Μάρκος* exhibet caput *ε*, in tertia caput *ιγ* Lucae, et in quarta *ιε* Joannis. Ipse Eusebius in ep. ad Carpianum de capitibus suis, quae mox *κεφάλαια*, mox *περικοπάς* dicit, et de canonum dispositione eorumque usu disserit.

Ob usum commodum ac frequentem capita Ammoniaca in plerisque codicibus literis numeralibus una cum numeris canonum indicabantur, quod capitulatio dicebatur, et canones Eusebii codicibus praepositi inveniuntur, aut etiam loci paralleli in margine inferiori numeris suis citantur. Etiam s. Hieronymus in evangeliorum emendatione latina tum capitulationem, tum canones Eusebii adhibuit.[1] Transiit haec Eusebii dispositio etiam in editiones Erasmi, in editionem polyglottam Londinensem et in alias.

*b)* Praeter *κεφάλαια* Ammoniaca in plerisque omnium regionum codicibus majora inveniuntur capita, *τίτλοι* seu breves dicta, quia brevis pericopae summa erat adposita. Ejusmodi capita Matthaeus 68, Marcus 49, Lucas 83, Joannes 18 continet, et eorum consignatio breviarium dicebatur. *Τίτλοι* in codicibus nonnunquam ab initio canonibus Eusebii praepositi sunt, per decursum evangeliorum autem in loco conveniente numeris suis in margine laterali indicantur, et summae seu tituli in margine superiore repetuntur; in aliis codicibus litera T. indicantur; in aliis denique designatio *τῶν τίτλων* in margine quidem deest, attamen summa eorum ad finem cujusvis libri adnotatur. — Aetas *τῶν τίτλων* et auctor accurate determinari nequit; saeculo IV. Caesario, fratri s. Gregorii Nazianzeni, nondum nota erant, nisi *κεφάλαια* Ammoniaca; nam: *„Habemus, inquit, quatuor evangelia, quae mille, centum et sexaginta duo continent capita,“*[2] quod sectionibus ammoniacis accurate respondet. Verba haec Caesarii repetit s. Epiphanius in Ancorato suo. Neque s. Chrysostomo noti erant *τίτλοι*, quia homilias suas in Matthaeum et Joannem saepe finit, quin rationem illorum habeat. Ast majora haec capita jam occurrunt in codice Alexandrino (A.), qui saeculo V. tribuitur, et inde a saec. IX. in plerisque manuscriptis inveniuntur.

---

[1] S. Hieronym. ad Damas. ait: „Canones quoque, quos Eusebius Caesareensis, Ammonium Alexandrinum secutus, in decem numeros ordinavit, uti in graeco habentur, expressimus; quodsi quis curiosius voluerit nosse, quae in evangeliis vel eadem, vel vicina vel sola sunt, eorum distinctione cognoscet.“

[2] *Τέσσαρα ἡμῖν ὑπάρχει εὐαγγέλια κεφαλαίων χιλίων ἑκατὸν ἑξήκοντα δύο.* Cfr. Galland. biblioth. patrum tom. VI. Caesar. dialog. I. respons. 39.

2. Euthalius, qui Pauli epistolas jam in capita divisas et *τίτλοις* munitas invenit, in stychometrica sua N. T. editione etiam acta Ap. et epistolas catholicas in capita divisit et eis indices adposuit.[1] Acta Ap. 40 continent capita, epistola Jacobi 6, I. Petri 8, II. Petri 4, I. Jo. 7, II. Jo. 1, III. Jo. 1, Judaea 4; epistola ad Rom. 19, I. Cor. 9, II. Cor. 11, ad Gal. 12, ad Eph. 10, ad Phil. 7, ad Col. 10, I. ad Thess. 7, II. ad Thess. 6, ad Hebr. 22, I. Tim. 18, II. Tim. 9, ad Tit. 6, ad Philem. 2.

3. Sub finem saec. V. Andreas, Caesareae in Cappadocia episcopus, apocalypsin ad instar evangeliorum in 24 longiora et in 72 breviora capita divisit, et illa *λόγους*, haec *κεφάλαια* dixit.

4. Antiquissimis temporibus in singulis codicibus probabiliter peculiaris sacri textus divisio erat facta, quae ulterius non est propagata. Sic codex Sinaiticus sectiones peculiares exhibet, et Vaticanus B. capita continet nullibi alias obvia, et quidem in evangelio Matthaei 170, Marci 72, Lucae 152 et Joannis 80. Divisio Actuum et epistolarum catholicarum, quamvis a secunda manu facta, in cod. B. non est illa Euthalii. Epistolae Pauli Ap. unius operis instar considerantur, et ideo capitulorum numeri per omnes epistolas continui decurrunt. Sic epistola ad Rom. finitur capite 21. et I. Cor. capite 22. incipit etc.

5. Sacrae Scripturae divisio in capita nostra auctorem habet Hugonem a s. Carne († 1262.), qui concordantiam biblicam confecit, et hunc in finem in versione Vulgata nova haec capita adhibuit, eaque in septem partes literis *a* usque ad *g* designatas distribuit. Divisio haec saec. XV. etiam in textum graecum et in editiones transiit.

Jam in nonnullis manuscriptis perantiquis, v. g. in codice A. et C., breviores inveniuntur sectiones nostris versibus similes; attamen neque inter se conformes, neque latius propagatae. Capitum nostrorum divisio in versus hodiernos facta est a Roberto Stephano, qui eos anno 1548. versioni Vulgatae, dein anno 1551. quartae suae N. T. graeci editioni in margine adposuit; Theodorus Beza dein eos anno 1565. in editione sua N. T. textui ipsi inseruit, a quo tempore in communem abierunt usum.

## §. 39.

### 4. Inscriptiones et subscriptiones.

Inscriptiones sacrorum N. T. librorum non descendunt ab ipsis horum auctoribus, ut patet partim e varietate earum in manuscriptis, partim ex indole, v. g. *ἐπιστολὴ πρὸς Κορινθίους πρώτη, δευτέρα,*

[1] „Nos vero singulis epistolis juxta seriem dispositis et in minores partes concisis praefiximus capitulorum *ἔκθεσιν*, quae a quodam sapientissimorum et Christi amantium patrum confecta sunt." Zacagni in collectaneis monumentorum veteris eccl. graecae p. 528. Euthalium per patrem illum sapientissimum Theodorum Mopsuest. intellexisse suspicantur.

*Ἰωάννου ἐπιστολὴ πρώτη, πράξεις τῶν ἀποστόλων.* Praeterea in omnibus epistolis, quae dedicatione gaudent, ejusmodi inscriptio superflua fuisset, et denique antiqui, ut *Tertullianus* et s. *Chrysostomus*[1] clare loquuntur de seriori inscriptionum origine; posterior tamen ipsi Matthaeo tribuit titulum *εὐαγγέλιον*,[2] et haec sententia improbabilis non est, inde enim origo denominationis reliquorum evangeliorum facillime explicatur. Etiam inscriptio epistolae ad Hebraeos: *πρός Ἑβραίους* ipsi auctori originem debere videtur. — Quum vero collectiones librorum nostrorum fierent, accuratior eorum per titulos distinctio necessaria erat. Antiquissimae autem hae inscriptiones simplicissimae erant, v. g. (*εὐαγγέλιον*) *κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον* etc., *πράξεις τῶν ἀποστόλων, πρὸς Ῥωμαίους, πρὸς Κορινθίους πρώτη* etc. Tituli hi serius vario modo amplificabantur, v. g. *τὸ κατὰ Ματθαῖον ἅγιον εὐαγγέλιον. Λουκᾶ εὐαγγελιστοῦ πράξεις ἀποστόλων. πρὸς Ῥωμαίους Παύλου ἐπιστολή. τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Π. ἐπιστολὴ πρὸς Ῥωμαίους. τοῦ ἁγίου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου Παύλου ἐπιστολὴ πρὸς Κορινθίους πρώτη* etc.[3]

Subscriptiones ab initio non erant, nisi inscriptionum repetitio ideo facta, ut voluminum tituli fors ab initio laesi ad finem conservarentur, serius autem e traditione et Patrum commentariis variae addebantur notitiae de tempore, quo et de loco, ubi libri sint editi, per quos transmissi et similia; v. g. *τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον ἐξεδόθη ὑπ' αὐτοῦ ἐν Ἱεροσολύμοις μετὰ χρόνους η̄ τῆς του κυρίου ἀναλήψεως. τὸ κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον ἐξεδόθη μετὰ χρόνους ῑ τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως — — ὑπογορεύθη δὲ ὑπὸ πνεύματος ἐν Ῥώμῃ* etc. Etiam Euthalius, in epistolis Pauli maximam partem auctorem synopseos s. scripturae secutus, textui suo stichometrico ejusmodi subscriptiones inseruit,[4] et eaedem in plerosque codices transierunt.

## Historia textus manuscripti, et quidem

### ARTICULUS II.

## respectu materiae seu de lectionum variantium origine.

### §. 40.

**Conspectus.**

Textum sacrum etiam in materia revera subiisse mutationes, lectiones variantes testantur. Ab haereticis ss. librorum textum in

---

[1] Cfr. Tertull. adv. Marcionem IV. 2. 5. 11. 17. Chrysost. homil. I. in ep. ad Rom.

[2] Homil. I. in Matth. praef. *διὰ τοῦτο εὐαγγέλιον τὴν ἱστορίαν ἐκάλεσεν.*

[3] Cfr. Scholz N. T. graecum ad initium singulorum librorum.

[4] V. g. *πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου, στίχ. πκ' πρὸς Κορινθίους πρώτη (ά) ἐγράφη ἀπὸ Φιλίππων διὰ Στεφανᾶ καὶ Φουρτουνάτου καὶ Ἀχαΐκου καὶ Τιμοθέου στίχ. ωό.* Cf. Zacagni l. l. p. 589. seqq.

favorem dogmatum suorum vario modo esse corruptum, ex historia constat; attamen interpolatis eorum exemplaribus in ecclesiam aditus erat occlusus; hinc mutationes textus exstantes orthodoxis originem debere censendae sunt. Harum vero mutationum

1. aliae in omnibus codicibus, versionibus ac citatis easdem ob causas enatae;

2. aliae in certa tantum regione et certo tempore ortae;

3. aliae denique solum in singulis s. textus monumentis vel speciebus factae sunt.

Mutationes prioris generis in duas classes dividuntur, et quidem a) in eas, quae indeliberate, i. e. casu, mechanice evenerunt, et b) in illas, quae consulto seu voluntarie susceptae sunt, et quae denuo causis vel hermeneuticis vel dogmaticis originem debent.

## De mutationibus, quae I. in omnibus textus speciebus, et quidem

### §. 41.

#### 1. indeliberate ortae sunt.

Longe plurimae s. textus lectiones variantes e librariorum imperitia, negligentia vel incuria ortae censendae sunt; nam partim inter eas inveniuntur, quae ne sensum quidem aptum fundunt, partim consilio, praecipue malo, temere adscriberentur, quamdiu ex alio fonte commode derivari possunt.[1] Talis autem fons erat

1. *Lapsus oculi,* quo literae et voces similes permutabantur, v. g. *μνείαις* in codd. D*FG al. pro *χρείαις* Rom. 12, 13.; *ἀπελΠΙκότες* in DEFG pro *ἀπηλΓΗκότες* Eph. 4, 19., imo integra linea ob vocabula duarum linearum similia omittebatur, v. g. Luc. 6, 21., ubi media trium sententiarum, quae a voce *μακάριοι* incipiunt, omittitur in cod. D, Jo. 7, 8. *ὑμεῖς ἀνάβηθε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην,* ubi alteram sententiam cod. M et plures minusculi reticent.

2. *Error auditus;* nam codices a librariis etiam dictante alio scribebantur; quare voces et literae similiter sonantes, praecipue ob sic dictum itacismum frequenter permutabantur; v. g. Mt. 27, 60. *κενῷ μνημείῳ* in minusculis pro *καινῷ μν.;* Mr. 10, 30. *μετὰ διωγμόν* in minusc. loco *μετὰ διωγμῶν;* Rom. 2, 17. *ἴδε* in codd. ABDEG minusc. loco *εἰ δέ;* I. Tim. 5, 21. *πρόςκλησιν* in AD minusc. loco *πρόςκλισιν;* I. Petr. 2, 3. *Χριστός* in G mns. pro *χρηστός; γινώσκεται* I. Jo. 4, 2. pro *γινώσκετε; κακολάλους* Rom 1, 30. pro *καταλάλους.*

3. *Lapsus memoriae;* si nempe librarius codicem prototypum non ad singula verba inspiciens, sed integras sententias complectens descripsit: facile voces vel ad sensum exprimendum non necessariae omittebantur, vel cum aliis permutabantur, vel transponebantur; v.

---

[1] Ordericus Vitalis chronista refert, Theodoricum abbatem saec. XI. coenobii sui librariis et illuminatoribus continuo acclamasse: „Scribite! litera scripta in terra delet vobis peccatum in coelo.“

g. Jo. 16, 2. *τῷ κυρίῳ* cod. A. pro *τῷ θεῷ*; Act. 20, 28. *τοῦ θεοῦ* pro *τοῦ κυρίου*· Rom. 1, 13. *καρπόν τινα* pro *τινὰ καρπόν*· I. Cor. 9, 1. pro *οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος, οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος* inverso ordine legitur in AB min.; ibid. 9, 8. textus rec. habet: *ἢ οὐχὶ ὁ νόμος ταῦτα λέγει;* ABCDE min.: *ἢ καὶ ὁ νόμος ταῦτα οὐ λέγει;*

4. *Erroneum judicium*; si

*a*) notae e libris liturgicis et ecclesiasticis nec non e locis parallelis margini adscriptae pars textus habebantur et huic ipsi inserebantur, ut Mt. 6, 13. *ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν·* 20, 28. *ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι, καὶ ἐκ μείζονος ἔλαττον εἶναι* (D, Ital. Hilar.). Hac ratione Mr. 10, 38. *καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι* transiit in Mt. 20, 22., et narrationis clausula Luc. 7, 10.: *καὶ ὑποστρέψαντες οἱ πεμφθέντες εἰς τὸν οἶκον, εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα* in codd. CEM in Mt. 8, 13. translata est. Idem itaque in codicibus graecis evenit, de quo s. Hieronymus in exemplaribus latinis conqueritur.[1] Praecipue huc pertinent additamenta e pericopis ecclesiasticis, quae ab initio in margine notata in ipsum dein textum transierunt. Sic v. g. verbis Lucae 16, 19.: *ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος* in codice D praemittitur: *εἶπε δὲ καὶ ἑτέραν παραβολήν*. historia de Anania et Saphira Act. 5, 1., quae incipit verbis: *ἀνὴρ δέ τις ἦν λ.*, in cod. E sic inducitur: *ἐν αὐτῷ δὲ τῷ καιρῷ λ.*; Rom. 6, 11. vocibus *Χριστῷ Ἰησοῦ* textus receptus, quo plenior sit clausula, adjungit: *τῷ κυρίῳ ἡμῶν*· textus rec. Mt. 4, 18. verbis *περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν* tertio loco inserit *ὁ Ἰησοῦς*· idem textus Act. 3, 11. pro *κρατοῦντος δὲ αὐτοῦ τ. Π.* legit: *κρατοῦντος δὲ τοῦ ἰαθέντος χωλοῦ τ. Π.*; ibid. 20, 7. loco *συνηγμένων ἡμῶν* habet: *συνηγμένων τῶν μαθητῶν*. Si

*b*) quae revera in textu omissa et in margine notata erant, vel negligebantur, vel alieno loco inserebantur; sic Mt. c. 5. versus 4. et 5., c. 23. v. 13. et 14. in diversis codicibus transpositi inveniuntur; si

*c*) vocabula perperam conjungebantur vel separabantur, ut Phil. 1, 1. Gal. 1, 9. *προείρηκα μέν* pro *προειρήκαμεν*; si

*d*) compendia scripturae falso solvebantur, uti Rom. 12, 11., ubi D* FG habent *τῷ καιρῷ δουλεύοντες* pro *τῷ κυρίῳ δουλεύοντες*· I. Tim. 3, 15. *ὅς* pro *θεός* ex *ΘC*.

Quodsi in antiquiore manuscripto errores jam aderant, hi plerumque in alios codices inde descriptos transierunt et novis aucti sunt.

[1] Epist. ad Damas.: Magnus siquidem hic in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius evangelista plus dixit, in alio, quia minus putaverint, addiderunt; vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum ex quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque existimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae et Matthaei, et in ceteris reliquorum, quae aliis propria sunt, inveniantur.

## De mutationibus textus, quae

### §. 42.

**2. consultae factae sunt.**

Mutationes in ipso textu deliberate susceptae sunt, ut vel perspicuitas promoveretur, vel difficultas removeretur. Lectiones introductae, quae perspicuitati promovendae inserviunt, e causis hermeneuticis, quae vero ad difficultatem removendam conferunt, e rationibus dogmaticis ortae dicuntur.

### §. 43.

**A) Mutationes e causis hermeneuticis ortae.**

Librarii et lectores diversorum temporum ac regionum, ut rei naturae docet, in genere lectionem difficiliorem potius mutarunt in faciliorem, quam vice versa; in specie vero

*a*) Graeci lectionem, quae grammaticae regulis minus respondet, mutabant in eam, quae illis melius congruit; hinc v. g. Apoc. 1, 4. textus rec. habet *ἀπὸ τοῦ λ.* pro *ἀπὸ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν·* ibid. 2, 20. *τὴν γυναῖκά σου Ἰεσάβελ τὴν λέγουσαν* pro *ἡ λέγουσα·* ibid. 3, 12. *τῆς καινῆς Ἱερουσαλὴμ, ἣ καταβαίνει* pro — *καταβαίνουσα.*

*b*) Lectioni hebraizanti substituerunt graecam, ut Mt. 4, 16. *τοῖς καθημένοις — ἀνέτειλε* loco *οἱ καθημένοι — ἀνέτειλεν αὐτοῖς·* ibid. 7, 24. *πᾶς ὁ ἀκούων — ὁμοιωθήσεται* codd. BZ minusc. pro *ὁμοιώσω αὐτόν·* 8, 5. pro *εἰςελθόντος αὐτοῦ εἰς Καφαρναὺμ προςῆλθεν αὐτῷ* text. rec. *εἰςελθόντι αὐτῷ εἰς Κ. προςῆλθεν.*

*c*) Lectiones minus usitatas transire fecerunt in frequentius recurrentes seu solitas, v. g. Jo. 11, 19. *πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν* in *πρὸς τὴν Μ. κ. Μ.*

*d*) Obscurius dictis substituerunt clariora; v. g. Mt. 10, 42. *ὕδατας* additum ad *ψυχροῦ·* ibid. 23, 25. *ἀδικία* loco *ἀκρασία·* Mr. 7, 5. *ἀνίπτοις χερσὶ* textus rec. pro *κοιναῖς χ.* 12, 14. *ἐπικεφαλαιον* pro *κῆνσον·* Luc. 11, 54. *ζητοῦντες ἀφορμήν τινα λαβεῖν αὐτοῦ* in cod. D. pro *ζητ. θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ·* Jo. 6, 51. *ἡ σάρξ μου ἐστὶν ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς* pro *ἡ σάρξ μου ἐστὶν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμ. ζωῆς·* Act. 5, 36. *μέγαν* in codd. ADE** ad *εἶναι τινα ἑαυτόν* additum; I. Thess. 4, 3. *ἀπὸ πάσης τῆς πορνείας* pro *ἀπὸ τῆς πορνείας.* Praecipue huc pertinet particularum permutatio, quo planior redderetur contextus; sic. v. g. Jo. 6, 40. test. rec. cum pluribus minusc. habet *δέ* loco *γάρ* codicum antiquiorum; Rom. 5, 6. alii *ἔτι*, alii *εἴ γε*, alii *εἰς τί* legunt.

*e*) Lectionem, quae sine uberiori historiae et archaeologiae cognitione non facile intelligitur, commutarunt cum ea, cujus vis a quovis facilius perspicitur; v. g. Luc. 23, 54. *ἡμέρα ἦν παρασκευή* cum *ἦν δὲ ἡμέρα προσάββατον.*

Regula critica: Lectio grammatice, rhetorice, exegetice et archaeologice difficilior praeferenda est faciliori.

## §. 44.

### B) Mutationes e causis dogmaticis factae.

E causis dogmaticis librarii ac lectores in genere omnimodum effatorum biblicorum consensum tam cum veritate objectiva, quam cum locis parallelis efficere conabantur. Inde itaque inter variantes ortae censendae sunt:

1. Lectiones, quibus errores geographici aut topographici corrigi credebantur, ut Mt. 8, 28. et in locis parall. Γεργεσηνῶν et Γερασηνῶν loco Γαδαρηνῶν· Jo. 1, 28. ἐν Βηθαβαρᾷ pro ἐν Βηθανίᾳ.

2. Lectiones, quibus error historicus removeri censebatur, ut Mr. 1, 2. ἐν τοῖς προφήταις loco ἐν Ἡσαίᾳ τῷ προφήτῃ· 10, 12. ἐὰν γυνὴ ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνδρός ut Graecorum moribus magis conveniens pro ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς.

3. Lectiones, quibus accurata locorum parallelorum et analogorum concordia effecta est. Ex hac causa Mr. 16, 9—20. et genealogia Matthaei 1, 1. seqq. in nonnullis codicibus omissa censentur, quia haec Matthaei genealogia illi Lucae 3, 23. seqq., Marci vero 16, 9. seqq. dicta illis, quae Mt. c. 28. leguntur, repugnare videntur. Ex eadem causa Jo. 6, 69. ὅτι σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ juxta Mt. 16, 16. transiit in ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος· Joan. 19, 14. ὥρα ὡσεὶ ἕκτη correctum est in ὥρα ὡσεὶ τρίτη in codd. DL, ut consensus adesset cum Mr. 15, 25., imo hanc lectionem chronicon Alex. vel provocando ad Joannis ἰδιόχειρον Ephesi asservatum probare conatur.

4. Lectiones, quibus removebantur, quae Jesu et Apostolorum sive omnium sive singulorum honori ac dignitati derogare videntur; ideo Jo. 7, 8. οὐκ ἀναβαίνω in οὔπω ἀναβαίνω mutatum est; Mt. 5, 11. vox ψευδόμενοι inserta, et Gal. 2, 9. Ἰάκωβος καὶ Κῆφας in Κῆφας κ. Ἰάκωβος correctum est. Etiam Mt. 5, 22. vox εἰκῆ ab iis addi potuit, quibus omnem iram peccaminosam declarare indignum visum est Jesu, utpote qui ipse saepius iratus esse legitur.

5. Lectiones, quibus expediebantur dogmatibus fidei apparenter adversa; hinc Mt. 1, 18. in minusculis πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς et v. 25. in codd. BZ minusc. αὐτῆς τὸν πρωτότοκον deletum, Mt. 24, 36. et Mr. 13, 32. οὐδὲ ὁ υἱός, Luc. 19, 41. ἔκλαυσεν omissum, Luc. c. 22. versus 43. et 44. expunctus in codd. AB; Jo. 7, 39. ad οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον in cod. B. participium δεδομένον, in minusc. δοθέν, in cod. D* ἐπ' αὐτοῖς additum, Luc. 2, 33. καὶ ἦν ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ ἡ μήτηρ θαυμεάζοντες in καὶ ἦν ὁ Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θαυμ. correctum.

6. Lectiones, quibus occurrere studebant iis, quae puritati doctrinae moralis obesse, aut quocunque modo periculosa videbantur, veluti pericopa de muliere adultera Jo. 8, 3. seqq., ab iis omissa, quibus Jesus mulieribus adulteris impunitatem concedere credebatur.

7. Lectiones, quae miraculosam factorum indolem magis conspicuam reddunt, ut Jo. 8, 59. διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν καὶ παρῆγεν οὕτως pro ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ.

## §. 45.

**De mutationibus textus, quae II. certae regioni et aetati originem debent.**

Quamvis e causis, quae in praecedentibus nominatae sunt, omnes codices copiosis lectionibus variis a se invicem magis minusve discedant: illi tamen, qui Aegypto, praecipue Alexandriae originem debent, qui etiam in Occidente in usu erant, et quibuscum Palaestinenses fere concordant, certis peculiaritatibus differunt ab iis, qui ex Asia occidentali, e Graecia et ex insulis finitimis descendunt. Discrimen hocce inde a saec. II. animadvertitur; nam codicum alii magis concordant cum scriptis Clementis Alexandrini, Origenis, cum citatis s. Irenaei, cum manuscriptis antiquae versionis latinae et cum versione superioris Aegypti (Sahidica); alii vero propius accedunt ad versionem Peschito. Hinc recte duas familias textus sacri et proinde etiam codicum distinguunt: aliam Alexandrino-occidentalem, aliam Constantinopolitano-orientalem. Sunt vero etiam sacri textus monumenta, quae utriusque textus proprietates mixtas contineant, quod ob arctiorem ecclesiarum nexum facile fieri potuit.

Aliae textus mutationes ortae sunt e sic dictis recensionibus, i. e. e conatibus textum sacrum juxta certas regulas emendandi.

Ejusmodi recensionem factam esse *a Luciano* et ab *Hesychio*, e testimoniis historicis constat. Lucianus erat presbyter ecclesiae Antiochenae, scholae theologicae ibidem fundator, praeter alias scientias linguarum cognitione clarus, et Nicomediae in Bithynia circa annum 310. p. Ch. martyrio coronatus est; Hesychius episcopus in Aegypto, qui in Christianorum persecutione Diocletiana anno 303. aut 304. martyrium pro Christo subiit. Uterque Origenis exemplum secutus emendationem versionis Sept. suscepit, et teste s. Hieronymo Hesychii recensione utebatur Alexandria et Aegyptus, illâ vero Luciani Constantinopolis usque ad Antiochiam, mediae autem inter has provinciae legerunt codices ab Origene elaboratos.[1]

A versione Septuaginta viri illi transierunt ad opus multo difficilius, ad emendandum N. T.; nam s. Hieronymus in praef. in 4 evangelia ait: *„De novo nunc loquor testamento . . . Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio; quibus utique nec in toto veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit nec in novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat falsa esse, quae addita sunt.“* Etiam Gelasius I. sententia s. Hieronymi motus in indice librorum prohibitorum dicit: *„Evangelia, quae falsavit Lucianus, apocrypha; evangelia, quae falsavit Hesychius, apocrypha.“*

[1] Hieronym. in praef. in Paralipp.: Alexandria et Aegyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediae inter has provinciae palaestinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt, totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Cfr. adv. Rufin. II. 26.

Quid uterque in textu sacro effecerit, determinari nequit; probabiliter perspicuitatis gratia aliena addiderunt e locis parallelis et e notis exegeticis petita, dictionem regulis grammaticis linguae graecae magis conformarunt et alium vocabulorum ordinem introduxerunt. Attamen utriusque recensio non latius propagata fuisse videtur; quod enim s. Hieronymus de usu versionis Septuag. ab illis emendatae testatur, non simpliciter extendere licet ad novum testamentum ab eis recensum; dein codices eorum, ut e judicio s. Hieronymi patet, paucis arriserunt, quia a falsis eorum additamentis non poterant non summopere abhorrere antiquiorum codicum possessores; denique monumenta, quae e seriore tempore ad nos pervenerunt, minime produnt textum juxta certas regulas recensum.

Alii etiam *Origeni* talem N. T. recensionem adscribunt, quia s. Hieronymus nonnunquam ad exemplaria Adamantii et Pierii, presbyteri Alex. illiusque discipuli provocat;[1] quia scholia quaedam antiqua *παλαιστινὸν εὐαγγέλιον* commemorant, quod Origenis esse censent, et quia versio Philoxeniana continet obelos et asteriscos Origeni proprios, et ex ejusdem emendatione N. T. derivandos.[2]

Attamen ab Origene ejusmodi emendationem N. T. non esse factam, sequentia probant: *a*) In locis iisdem N. T. ab Origene saepius citatis magna occurrit discrepantia; *b*) in commentario suo in Matthaeum serius elucubrato de exemplarium evangelicorum dissensu conqueritur, et cum merita sua de versione Sept. commemorasset, diserte dicit: „*In exemplaribus autem N. T. hoc ipsum me posse facere sine periculo non putavi;*“ *c*) Origenem neque sub finem vitae suae N. T. recensionem suscepisse, Eusebius docet, utpote qui, dum merita Origenis de versione Sept. magnis laudibus celebrat (hist. eccl. VI. 16.), de simili ejus labore respectu N. T. ne mentionem quidem facit, imo in suis ipsius citatis eorumdem N. T. locorum admodum variat, quod, si Origenis recensio ei fuisset nota, vix locum haberet. Quare per exemplaria, quae s. Hieronymus dicit Adamantii et Pierii, intelligenda sunt illa, quibus Origenes et ejus discipulus usi erant et quae hic ibi correxerant. Hos codices accurate descriptos procul dubio Pamphilus in bibliotheca Caesareensi a se fundata reposuit,[3] et apographa inde facta designarunt illud *παλαιστινὸν εὐαγγέλιον*. Quod denique Origenis signa critica attinet in versione Philoxeniana obvia, a versore commode repeti poterant ex hexaplaribus late diffusis et novo testamento accommodari.

Ceterum a saec. IV. codicibus N. T. accuratius describendis

[1] Ad Mt. 24, 36. dicit: In quibusdam latinis codicibus additum est: neque Filius, quum in graecis et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus hoc non habeatur adscriptum. Ad Gal. 3, 1.: Legitur in quibusdam codicibus: „Quis vos fascinavit non credere veritati.“ Sed hoc, quia in Adamantii exemplaribus non habetur, omisimus.

[2] Cfr. Hug Einleitung I. p. 199. et 222. seqq.

[3] Hieronym. de viris illustr. c. 75. dicit: (Pamphilus) „tanto bibliothecae divinae amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum sua manu descripserit, quae usque hodie in Caesareensi bibliotheca habentur.“ Cfr. contr. Ruffin. II. 9.

majorem curam esse impensam, tuto assereree licet. Sic ad exaranda 50 illa N. T. exemplaria, quae Constantinus M. in usum ecclesiarum metropolis suae scribenda curavit, Eusebius procul dubio illos elegit librarios, qui tum dexteritate celebres, tum diligentiâ insignes erant, et ex hisce exemplaribus consentientibus Constantinopoli et in circuitu serius apographa accuratiora prodierunt. Etiam in aliis provinciis ecclesiae autistites textui sacro in ditione sua usitato accuratius servando invigilasse, inde jam colligere licet, quod canone fixo sacrorum librorum veneratio erat aucta. Nihilominus tamen sollicitudo ecclesiae menda non plane arcere poterat, praecipue in libris, qui usui privato inserviebant.

## §. 46.

**De mutationibus textus, quae III. in singulis ejus monumentis et speciebus evenerunt.**

*α*) In singulis codicibus. Tempore seriori, nimirum post saec. X. lectiones latinae textui graeco obtrudebantur. Sic v. g. lectio latina, quae Jo. 3, 6. jam apud Tertullianum et s. Ambrosium occurrit: „*Caro est, quia ex carne natus est, — — spiritus est, quia Deus spiritus est et de Deo natus est,*“ maximam partem transiit in codicem 161. Berberianum e saec. XI.; nam post verba *σάρξ ἐστι* et *πνεῦμά ἐστι* inveniuntur additamenta: *ὅ ἐκ τῆς σαρκὸς ἐγεννήθη, — ὅτι ἐκ τοῦ πνεύματός ἐστιν.* In codice hocce textum graecum et quidem a librario graeco versioni latinae conformatum esse, testatur scholion ad Jo. 7, 29., ubi ad genuina textus verba: *καὶ οἶδα αὐτόν* e 8, 55. additur: *καὶ ἐὰν εἴπω, ὅτι οὐκ οἶδα αὐτὸν, ἔσομαι ὁμοίως ὑμῶν ψεύστης*, et in margine adnotatur: *εἰς τὸ ῥωμαϊκὸν εὐαγγέλιον τοῦτο εὑρών.* Amplificationem trium testium in coelo I. Jo. 5, 7. non continent, nisi codices graeci juniores.[1]

Hinc nonnulli[2] suspicati sunt, etiam in antiquioribus codicibus non tantum graeco-latinis, sed etiam in aliis textum graecum e latino esse mutatum, quia inter utrumque in peculiaritatibus memoratu dignissimis mirus inveniretur consensus.

Ast haec suspicio omni fundamento caret; etenim *α*) Patres latini maxime insignes et scriptores, ut Tertullianus, s. Hilarius, s. Ambrosius, s. Hieronymus, s. Augustinus, constanter sequebantur regulam: textum graecum esse fontem latini, ideoque versiones latinas e textu graeco esse emendandas; *β*) ejusmodi lectiones, in quibus textus graecus et latinus concordat, etiam in Justino martyre, in Clemente Alex. et in versione Peschito occurrunt, in quibus tamen versionum latinarum influxus supponi nequit. Quare consensus iste inter textum graecum et latinum e communi fonte explicandus est;

[1] Cfr. Adalb. Maier Einleitung p. 522. Hug Einleitung I. p. 140. seq.

[2] Rich. Simon histoire critique du texte du N. T. chap. 30—32. Dissert. crit. sur les principaux actes manusc. Bengel introd. in crisin N. T. p. 399. Michaëlis de variis lectionibus N. T. caute colligendis §. 80. seqq.

veteres versiones latinae e codicibus aegyptiacis ortae sunt; hinc utriusque textus concordia mira esse nequit.

*b*) In versionibus. Hae mutationes duplicis generis sunt: originariae et adventitiae. Originariae textus sacri mutationes vocantur, quas ipse versor effécit, et quarum vel plures vel pauciores sunt, prouti versor magis vel minus erat accuratus et peritus. Adventitiae textus mutationes nuncupantur, quae serius in ipsa versione vel mechanice vel deliberate e causis aut hermeneuticis aut dogmaticis evenerunt. Idem locum habet

*c*) in Patrum citatis; originariae textus mutationes sunt, quae a citante ob verba non accurate retenta enatae; adventitiae, quae a librariis effectae.

## Historia textus sacri B) prelo submissi.

### §. 47.

**Conspectus.**

Typographiae inventio inter ann. 1440. et 1450. librariorum operae finem imposuit. Attamen ob summas difficultates criticas textui graeco serius demum prelo submitti contigit, cum jam classicorum opera, biblia hebraica V. F. ter, versio Vulgata et germanica repetitis vicibus typis essent excusa. Primum anno 1486. canticum Mariae et Zachariae (Magnificat et Benedictus), et anno 1504. Venetiis una cum Psalterio prima sex capita evangelii s. Joannis prodierunt, et pluribus demum annis elapsis totius N. T. editiones lucem conspexerunt, quae dividuutur in editiones principes et antiquiores, in illas textus recepti et in criticas.

In sequentibus itaque agemus

I. de antiquis textus s. monumentis seu de ejusdem fontibus, i. e. de codicibus, versionibus et Patrum citatis;

II. de arte critica seu de regulis ad textum sacrum originariae puritati restituendum;

III. de ipsis editionibus, et quidem de editionibus principibus et antiquioribus, de editionibus textus recepti et de editionibus criticis.

## De antiquis textus s. monumentis, et quidem

### A) De codicibus graecis.

### §. 48.

**Praemonenda.**

Numerus codicum, qui hucusque innotueruut, collati sunt et a saeculo IV. usque ad XVI. ad nos pervenerunt, septingentos transcendit. Hi jam codices

1. dividuntur in *unciales* usque ad saec. X. et in *minusculos* seu *cursivos* dehinc usque ad primas editiones prelo submissas.

2. Pauci eorum integrum N. T. complectuntur et inter hosce eminet Sinaiticus (§. 50.); plerique nonnisi unam alteramve classem continent, multi singulos solum libros, alii nonnisi majores vel minores eorum partes. Integrum evangeliorum textum aut ejus partem exhibent 496 (27 unciales), acta Apostolorum et epistolas catholicas 200 (8 unciales); epistolas Paulinas 255 (9 unciales); apocalypsin 20 (2 unciales). Accedunt 250 circiter evangelistaria et lectionaria. Cum codicum saltem nonnulli integrum N. T. textum contineant et omnes simul sumti seque invicem integrantes multoties plene eum repraesentent: inter documenta textus primum locum occupant; licet enim plurium Patrum citata antiquiora sint, textum tamen non tanta abundantia repraesentant.

3. Manuscripta N. T. in variis Europae et Asiae bibliothecis asservantur et certis catalogi numeris insigniuntur; alii eorum designantur nomine possessorum aut locorum, quibus originem debent aut ubi asservantur; inde vero a saeculo XVIII. codices unciales literis majusculis alphabeti latini et pauci literis graecis, cursivi autem et lectionaria numeris arabicis a criticis designari solent. Cum autem codices in quatuor classes dividantur: evangeliorum, actorum cum epistolis catholicis, epistolarum Paulinarum et apocalypseos: illorum designationes quater, ter aut bis repetuntur, prout aut omnium quatuor classium, aut trium, aut duarum libros continent.

4. *Patria codicum*, quae hic ibi aperte indicatur aut innuitur, cognoscitur *a*) e forma literarum, quae nonnunquam copticis aut latinis aut slavicis similes sunt, sicque Aegyptum, Occidentem aut Thraciam produnt; *b*) e formis grammaticis; nam codices, in quibus occurrunt formae, quae dialecto macedonicae propriae et procul dubio etiam in N. T. protographis adhibitae erant, in Aegypto scripti sunt. Ejusmodi formae grammaticae sunt: aoristus II. cum terminatione primi, ut *εἶπας*, *εἰπάτω*, *εἶπαν*, *εἶδαν*, *εἴδαμεν* etc.; inserta syllaba *σα* ante terminationem *ον*, ut *ἤλθοσαν*, *ἐλέγοσαν*, *παρελάβοσαν*; consonans *μ* verbi *λαμβάνω* et compositorum retenta, ubi ejicienda fuisset, ut *λήμψομαι*, *λήμψεται*, *ἀναλημφθείς*. *c*) E notis marginalibus scholiastarum et commentatorum, e picturis et e literarum initialium ornamentis, quae repraesentant, nec non e menologiis, quae nominant Sanctos in certa ditione cultos.

5. *Codicum aetas* determinatur materiis ad scribendum adhibitis, literarum formâ et scribendi ratione (continua aut separata), varia textus divisione etc. Attamen ab aetate codicis probe distinguenda est illa textus; sunt enim codices recentiores, qui ex antigrapho vetustissimo descripti sint et proinde textum antiquissimum contineant, dum nonnulli unciales non praecellant minusculis. Aetas vero textus ex accurata collatione cum aliis testibus, cum versionibus et Patrum citatis et perraro indubie definitur.

6. Codicum plurimi descendunt *e ditione Constantinopolitana*, pauciores simul vero antiquissimi et maximam partem unciales ori-

ginem debent *Aegypto, in specie Alexandriae.* Ad familiam Alexandrinam pertinent codices praeter Sinait.

ABCDJLMNOPQRTWXYZΓΔ in evangeliis;

ABCDEF in actis Apost. et in epistolis cath.;

ABCDFGH in epistolis Pauli, et

AC in apocalypsi. Familiae Constant. tribuuntur

EFGHS in evv.;

GH in actis et J in Paulinis epistolis.

Reliqui textum mixtum continent. Codicum minusculorum, quorum familia Constantinopolitana magna gaudet copia, Alexandrina solum 50 circiter complectitur, 10 evangelistaria et lectionaria. Haec utriusque familiae disparitas facile explicatur ex historia. Alexandria nimirum primis saeculis post Christum literarum erat cultrix, grammaticorum, librariorum et bibliopolarum sedes, et manuscripta ibi confecta ob puritatem magni habebantur in aliis etiam regionibus, praecipue in Occidente; attamen cum Alexandria ab Arabibus anno 641. occupata esset et bibliotheca cum thesauris suis jubente Omaro flammis tradita: splendor literarius ibi cessavit et lingua graeca arabicae locum cessit, quemadmodum in Occidente in ejusmodi locis, ubi primis saeculis post Christum dominans erat: Romae, in meridionali Italia et Gallia, prius jam linguâ latinâ invalescente expuncta erat; quare in Aegypto et in Occidente seriori tempore textus graecus rarissime tantum describebatur, et nonnisi singula textus sacri manuscripta per amicos linguae graecae atque in bibliothecis conservabantur. Ast Constantinopoli et in vicinia lingua graeca prius jam, quam Alexandriae dominium suum amitteret, usque ad finem medii aevi lingua vernacula populi et ecclesiae erat, ideoque in illa ditione N. T. libri frequenter describebantur et antiquioribus exemplaribus nova substituebantur. Cum Constantinopolis anno 1453. a Turcis esset occupata, Graecorum multi cum codicibus suis in Occidentem fugerunt, ubi eodem fere tempore studia classica reviviscebant, et dum antiquiora Aegypti exemplaria in bibliothecis delitescerent, eruditis per longius tempus fere soli codices recentiores Constantinopolitani innotuerunt.

7. Codicum multi *bilingues* sunt, i. e. praeter textum graecum versionem quamdam aut inter lineas aut e latere positam continent; longe majorem horum partem graeco-latini efficiunt. In nonnullis monumentis inveniuntur scholia, plura continent interpretum graecorum commentarios, recentiora frequentissime illos Theophylacti.

8. Inter antiqua N. T. manuscripta sunt etiam *παλίμψηστα* seu *codices rescripti*, i. e. tales, in quorum membranis N. T. textus ob obsoletam scripturae formam abluendo vel radendo deletus, et aliorum operum textus inscriptus erat. Vetustior autem scriptura membranae alte infixa serius emicuit, et nunc subsidiis chemicis perfectius restituitur.

9. Codicum uncialium *aptum divisionis fundamentum* praebet stichometria, qua aetas illorum certius determinatur; hinc distinguere solent codices ante, in et post stichometriam scriptos.

### §. 49.

#### a) Codices unciales.

1. Codices antiquissimi, ante stichometriam scripti, sunt:

*Codex A* seu *Alexandrinus* ita dictus, quia Cyrillus Lucaris, patriarcha Alexandrinus, serius Constantinopolitanus, cum Carolo I. Angliae regi anno 1628. dono dedit; a Georgio II. dein museo Britanico est oblatus, ubi adhucdum asservatur. Continet versionem Septuaginta et N. T. (exceptis Mt. 1, 1—25, 6. Jo. 6, 50—8, 52. II. Cor. 4, 13—12, 7.), I. epistolam Clementis Romani et fragmentum secundae. Epistolae catholicae ante Paulinas positae sunt et illa ad Hebraeos post II. ad Thess. legitur. Literarum uncialium forma est quadrata et venusta, scriptura absque accentibus et spiritibus in duabus paginarum columnis paucis locis exceptis continua, sed in parvas sectiones puncto in apice ultimae literae divisa; longiorum sectionum initium majoribus literis distinguitur; in evangeliis *κεφάλαια* Eusebii et *τίτλοι*, in reliquis libris nulla capita inveniuntur; inscriptiones et subscriptiones sunt simplicissimae. Tribuitur saec. V., et in Aegypto, probabiliter Alexandriae scriptus est.[1]

*Codex B* seu *Vaticanus* 1209. omnium antiquissimus, versionem Sept. et N. T. continet exceptis parte epistolae ad Hebraeos a 9, 15 usque ad finem, epistolis pastoralibus, ad Philemonem et apocalypsi, qui libri interierunt. Ordo singulorum librorum idem est, ut in cod. *A*. Scriptura in tribus columnis membranae tenuissimae est aequalis, elegantissima, continua; nonnisi ad finem majorum narrationum conspicitur spatium; spiritus et accentus plane desunt, interpunctio est rara et a secunda manu facta, quemadmodum et literarum characteres, qui flavescere coeperant, restituti; inscriptiones et subscriptiones simplicissimae. De peculiari divisione in capita cfr. §. 40. 4. dicta. E capitum numeris in epistolis Paulinis patet, epistolam ad Hebraeos, quae nunc post II. ad Thessalonic. posita est, ab origine locum suum habuisse post illam ad Galatas. Confectus est in Aegypto; criticorum alii eum tribuunt tertio, alii quarto saeculo.[2] Recentissime ed. est ab Ang. Mai.

*Codex C, Parisinus 9.*, etiam *Ephraemi Syri* dictus, quia sub ejus opusculis latebat, fragmenta versionis Sept. et libros N. T. eodem ordine ut cod. Alex. exhibet, ast multa desunt. Scriptura illi codicum *A* et *B* perquam similis est, continua, accentibus et spiritibus carens, sed interpunctionibus munita per punctum diversimode positum, cui serior manus plerumque crucem superscripsit. Sectiones versibus nostris et partitioni in cod. *A* similes majoribus literis initialibus

[1] Cfr. G. C. Woide: N. T. graec. e cod. Alex., qui Londini in bibl. mus. Britan. asservatur, Londini 1786.; C. Woidii notitia cod. Alex. cum variis ejus lectionibus, curavit G. Spohn. Lips. 1788. — Novum testamentum graece, ex antiquissimo codice Alexandrino a C. G. Woide olim descriptum, ad fidem ipsius codicis denuo edidit B. H. Cowper 8vo maj. Londini 1863. (ap. Kirchheim Moguntiae).

[2] Cfr. Hug: De antiquitate cod. Vatic. commentatio, Friburg. 1810.; Muralt: N. T. prolegom. p. XXV. seqq.; Rink in den Studien u. Kritiken 1842. p. 409. seqq.

distinguuntur. In evangeliis divisio in capita Ammoniaca et breves, in reliquis libris nulla invenitur. Notae marginales, quae pericopas ecclesiasticas indicant, a seriori manu adpositae sunt. Epistola ad Hebraeos locum suum habet inter II. Thess. et I. Tim. Scriptus est in Aegypto saeculo V. vel VI[ii] initio.[1]

*Codex P et Q, uterque Guelpherbytanus;* prior continet fragmenta quatuor evangeliorum, alter fragmenta Lucae et Joannis.

*Codex T, Borgianus* e saec. IV., foliis 13 exhibet fragmenta Joannis graeco-sahidica.[2]

*Codex Z, Dublinensis* rescriptus, formâ externâ codici *C* perquam similis et aetate fere par, evangelium Matthaei multis vero in locis mutilum continet; textus est Alex.[3]

2. *Codices stichometrici:*

*Codex D, Cantabrigiensis* graeco-latinus evangeliorum et actorum; in monasterio s. Irenaei Lugduni 1562. inventus abiit in possessionem Theodori Bezae, qui eum anno 1581. universitati Cantabrigiensi donavit. Manuscriptum hoc multas continet peculiaritates; Matthaei evangelium primum, Joannis secundum, Lucae tertium, Marci quartum tenet locum; ad latus textus graeci posita est versio latina antehieronymiana. Scriptura est continua et in utroque textu stichometrica absque accentibus et spiritibus, interpunctio rarissima est, correctiones vero a secunda manu factae, lectiones peculiares et embolia frequenter occurrunt. In evangeliis sectiones usitatae, in actis vero a secunda manu pericopae ecclesiasticae inveniuntur, quae cum illis Euthalii non consentiunt. Literae graecae librarium latinum produnt, et multae voces linguae gallicae antiquae, nec non literarum similitudo cum illis evangelistarii 60., quod, ut subscriptio dicit, in Gallia meridionali exaratum est, eandem patriam ei assignant. Codex hic e saec. VI. descendit, textum autem multo antiquiorem exhibet, qui familiam Alexandrinam potissimum sequitur, saepissime cum versione latina concordat et non obstantibus multis corruptionibus ad maxime veneranda N. T. monumenta pertinet.[4]

*Codex D, Parisiensis 117.*, a priore asservationis loco vulgo Claromontanus dictus, graeco-latinus, omnes Pauli epistolas continet, absque vocum separatione stichometrice scriptus est, a secunda manu accentibus et spiritibus munitus. Literarum forma assimilata illi codicis Cantabrigiensis, ita ut hujus continuatio esse videatur. Tribuitur Africae proconsulari et saeculo V. aut VI.; eum vero ex antigrapho multo antiquiore descriptum esse, inde colligere licet,

---

[1] Cfr. Tischendorf: Codex Ephraim Syri rescriptus sive fragmenta N. T. e cod. graeco Paris. celeberrimo etc. Lipsiae 1843. In hoc opere inveniuntur characteres similes loci 1. Tim. 3. 9—4. 14.

[2] Priora fragmenta (cod. P. et Q.) typis excudenda curavit Fr. Ant. Knittel Brunswic. 1662., posteriora (cod. T.) Aug. Georgi Romae 1789.

[3] Cfr.: Evangelium sec. Matth. ex cod. rescripto in bibl. collegii ss. Trinit. juxta Dublin. descriptum opera et studio J. Barret. Dublin. 1801.

[4] Cfr.: Codex Theodori Bezae — evangelia et Apost. acta complectens, quadratis literis graeco-latinis — edidit Thomas Kippling, Cantabrig. 1793. 2 voll. fol. De pretio ejus critico disserit Richard Simon in hist. crit. vol. I. p. 360. seqq.

quod epistola ad Hebraeos non tantum juxta Latinorum legendi consuetudinem inter Paulina scripta ultimum locum occupat, sed inter haec et illam index librorum ecclesiasticorum, ut epistolae Barnabae, pastoris Hermae etc. posita invenitur.[1]

*Codex E, Sangermanensis*, olim in abbatia s. Germani prope Parisios, nunc Petropoli, etiam complectitur epistolas Paulinas, et in proprietatibus suis tantam cum Claromontano habet conformitatem, ut hujus apographon videatur. Uterque exhibet textum, qui illi antiquissimorum Aegypti Patrum et versionis Italae affinis est, saepe vero a codd. ABC discedit.

*Codex E*, a Laudio archiepiscopo Cantabrigiensi, possessore suo, *Laudianus* dictus, dein vero bibliothecae Bodlejanae Oxonii donatus, est graeco-latinus actorum Ap. e saec. VII.[2]

*Codex E Basileensis* B. VI. 21. quatuor evangeliorum hic ibi mutilorum. Scriptura uncialis est elegans et recta, spiritibus et accentibus munita, interpunctio per punctum diversimode positum indicata; τίτλοι evangeliis praemissi, designatio capitum Ammonii et pericoparum ecclesiasticarum in margine seriorem habet auctorem. Tribuitur saeculo VIII. aut IX.[3]

*Codex F Cantabrigiensis* collegii ss. Trinitatis, a pristino asservationis loco, Augia majore prope Constantiam (Reichenau) Augiensis nuncupatus, graeco-latinus, complectitur 13 Pauli epistolas, excepta parte epistolae ad Rom. a 1, 1—3, 8., et versionem latinam antehieronymianam epistolae ad Hebraeos. Textus graecus scriptus est literis uncialibus minoribus absque accentibus, singulae voces per puncta separatae, compendia frequentiora; versio latina literas exhibet cursivas anglosaxonicas. Descendit e saec. IX.

*Codex G Dresdensis* (bibl. aulicae), prius Boernerianus a possessore dictus, etiam continet 13 epistolas s. Pauli excepta illa ad Hebraeos cum versione latina interlineari literarum anglosaxonicarum. Stichi in textu graeco majoribus literis initialibus indicantur. Etiam saec. IX. tribuitur, et cum praecedente eodem in nexu positus est, ut cod. *E* Sangerm. cum *D* Claromontano.[4]

*Codex G*, prius Seidelii, dein Wolfii, nunc Harlejanus 5684. in museo britanico. Textus ejus est Constantinop., accentus habet et spiritus et saeculo IX. tribuitur.

*Codex H Coislianus* a Coislino, erudito quondam episcopo Metensi vocatus, continet majora fragmenta quinque Pauli epistolarum. Membrana codicis hujus, qui prius in monasterio graeco montis Athos erat asservatus, serius ad librorum involucrum seu ligatu-

---

[1] Cfr. Tischendorf: Codex Claromontanus, sive epistolae Pauli omnes graece et latine ex codice Parisiensi celeberrimo nomine Claromontani plerumque dicto sexti ut videtur post Christum saec. Lips. 1852.

[2] Cfr. Thom. Hearne: Acta Apost. graeco-latina literis majusc. e cod. Laud. charact. unciali exarato et in bibl. Bodlej. asservato, ed. Oxonii 1765.

[3] Cfr. A. Schmelzer de antiquo Basil. bibl. cod. 4 evv. Gotting. 1750.

[4] Cfr. Frid. Matthaei: XIII. epistolarum Pauli cod. cum vers. lat. vet. vulgo antehieronym. olim Boernerianus, nunc bibl. elector. Dresd. summa fide et diligentia transscript. et edit. Misen. 1791. edit. 2. 1818.

ram adhibebatur. In appendice adnotatur, manuscriptum hoc cum exemplaribus Caesareensibus esse collatum. Adscribitur saec. VI.[1]

*Codex J Ottonianus* C. 15., literis argenteis in charta purpurea scriptus saec. VII., quatuor tantum fragmenta continet evangelii Matth. et Joannis.

*3. Codices post stichometriam exarati:*

*Cod. K seu Cyprius*, quia anno 1637. ex insula Cypro erat allatus, nunc Parisiensis 63., continet 4 evangelia scripturâ unciali minori continuâ, sed copiosis punctis, quibus stichi indicantur et accentibus praeditâ. Tribuitur saec. VIII. aut IX.[2]

*Cod. L, Paris. 62.*, continet quatuor evangelia in duabus columnis scripta, sectiones versibus similes et majoribus literis initialibus distinctas, indicem brevium singulis evangeliis praemissam, et illarum sicut capitum Ammonii et pericoparum ecclesiasticarum in margine superiori et in latere designationem. Literae unciales sunt oblongae, scriptura continua, plerumque accentibus et spiritibus munita, interpunctione per crucem et comma († ,) designata. Frequentes factae sunt correctiones. Textus affinis est illi codicum ABC. Codex saec. VIII. aut IX. adscribitur.[3]

*Cod. M seu regius Parisiens. 48.* quatuor evangeliorum e saec. X., habet accentus, notas musicas, interpunctiones, variantes literis minusculis scriptas.[4]

*Cod. N Vindobonnensis* e saec. VII., est membranaceus, literis aureis, argenteis et purpureis scriptus, et continet Luc. 24, 13—21. dein v. 39—49.

*Cod. O*, a Bandurio oblatus Montfauconio, fragmentum exhibet e Luc. c. 18.

*Cod. R Tubingensis* in unico folio continet nonnullos versus capitis primi ev. Joannis.

*Codex S Vaticanus* quatuor evangeliorum, scriptus est anno 949.

*Cod. U Venetus* evangeliorum familiae Constantinop., scriptus est saec. X. vel XI.

*Cod. V Mosquensis* quatuor evangeliorum, cujus pars a Jo. 7, 39. a recentiore manu scripta est; ob minorem literarum formam saec. IX. tribuitur.

*Codex W* e saec. VIII. in duobus foliis exhibet fragmentum evangelii Lucae.

*Cod. X Ingolstadiensis*, mutilus, continet evangelia textus aegyptiaci et saec. X. tribuitur.

*Cod. Y* e saec. IX. fragmenta ev. Joannis exhibet.

*Cod. Γ Vaticanus* fragmentorum ev. Matth. in quinque foliis est purpureus e saec. VII.

---

[1] Cfr. Montfaucon: bibliotheca Coislin. p. 253. seqq.

[2] Scholz: De cod. Cyprio et de familia, quam sistit, comment. inaugural. Heidelbergae 1820.

[3] Cfr. Tischendorf: Monumenta sacra inedita, ubi codex L una cum fragmentis JNWYΓΔ editus invenitur.

[4] Cfr. Scholz: Curae in textum evangg. Heidelb. 1820.

*Cod. Δ Sangallensis*, affinis codici G, continet evangelia cum antiqua versione latina inter lineas textus graeci posita et e saec. IX. ad nos pervenit. — Necessarium est, ut paucis disseramus

## §. 50.

### De codice Sinaitico.

Constantinus Tischendorf, de critica textus sacri optime meritus, anno 1844. in monasterio s. Catharinae montis Sinai invenit et dono accepit versionis Sept. 43 folia, quae continent V. F. fragmenta;[1] attamen aliam partem ampliorem, quae integrum Isaiam, I. et IV. Macchabaeorum librum continebat, non impetravit, imo in altero suo in monte Sinai adventu anno 1855. non amplius detexit. Ast cum vir eruditus indefesso studio actus tertia vice in monasterio s. Catharinae versaretur, brevi ante discessum die 4. Februarii 1859. a monasterii oeconomo allatus est ei codex panno obvolutus, ligaturâ et thecis carens, qui praeter fragmenta quaesita plures V. F. libros,[2] N. T. vero totum *„ne minimâ quidem lacunâ deformatum“* una cum plena Barnabae epistola et maxima parte Hermae pastoris complectitur. Devictis difficultatibus varii generis Tischendorf id effecit, ut codex pretiosissimus a monasterii antistitibus dono offerretur Alexandro II. Russorum imperatori, qui, ut inventor codicem typis traditum publicaret, auctor erat, et munificentiâ caesareâ pecunias necessarias suppeditavit. Immenso trium annorum labore vir eruditus opus perfecit. Duplex editio adornata prodiit Lipsiae e typographia Brockhaus anno 1863., alia, qua integri codicis characteres et proprietates peculiaribus typis in quatuor tomis accurate repraesentantur, alia, in qua N. T., epistola Barnabae et pastor typis vulgaribus exprimitur, adnexo folio, in quo *„facsimile“*, ut dicunt, ex epistola ad Hebraeos exhibetur; utrique praemissa sunt prolegomena, in quibus pertractantur, quae codicis Sinaitici indolem, aetatem et historiam attinent.[3] Ex hisce prolegomenis sequentia edocemur: Membrana codicis sufflava, licet non ubique aequalis, tamen subtilis et levis, propterea partim exesa et perforata, ex antiloparum pellibus confecta creditur, ita ut singulae pelles singula folia suppeditarent duplicia, quorum quatuor (octo folia juxta nostrum computum) quaternionem numero suo signatum efficiunt, et quorum partes molliores (internae, carni annexae) sibi invicem superpositae sunt. Atramentum plerumque aliquem

---

[1] Fragmenta illa I. Paralip., Esrae, Tobiae, Threnorum, maximae partis Jeremiae, integri Nehemiae et libri Esther, in honorem maecenatis Friderici Augusti, Saxonum regis, sub titulo codicis Friderico-Augustani in lucem edita sunt Lipsiae 1846.

[2] Codex Friderico-Aug. in I. Paralip. uno folio augetur, Tobias et Jeremias complentur, Isaias, I. et IV. Macch., Judith, e minoribus prophetis novem (Oseas, Amos et Michaeas desunt), septem libri poëtici integri continentur.

[3] Majoris editionis nonnisi centum exemplaria edita maximam partem Alexandro II. reservata sunt, et exemplar unum 230 thal., minor editio N. T. sex thaleris constat.

nitorem habet et fuscum est, saepe etiam cinerarium, alibi fulvum aut e fusco rutilans. [1]

Scriptura, in quavis pagina in quatuor columnis (in libris poëticis V. F. in duabus), est continua, simplex et elegantissima, in sectiones versibus nostris similes, plerumque autem iis majores divisa; literae unciales in textu aequales, in notis autem marginalibus minores sunt; scripturae compendia in vocibus nonnisi notissimis, in particula *και*, in pronominibus *μου* et *μοι*, in *προς* et *προ* inveniuntur; ad finem versus *ν* litera saepissime lineola finali exprimitur, ut *ειπε̄*, *τω̄*, *πα̅*, literae nonnullae copulantur, ut NH, HN, MH et al.; numeri modo plene scribuntur, ut in nomine bestiae Apoc. 13, 18., modo literis indicantur; in margine Ammonii capita et Eusebii canones literis supra se positis indicantur.

Interpunctio in libris poëticis plane deest, in reliquis et rarissima et simplicissima esse solet, ita ut integrae columnae et paginae ne unum quidem habeant punctum; in N. T. hic ibi spatia vacua jam majora jam minora, imo et duo puncta ad textum distinguendum destinata sunt.

Inscriptiones et subscriptiones, item paginarum tituli sunt simplicissimi, v. g. *κατα μαϑϑαιον*, *πραξεις*, *προς ρωμαιους*, *αποκαλυψις ιωαννου*. Stichorum numeri, ad finem nonnullarum epistolarum positi, non sunt Euthalii.

Ordo singulorum N. T. librorum hic est: primum locum occupant quatuor evangelia (Mt., Mr., Luc., Jo.), secundum 14 Pauli epistolae, quarum illa ad Hebraeos praemittitur literis pastoralibus et ad Philemonem; sequuntur Actus Apostolorum, septem epistolae catholicae, apocalypsis Joannis et denique epistola Barnabae et pastor Hermae.

Codex non ab eodem librario (quatuor censet Tischendorf), attamen literis perquam ubique similibus exaratus est et a pluribus dein (saltem a septem) successive correctus in 8000 circiter locis.

Quod jam attinet aetatem, in ipso manuscripto nullus ejus invenitur nutus, neque ulla traditio viget in coenobio Sinaitico, in quo nunquam expugnato aut spoliato per saeculorum decursum inde a monasterii exstructione per Justinianum imperatorem anno 530. asservatus esse videtur. Attamen omnia indicia monumento Sinaitico aetatem cum Vaticano saltem parem vindicant. Quod docet

*a)* classica literarum etiam minutissimarum simplicitas, nimirum unciales vetustae formae quadratae, omnibus ornamentis destitutae, defectus initialium majorum (secus in cod. Alex.), raritas et uniformitas interpunctionis, quae omnia non obstante librariorum diversitate eadem ubique inveniuntur.

*b)* Divisio in capita majora (*τίτλους*) nonnisi in hoc monumento, in codice C et Vaticano plane deest, dum in aliis manuscriptis sat

---

[1] Minio scripti sunt psalmorum tituli et numeri, tituli ad canticum canticorem illustrandum additi, numeri, quibus Ammonii sectiones cum canonibus Eusebii designantur, item ex parte libri Ecclesiastae inscriptio; quaedam in picturis, quas arabescas vocant, rubricata sunt, ut ad finem psalterii et Marci evangelii.

antiquis occurrit, jam aute Enthalium (450.) usitata erat et a s. Hieronymo in Vulgata emendata adhibita.

*c)* Orthographia et character grammaticus ut in codice Vaticano idiomati Alexandrino accurate respondet, in serioribus autem codicibus uncialibus, ut in minusculis, regulis grammaticis magis conformata invenitur.

Ast monumento Sinaitico majorem prae Vaticano vetustatem tribuere fas est, quod probant:

*α)* Quatuor paginarum columnae (exceptis libris poëticis), quae huic codici peculiares tempus innuunt, quod voluminum usui propius erat.

*β)* Series librorum singularis, in specie Actus App. inter epistolas Paulinas et catholicas positi, dum codices Vaticanus, Alexandrinus et alii librum illum evangeliis adjungant.

*γ)* Simplicitas inscriptionum et subscriptionum, praecipue in Actibus App., qui, ut apud Patres quosdam, v. g. s. Epiphanium, solâ voce *πραξεις* designantur.

*δ)* Locus epistolae Barnabae et pastori Hermae inter scripta canonica datus, quod Eusebio quidem anno 324., non vero post concilium Nicaenum I. anno 325., Laodicense anno 363., Hipponense, Carthaginiensia, praecipue III. an. 397. licuit.

*ε)* Character literarum uncialis, ab omnibus correctoribus, uno excepto saec. XII., constanter adhibitus, nec non scripturae renovatio in mollioribus membranae partibus saec. VIII. vel IX. facta, codici magnam vindicat antiquitatem.

*ζ)* Lectiones, quas codex Sinaiticus partim cum Vaticano ejusque sociis, partim cum solis Patribus antiquissimis habet communes, partim peculiares. Sic deest Mr. 16, 9—20., ad Eph. 1, 1. *εν εφεσω*, Jo. 1, 4. legitur *εν αυτω ζωη εστιν* (pro *ἦν*); ibid. 12, 32. *παντα* (loco *πάντες*); Hebr. 9, 17. *μη τοτε* (pro *μήποτε*). Ubi alii testes valde dissentiunt, Sinaiticus simplicissimam et valde probabilem lectionem exhibet, ut Mr. 8, 7. *και ευλογησας αυτα παρεδωκεν*; Jo. 7, 50. ad nomen Nicodemi deest additamentum probabiliter e 19, 29. repetitum et vario modo immutatum: *ὁ ἐλθὼν πρὸς αὐτὸν νυκτός* vel *πρότερον* et al.[1]

Quodsi denique ad codicis Sinaitici respiciamus momentum, summi est pretii; nam

*αα)* codicis Vaticani, quocum ex eodem promanavit fonte, egregie confirmat fidem, et defectus ejus compensat, uterque autem testatur, tempore, quo originale eorum exemplar scriptum erat, ergo saeculo III. vel plane II. libros nostros N. T. omnes et integros jam exstitisse, hinc vana esse dubia, quae recentissimâ aetate de eorum authentia atque integritate a scepticis sunt mota. Si in codice Sinaitico ut in Vaticano desunt nonnulli loci, ut praeter commemoratos etiam sic

---

[1] Adversarios Tischendorf huc usque nactus est Simonidem quemdam, Graecum, imposturae prius jam convictum, et Porphyrium, Russorum archimandritam, virum artis criticae minus peritum, de qua tamen re Tischendorfii in cod. Sin. prolegomena conferantur.

dictum comma Joanneum (I. Jo. 5, 7.): id sententiae nostrae non obest; nam locorum illorum authentia innumeris testibus aliis comprobatur, et facilius eorum in textu ut in homiliis nonnullorum Patrum mature amissorum, quam serius additorum ratio reddi potest.

*ββ)* Codex quoque Sinaiticus versionis nostrae Vulg. contestatur praestantiam, quae eo clarius elucescit, quo plura antiquitatis monumenta deteguntur et accuratius perlustrantur, et quae ab ipsis viris eruditis a fide nostra alienis agnoscitur. Denique

*γγ)* silentio non est praetermittendum, in epistola Barnabae, quae a nemine anno 120. aer. vulg. recentior habetur, et nunc integra in textu originali ante oculos posita est, egregium perhiberi authentiae evangelii Matthaei testimonium; nam ad finem adhortationis c. IV. legitur: *μηποτε ως γεγραπται πολλοι κλητοι ολιγοι δε εκλεκτοι ευρηθωμεν;* formulâ *ὡς γέγραπται* sequens sententia scripta designatur, nimirum Mt. 20, 16. et 22, 14., et proinde voces: *„sicut scriptum est"* in textu latino non, ut passim clamitarunt increduli, a versore additae apparent.[1]

## §. 51.

### b) Codices literis cursivis scripti.

Dum horum enumerationem ac descriptionem majoribus criticorum operibus relinquimus,[2] paucos solum commemoramus, et quidem eos, quorum in sequentibus mentio fiet.

*Cod. 1.,* Basileensis B. VI. 27., totum N. T. excepta apocalypsi continet. A ligatore evangelia inepte post acta Ap. et epistolas posita sunt. Evangelio Joannis praemissa est pictura, quae Lazari

[1] Cfr. „Der Katholik". Zeitschrift für kathol. Wissenschaft und kirchliches Leben. Neue Folge fünfter Jahrg. April. S. 414—430.

Tischendorf pro ea, qua gaudet animi pietate etiam Pio IX. exemplar editionis suae pretiosissimae dono misit, et omnium fidelium his in terris Pastor gratias agens et gratulans ei literas honorificentissimas misit sequentibus scriptas verbis:

Pius P. P. IX.

„Illustris Vir, salutem. Epistolam Tuam una cum libro typis edito, quem „dono mittere nobis voluisti, grato et benevolenti animo accepimus: neque „ambigimus quin investigationes et lucubrationes Tuae viris doctis inter ca„tholicos magno futurae sint emolumento, cum sacrarum scientiarum supellex „novis thesauris ditescat. Gratulamur etiam, quod celebritati illi, qua merito „frueris, novus adhuc titulus accedat; praesertim cum ea animi probitate sis „praeditus ut ab iis vehementer abhorreas, qui, prout recte animadvertis, con„temtores sacrorum, fidei naufragium religionisque ruinam conclamant. Nos „plane confidimus fore ut Deus non sinat deterrimum hoc impietatis et in„credulitatis monstrum in Europa diutius grassari, et Nos maxime ea cogitatio „solatur, quod nobiliora ingenia et doctiores Viri cujuslibet religionis nefarios „impiorum conatus detestentur. Interim dum Tibi, Illustris Vir, aestimationem „Nostram profitemur, Deum Opt. Max. adprecamur ut Te Nobiscum perfecta „charitate conjungat. Datum Romae apud S. Petrum d. 31. Mai. 1862. Ponti„ficatus Nostri Anno XVI.

Pius P. P. IX. m/p.

[2] Cfr. Griesbach: Symbolae criticae 2 partes Halae 1785. 1793.; Scholz N. T. prolegom. I. p. XXXVIII. seqq. II. p. III. seqq.

resuscitationem a mortuis repraesentat. Ad latus Jesu depicti sunt duo viri, unus natu major, minor alter, purpura et auro vestiti cum epigrammate, e quo patet, Leonem Sapientem ejusque filium Constantinum Porphyrogenetem designari. Probabiliter itaque liber imperante Leone ad finem saec. IX. aut initio X^mi scriptus est Constantinopoli ad usum ecclesiae s. Lazari, quam Leo exstruxit. Textus evangeliorum ab illo reliquorum librorum diversus est.

*Cod. 2.* (Scholz), Basileensis B. VI. 25., est membranaceus evangeliorum textus Constant. e saec. XV.

*Cod. 2.* (act. et Paulin. Scholz), Basileensis B. IX. membran. in 8vo familiae Constantinop.

*Cod. 7.* (Paulin. Scholz), Basileensis B. VI., 17., membranaceus in 4to familiae Const., epistolas Paulinas continet cum adnotationibus e Patribus collectis.

*Cod. 4.* (Paulin. et act. Scholz), Basil. B. X. 20. membran. elegans in 8vo e saec. XV. Textus plerumque est familiae Constantinopolitanae.

*Cod. 33.,* regius Paris. 14., e saec. X. vel XI. continet totum N. T. excepta apocalypsi.

*Cod. 367.,* Vaticanus, Actorum, epistolarum catholicarum et Paulinarum in 4to e saec. XII.

## B) De versionibus antiquis.

### §. 52.

**Praemonenda.**

Versiones essentialem et memoratu dignissimam ut historiae textus sacri, ita et monumentorum criticorum constituunt partem. Nam versiones

1. intimo in nexu positae cum evangelii propagatione ubique enascuntur, ubi populi exteri propriis linguis utentes ecclesiae Christi sese associant. Quemadmodum enim Apostoli scripta sua quodammodo in praesentiae suae compensationem proximis lectoribus destinarunt: ita etiam eorum successores et evangelii praecones populos ad Christum conversos illis pretiosis Apostolorum reliquiis carere noluerunt, ut impleretur, quod Act. 2, 11. legimus, ut nimirum omnes gentes Apostolos audirent suis linguis loquentes.

2. Ut ipsi libri sacri N. T., ita etiam antiquissimae eorum versiones proxime non ad id erant destinatae, ut privatim, sed ut in cultu divino publice legerentur. Ut autem versio textum originalem accurate repraesentaret et compensaret, auctor ejus, exemplum 70 translatorum V. F. sequens, summopere abhorruit ab elegantiae studio, et eo solum tendebat, ut non tantum sensum ad amussim repraesentaret, sed etiam vocabulorum ordinem, imo ipsas constructiones grammaticas juxta textum originalem exprimeret.

3. Memoratu dignum est, in quavis lingua ab initio unam versio-

nem ignoti saepe auctoris (Itala, Peschito) esse confectam, ad usus ecclesiasticos receptam, textui originali fere aequiparatam, posteris traditam et adeo tenaciter retentam, ut neque recentiore quadam expungi, neque novo idiomate quibuscunque e causis enato abrogari posset. Novae translationes usibus privatis inserviebant, et novis idiomatibus ortis liturgia cum versione antiqua haereditatis pretiosissimae instar constanter et summa cum pietate servabatur. Exemplo sint Syri, Copti, Aethiopes. Quemadmodum Judaei, quum lingua hebraica jam diu cessasset esse vernacula, textum sacrorum librorum originalem in conventibus suis sacris praelegere consueverunt: ita et populi christiani verbum divinum audire in deliciis habebant iisdem vocibus, quibus avis eorum erat praedicatum et ad posteros propagatum.

4. E dictis sponte patet, inter versiones N. T. in omnibus fere linguis exstantes ad usum criticum magno momento gaudere illas, quae e textu originali prodierunt (versiones immediatae), et inter hasce antiquissimas primo loco esse ponendas.

#### 1. Versiones latinae

### §. 53.

#### usque ad s. Hieronymum.

1. Primis saeculis in ecclesia occidentali *plures* exstitisse versiones latinas, edocemur a *s. Augustino*, qui (lib. II. c. 11. de doctrina christiana) dicit: *„Qui scripturas ex hebraica in graecam verterunt linguam, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuiquam primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari.“* [1] — Idem etiam testatur *s. Hieronymus*, qui in specie de pluribus N. T. interpretibus latinis loquitur. [2] Porro citata in scriptis Patrum latinorum saec. III., IV. et etiam V. adeo discordant, ut vix e variis unius ejusdemque versionis exemplaribus, sed nonnisi e pluribus versionibus hausta censeri possint.

Harum autem versionum unam, *Italam,* ut jam nomen innuit, in Italia confectam, ceteris praestantiorem fuisse, docet *s. Augustinus,* qui lib. II. c. 16. de doctr. christ. ait: *„In ipsis vero interpretationibus Itala* [3] *ceteris praeferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae.“* S. Augustinus itaque duas praerogativas tribuit versioni Italae, quam alias *usitatam,* s. Hieronymus *vulgatam* et *com-*

[1] Cfr. ibid. c. 10. n. 13., de civitate Dei XIX. 17.

[2] In praefatione in 4 evangelia ait: „Si autem veritas est quaerenda de pluribus, cur non ad graecam originem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita sunt — — — corrigimus? Neque ego de veteri disputo instrumento, de N. T. loquor, quod graecum esse non dubium est.“

[3] „*Itala*“ in l. c. legendum esse, non autem cum Bentley (Einleit. in das N. T.) ob unius codicis auctoritatem „illa“, aut cum Potter „usitata“, inde patet, quia, si lectio „illa“ admitteretur, sequens „nam“ esset ineptum, et lectio „usitata“ in nullo codice operum s. Aug. invenitur.

*munem* dicit: quod textum originalem ad verbum reddat, et nihilominus sensum clare exprimat, fidem ergo cum perspicuitate uniat.[1] Et revera auctor versionis Italae ignotus non ad alium tendebat scopum, nisi ut textum graecum accurate repraesentaret; quare, in quantum perspicuitas admisit, non tantum voces et vocum ordinem accurate expressit, sed etiam nullus dubitavit, quin constructiones anomalas, expressiones obsoletas aut ex usu loquendi populari desumtas et phrases scriptoribus classicis inusitatas, nova vocabula composita et alia adhiberet.

Ast non obstante summo hoc studio auctor primae translationis latinae omnium votis haud satisfecit; etenim versio accuratissime confecta textum originalem vix unquam plene exhaustum repraesentare valet, praecipue si lingua versionis libri argumento plane novo est adaptanda. Quare qui linguae graecae et latinae peritiores erant, accurato examine instituto invenerunt, in hac translatione singulas voces textus originalis non ubique locorum ad amussim esse redditas, aut expressiones justo duriores minusve claras adhibitas; hinc emendationem fieri non tantum posse, sed etiam debere sibi persuaserunt.

Hac persuasione semel enatâ plures emendationis negotium suscipere coeperunt. Sic v. g. ad Philipp. 2, 6. verba: *„qui cum in forma Dei esset“* Tertullianus emendavit in: *„qui in forma Dei constitutus“*; v. 7.: *„semet ipsum exinanivit“* idem correxit in: *„se ipsum exhausit“*; Tertullianus et s. Cyprianus Jo. 1, 1. vocem λόγος per *„Sermonem“* reddere satius duxerunt, quam per *„Verbum“*; alii I. Cor. 9, 27. pro *„lividum facio“*, quo verbum ὑπωπιάζω accurate redditur, posuerunt *„castigo“*. Ejusmodi jam mutationes e textu originali a pluribus susceptae et per longius tempus continuatae versioni aliam et diversam impresserunt formam; nam ab initio in margine codicum adnotabantur, a librariis autem mox ipsi textui latino inserebantur. Praeterea in Africa et procul dubio in aliis etiam regionibus, ubi lingua latina erat vernacula, ut in Hispania, Gallia, ortae sunt versiones privatae, in quibus Itala juxta codices graecos magis minusve jam corruptos erat mutata, et sic factum est, ut, quemadmodum s. Hieronymus dicit, tot fere essent exemplaria (versiones) paene, quod codices.

Hac ratione itaque ipsa illa versionis Italae simplicitas, quam alii laudibus celebrarunt, alii vituperarunt, occasionem praebuit, ut plures enascerentur versiones latinae, quae pro majore vel minore auctorum peritia et pro diversitate codicum graecorum, qui erant adhibiti, magis minusve inter se discordarent.[2]

2. Quod attinet versionum latinarum *aetatem*, eas mature ortas

---

[1] Cfr. Auctoris hermenent. bibl. III. edit. p. 191. 1, 2.

[2] Praeter codices graeco-latinos, quorum praecipui §. 49. sunt nominati inter monumenta antiquae versionis latinae memoratu dignissimi sunt codd. Bobbiensis, Brixiensis, Claromontanus, Colbertinus, Corbejenses 1. 2., Palatinus Vindobonensis, Rhedigerianus, Sangermanensis 1. 2., Veronensis, qui e saec. IV—VII. descendunt, et partim a Sabatier, partim a Bianchini editi sunt.

Cfr. Maier Einleit. p. 561. Not. 2.

esse, s. Augustinus testatur *(„ut enim primis fidei temporibus"* etc. nro. 1.). In Africa proconsulari talem versionem jam sub finem saec. II. diutius fuisse usitatam, *e Tertulliano* constat, qui (de monogamia c. 11.) ad locum in I. Cor. 7, 39. respiciens ait: *„Sciamus plane, non sic esse in graeco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem, nempe: „„Si autem dormierit vir ejus"", quasi de futuro sonet."* Loquitur ergo de versione latina jam in usum egressa.[1] Quodsi vero hac aetate (circa ann. 190.) in Africa versio latina jam in usum erat egressa, haec mature, probabiliter sub finem saeculi I. in Italia (Itala) confici debuit; nam in Africam ut doctrina Christi, ita et procul dubio versio latina ex Italia commeavit.[2]

Et profecto versio latina mature necessaria erat in Italia, ubi secus ac Romae lingua latina sola longe maximae incolarum parti erat cognita.[3]

3. *Fontem* versionum latinarum fuisse textum graecum, docent Tertullianus, s. Augustinus et s. Hieronymus in locis supra citatis.

Si versiones latinae cum syriaca Peschito certas lectiones et orientalismos habent communes, hae peculiaritates e communi textu originali, non vero inde explicandae sunt, quod nonnullae versiones latinae e syriaca promanarint.

## §. 54.

### Versionis latinae emendatio per s. Hieronymum effecta.

Saeculo quarto in magnum fidelium detrimentum et in doctrinae purae periculum admodum discrepasse et corruptas fuisse versiones latinas, patet ex epistola s. Hieronymi ad Damasum Papam, in qua et causas hujus rei designat, nimirum vitiositatem interpretum, emendatorum audaciam, librariorum somnolentiam nec non lectorum evangeliorum textus commiscentium libertatem.[4]

---

[1] Adv. Prax. c. 5. ad Jo. 1. 1. dicit: „Ideoque jam in usu est nostrorum per simplicitatem interpretationis Sermonem (λόγον) dicere in primordio apud Deum fuisse." — Contra Marc. V. 4. ad Gal. 4, 24.: „Quae sunt allegorica i. e. alia portendentia; haec sunt enim duo testamenta sive duae ostensiones, *sicut invenimus interpretatum."*

[2] Tertull. de praescript. haeret. c. 36.: — „Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. — Videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesserarit."

[3] Em. D. Card. Wiesemann in dissert. de authentia I. Jo. 5, 7. defendit, non in Italia, sed in Africa primam versionem latinam esse confectam, et per Italam intelligendam certam familiam apographorum illius in Italia ortorum. Ast haec sententia adversatur claris s. Augustini verbis et temporum adjunctis.

[4] „Novum opus facere me cogis ex veteri, ut post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa quasi quidam arbiter sedeam, et quia inter se variant, quae sint illa, quae cum graeca consentiant veritate, decernam. Pius labor, sed periculosa praesumtio judicare de ceteris ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare linguam et canescentem mundum ad initia retrahere parvulorum. Si enim latinis exemplaribus fides est ad habenda, respondeant quibus? tot sunt enim paene, quot codices. Sin autem veritas est quaerenda de pluribus, cur non ad graecam origi-

S. Hieronymus, vir eruditissimus et in ss. literis versatissimus, *a Damaso Papa* (ab anno 366—384.) provocatus, quamvis invitus, emendationem suscepit anno 383.[1] Promisit ab initio quatuor tantum evangelia; ast integrum N. T. ab eo esse emendatum, inde patet, quia in opere de viris illustr. de se dicit: *Novum testamentum graecae fidei reddidi, vetus juxta hebraicam.*[2]

Quam normam in hoc labore secutus sit, ipse testatur ad Damasum dicens, se adhibuisse codices veteres praetermissis illis a Luciano et Hesychio nuncupatos, et ne evangelia multum a lectionis latinae consuetudine discreparent, se ita calamo temperasse, ut his tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis reliqua intacta essent relicta.[3]

## §. 55.

### Fata versionis Vulgatae a s. Hieronymo emendatae usque ad concilium Tridentinum.[4]

Licet s. Hieronymus in emendanda versione Vulgata cautissime processisset, labor tamen ejus, ut ipse praeviderat, non pro merito

nem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male reddita, vel a praesumtoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus addita sunt aut mutata, corrigimus? Neque vero ego de veteri disputo instrumento — — de novo testamento loquor, quod graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Judaea evangelium Christi hebraicis literis edidit. — — Magnus siquidem in nostris codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius evangelista plus dicit, in alio, quia minus putaverunt, addiderunt; vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille qui unum e quatuor primum legerat, ad ejus exemplum ceteros quoque aestimaverit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae atque Matthaei, rursum in Matthaeo Joannis et Marci et ceteris reliquorum, quae in aliis propria sunt, inveniantur.“ S. Hieronym. ad Damas. P.

[1] S. Hieronym. l. c.: „Quis enim doctus pariter vel indoctus, cum in manus volumen assumserit, et a saliva, quam semel imbibit, viderit discrepare, quod lectitat, non statim erumpat in vocem, me falsarium, me clamans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adversum quam invidiam duplex causa me consolatur: quod et tu, qui summus sacerdos es, fieri jubes, et verum non esse, quod variat, etiam maledicorum testimonio comprobatur.“

[2] In epist. 52. ad Lucin. ait: „Novum testamentum graece reddidi auctoritati; ut enim veterum librorum fides de hebraicis voluminibus examinanda est: ita novorum graeci sermonis normam desiderat.“

[3] Ad Damas. in praef. in 4 evangelia: „Praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum adserit perversa contentio; quibus utique nec in veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendasse, cum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat, falsa esse, quae addita sunt. Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum evangelia — — codicum graecorum emendata collatione, sed et veterum. Quae (evangelia) ne multum a lectionis latinae consuetudine discreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quae sensum videbantur mutare, correctis reliqua manere pateremur, ut fuerant.“

[4] Emendatio s. Hieronymi purior invenitur in operibus ejus a Martianay editis Paris. 1706. tom. 1.; in codice Amiatino, qui anno circiter 541. scriptus est a Servando abbate, s. Benedicti discipulo, et nunc asservatur in bibliotheca Laurentiana, editus a Tischendorf Lips. 1850.; in codice Fuldensi, qui evangeliorum loco har-

susceptus est, imo vehementiora vituperia expertus, quam emendatio V. T. e textu hebraico.[1] Causae sitae erant in exiguis progressibus, quos Latini secus ac Graeci in studio biblico et proinde in accuratiore s. scripturae cognitione fecerant; in tenacitate consuetudinis, qua quisque textui a se hucusque adhibito adhaerebat; in discrepantia versionis emendatae cum recentioribus codicibus graecis; denique in invidia, qua Latinorum multi in auctorem, severum morum censorem, ferebantur. Praeterea Damasus pontifex anno jam 384., ergo prius mortuus erat, quam emendatio s. Hieronymi usibus ecclesiasticis commendari posset; hinc quamvis nonnulli, ut s. Augustinus,[2] ejus pretium agnoscerent, tamen per longius tempus usus universalis ei denegabatur. Paulatim vero aestus defervescebat, et sobrio judicio atque una cum eo versioni huic emendatae praeter veterem locus factus est ita, ut saec. VI. Romae saltem pari cum hac veneratione frueretur; *Gregorius M.* eandem in commentario suo in Jobum adhibuit,[3] et auctoritate hujus pontificis factum est, ut versio hieronymiana sensim ubique fere reciperetur et primo loco poneretur.[4] Par autem usus utriusque nocuit utrique; nam nova juxta veterem et vice versâ in multis exemplaribus est mutata. Praeterea negligentia aut imperitia librariorum magna errorum copia denuo est introducta, qui in alia apographa transierunt et novis sunt aucti, ita ut saeculo VIII. denuo omnia essent mixta, et emendatio necessaria, quae *a Carolo Magno est praecepta et per Alcuinum potissimum effecta.*[5] Ast imperator ipse, de salute imperii et ecclesiae valde sollicitus, operi manum admovit,[6] praecipue vero auctoritate sua

---

moniam evangelicam continet, et in codice Forojuliensi, a Bianchini edito, cujus partes sunt codex Venetus et fragmentum Pragense (coll. §. 14, 4.). Codices, qui originem debent saeculo VII—XII.: Fossatensis, Harlejanus, Ingolstadiensis, Parisiensis, Sangallensis (graeco-lat. *Δ*), Augiensis (graeco-lat. Paul. F) et alii continent textum magis corruptum.

[1] Cfr. ejus epist. ad Marcellam 25. (tom. IV.): „Ad me repente perlatum est, quosdam homunculos mihi studiose detrahere, cur adversum auctoritatem veterum et totius mundi opinionem aliquid in evangeliis emendare tentaverim. Quos ego quum possem jure meo contemnere (asino quippe lyra superflue canit), tamen ne nos, ut facere solent, superbiae arguant, ita responsum habeant: non adeo me hebetis fuisse cordis et crassae rusticitatis, ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum; sed latinorum codicum vitiositatem, quae e diversitate librorum omnium probatur, ad graecam originem, unde et ipsi eos translatos esse non denegant, voluisse revocare. Quibus si displicet fontis unda purissimi, coenosos rivulos libent."

[2] Cfr. epist. 72. c. 4. ad Hieronymum.

[3] Gregorius M. in epist. ad Leandrum dicit: „Novam vero translationem dissero; sed cum probationis causa exigit, nunc novam nunc veterem per testimonia assumo, ut, quia sedes apostolica, cui Deo auctore praesideo, mei quoque labor studii ex utraque fulciatur."

[4] Isidorus Hispalensis († 636.) de offic. eccl. I. 12.: „Hac editione generaliter omnes ecclesiae utuntur."

[5] De libro sexto commentariorum suorum in Joannem ad Gislam et Columbam Alcuinus dicit: „Totius forsan evangelii expositionem direxissem vobis, nisi me occupasset Domini Regis praeceptum in emendatione veteris novique testamenti."

[6] Theganus de gestis Ludovici Pii apud Du Chesne hist. Francorum tom. II. p. 277.

effecit, ut Alcuini emendatio in universa Gallia et Germania adhiberetur,[1] et aptiore textus divisione atque interpunctione commendaretur. Fuisse Alcuino consilium textum s. Hieronymi ex optimis codicibus restituendi, inde patet, quod codex Vallicellanus textum Alcuini exhibens praemissam habet epistolam s. Hieronymi ad Damasum, et e comparatione hujus codicis cum textu, quem s. Hieronymus in commentario in ev. Matthaei et in epistolam ad Galatas repraesentat.

Ast ne nunc quidem librarii cautiores fuere; nam saec. XI. denuo necessitas emendationis sese obtrusit, quia tot fere exemplaria erant, quot codices. Suscepit eam *Lanfrancus*, archiepiscopus Cantuariensis, qui V. et N. T. libros, ss. Patrum opera et scripta liturgica non modo ipse emendavit, sed etiam discipulos suos ad eundem laborem provocavit,[2] nec non *Nicolaus Cardinalis* 1150.[3] et *Stephanus* Cisterciensium abbas.[4]

Serius societates religiosae textus latini puritati restituendae ac servandae invigilarunt sic dictis correctoriis. Correctoria erant codices latini, in quorum margine exhibebantur lectiones variantes ex aliis manuscriptis latinis, e Patrum citatis et e textu originali collectae, cum approbatione vel reprobatione conjunctae, practerea vocum et sententiarum divisiones, nec non proprietatum criticarum explicationes. Primum correctorium anno 1230. cum approbatione Galliae primatis, archiepiscopi Senonensis, edidit Universitas Parisiensis in usum studentium, in quo frequentissime occurrunt expressiones: *„Est de textu, non est de textu, vera est litera, falsa est litera.“* Aliud concinnarunt Dominicani jubente Hugone a s. Carne, generali eorum et serius Cardinali, aliud Franciscani, aliud Carthusiani. — Attamen hisce laboribus neque conformitas textus est effecta, neque puritas restituta, quia auctores firmis principiis criticis destituti pro arbitrio

---

[1] Capit. regg. Franc. VI. 227.: „Volumus et ita missis nostris mandare praecepimus, ut in ecclesiis libri canonici veraces habeantur.“ — In praefat. in homiliarium in usum cleri praescriptum dicit: „Igitur quia curae nobis est, ut ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam paene malorum nostrorum desidiâ reparare vigilandi studio satagimus officinam, et ad pernoscenda sacrorum librorum studia nostro etiam quo possumus invitamus exemplo; inter quae jam pridem universos V. et N. T. libros librariorum vitio depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus.“

[2] Vita Lanfranci in opp. Paris. 1648. „Lectioni assiduus et ante episcopatum et in episcopatu, quantum poterat. Et quia scripturae scriptorum vitio erant nimium corruptae, omnes tam V. quam N. T. libros, nec non etiam scripta ss. Patrum secundum orthodoxam fidem studuit corrigere, et etiam multa de his, quibus utimur die ac nocte in servitio ecclesiae, ad unguem emendavit, et hoc non tantum per se, sed etiam per discipulos fecit. Qua de causa merito latinitas tum honore et amore veneratur magistrum. Hujus emendationis claritate omnis occidui orbis ecclesia tam gallicana quam anglica gaudet se esse illuminatam.“

[3] In epist. ad Petrum canonicum de corruptione manuscriptorum conqueritur et dicit, se conatum esse „superflua resecare, transformata reformare, et ea addere rursus, quae a praesumtoribus tanquam superflua fuerant amputata“ (Apud Hodium de biblior. textibus orig. p. 417.).

[4] Cfr. Histoire littéraire de la France tom. IX. p. 123.

corrigebant, et inter variantes suas etiam citabant locos Patrum, qui textum ante s. Hieronymum usitatum sistunt, ut s. Ambrosii, s. Augustini.[1]

Textus Vulgatae copiosis erroribus defoedatus propagatus est usque ad typographiam inventam, et etiam in primas transiit editiones, in quibus singulis nonnisi textus unius codicis erat expressus, et quae, ut codices ipsi, lectionibus variantibus inter se discordabant.[2] *Franciscus Ximenes* textum latinum primus emendavit e manuscriptis antiquis,[3] quae autem non accuratius determinavit, et correctiones e textu graeco justo liberius suscepit. *Robertus Stephanus* in editionibus suis ann. 1523., 1528. et 1540. suâ methodo criticâ textui latino aliam tribuit formam; nam in 2. editione praeter versionem Complutensem antiquos codices quosdam adhibuit et eas lectiones adoptavit, quae proxime accedere videbantur ad textum originalem; in tertia vero textui editionum praecedentium in margine adposuit lectiones, quae e manuscriptis nominatim designatis desumtae erant, quaeque cum textu originali concordabant. Attamen editiones hae, utpote ab auctore minus orthodoxo profectae, damnatae sunt ab Universitate Parisiensi, quemadmodum ab eadem et a Lovaniensi editiones seriores ann. 1543. et 1545. — Minoris momenti erant editiones *Joannis Benedicti* et *Isidori Clarii*, theologorum Parisiensium, quorum prior imitatus est methodum criticam Origenis, alter autem Vulgatam textui graeco conformare studuit. His vero editionibus ante omnium oculos clarissime erat positum, versionem latinam innumeris scatere lectionibus variantibus. Neque deerant, qui novas e textu originali cuderent versiones latinas, ut *Laurentius Valla*, *Jacobus Lefèvre*, *Erasmus* et alii, ita ut nemo amplius sciret, quaenam editio aut versio esset tenenda, et ut Acatholici versionem antiquam et ecclesiasticam cavillationibus suis peterent.

## §. 56.

### Fata versionis Vulg. a concilio Tridentino.

Exemplarium latinorum discrepantia mox exposita non poterat non summam excitare attentionem *concilii Tridentini*, quod anno 1545. congregatum de remediis tanti mali serio deliberavit. Teste Pallavicinio (in hist. conc. Trid.) Patres jam in eo erant, ut ecclesiae justo textus hebraici et graeci prospicerent exemplari, in gratiam eorum, qui linguarum illarum essent ignari, in latinam vertendo.

---

[1] Cfr. Roger Baco in ep. ad Clementem P. IV.

[2] Primo 12 aut 13 editiones absque anno et loco prodierunt, et quidem antiquissima inter ann. 1453. et 1455. probabiliter Bambergae, dein alia editio facta est Moguntii ann. 1462. et usque ad ann. 1520. centies repetita; alia Romae 1471., Norimbergae 1471., Argentorati 1474., Norimbergae 1475.

[3] In prologo legimus: „Latinam ibidem B. Hieronymi translationem contulimus cum quamplurimis exemplaribus venerandae vetustatis, — — quae supra octingentesimum abhinc annum literis gothicis conscripta, ea sunt sinceritate, ut nec apicis lapsus possit in eis deprehendi."

Ast monentibus pluribus, paucis tantum eam esse textus originalis cognitionem, ut versione carere possint, et veriti, ne novâ translatione etiam novis altercationibus ansa praeberetur: tandem consultissimum esse judicabant, antiquae versionis ecclesiasticae auctoritatem tueri, quod et factum est sess. IV. in sequente decreto: *„Insuper eadem sacrosancta synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit ac declarat, ut ipsa haec vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat."* [1] Concilium vero simul adjecit votum, ut sacra scriptura, potissimum vero haec vetus et vulgata editio posthac quam emendatissime imprimeretur.

Ut huic concilii voto satisfieret, *Joannes Hentenius* cooperantibus theologis Lovaniensibus novam Vulgatae editionem procuravit, in qua potissimum secutus est textum Roberti Stephani ann. 1540., in seligendis vero lectionibus codicum collatorum pluralitati palmam tribuit. Facultas theologica Lovaniensis hunc laborem non omni ex parte approbavit, sed textui auctoris ann. 1566. mortui partim in margine, partim in appendice adposuit lectiones variantes, ex antiquis manuscriptis, e prioribus editionibus, e textu originali et e versione Peschito collectas.

Attamen neque haec editio, praecedentibus multo praestantior, sedi apostolicae satisfecit; etenim lectionum variantium, quae in margine aut in fine erant adnotatae, farragine nemo non offendebatur; praeterea pontificibus Romanis erat persuasio, emendatam versionem latinam, quae usibus totius ecclesiae esset destinata, prodire non posse a viris privatis, sed a suprema ecclesiae auctoritate. Hinc *Pius IV.*, P. R. instituit virorum eruditorum congregationem, quae autem corrigendâ versione Septuag. per longiorem annorum seriem sub eodem pontifice et *Gregorio XIII.* tantopere tenebatur occupata, ut denum anno secundo *Sixti V.* de latina versione emendanda cogitare liceret. Congregationi injunctum erat restituere textum s. Hieronymi receptum. [2] Ad lectiones determinandas nonnulli codicum praestantissimorum (etiam Amiatinus) inserviebant; hisce dissentientibus Patrum scripta erant consulenda, et necessitate urgente, sed raro, textus originalis in subsidium vocandus, lectiones autem variantes a margine plane arcendi. *Sixtus V.* huic labori omnem suam attentionem et operam dicavit; nam non tantum judicium de muta-

---

[1] Cfr. Auctoris hermeneut. bibl. edit. III. p. 58—60.

[2] P. Ungarelli in opere: Annali delle scienze religiose, edito a De Luca Romae 1837., vol. IV. refert, a Sixto eosdem fere viros in congregationem esse vocatos, quos Pius IV. prius designaverat, nimirum: Caraffam Cardinalem, praesidem et directorem, doctores Laelium et Fulvium Ursini, Antonium Agelli, Robertum Bellarminum, P. Morinum, Valverdam (Hispanum) et Alanum (Anglum).

tionibus propositis sibi reservavit, sed etiam proprio marte lectiones hic ibi determinavit[1] et plagulas e prelo progressas ipse correxit.[2]

Haec editio, anno 1589. annunciata et ab eruditis avide exspectata prodiit anno 1590. una cum praemissa bulla: „*Aeternus ille*", in qua ad praeceptum decreti Tridentini emendata et authentica Vulgatae editio proposita, declarata et sancita est.

Verum opus hoc eruditorum etiam Romanorum nequaqnam omne tulit punctum, non quidem ob multa typi errata (quorum nonnisi 40 numerabantur et plura calamo aut in schedulis impositis correcta erant), sed ob nimiam libertatem, cui Sixtus in correctionibus suis indulsit. Quare *Gregorius XIV.* brevi post electionem suam (5. Decembris 1590.) novam instituit virorum eruditorum congregationem, ab initio e sex Cardinalibus et e duodecim consultoribus compositam. Horum censorum erat: restituere, quae in priore editione immerito omissa fuere, quae perperam assumta, resecare, et in specie rationem habere editionis Lovaniensis. Censoribus dissentientibus res ad Pontificem erat referenda. Gregorius tamen, licet serius ad opus accelerandum censorum minuisset numerum[3] et ad festinationem incitasset, morte abreptus *Innocentio IX.*, et hoc jam post duos menses fatis functo, *Clementi VIII.* reliquit honorem, labori huic finem imponendi[4] et editionem emendatam publicandi. Haec editio una cum bulla Clementis prodiit Romae 1592. fol. sub titulo: *Biblia sacra Vulgatae editionis Sixti V. P. M. jussu recognita et Clementis VIII. auctoritate edita.* In editionibus serioribus ann. 1593. 1598. et 1768. nonnullae correctiones additae sunt. Quamvis vero ne in hac quidem editione versio Vulgata originariae puritati esset restituta: id tamen effectum est, ut certa, firma et constans textus latini ad usus ecclesiasticos determinaretur forma, et a summa in ecclesia auctoritate in perpetuum valitura sanciretur.

Ceterum si nostra versio Vulgata cum codice Amiatino, cum commentariis s. Hieronymi in evang. Matthaei et in ep. ad Galatas comparetur, discrepantiae nonnisi minoris momenti inveniuntur, v. g. in permutatione particularum et, autem, in vocum transpositione et similibus.

---

[1] Hac in re consultorem adhibuit eruditum Franciscum Toletum e S. J. serius Cardinalem, Augustino Rocca vero correctio et typi directio erat demandata. Ungarelli l. c. e vita Sixti V. a Ghislieri scriptâ haec narrat: „Ceterum ipse Sixtus V. P. M. cum per eam emendationem sibi — haud satisfactum plerisque in Bibliorum locis censuisset, ex proprio marte, humiliter illi refragante Cardinali Caraffa, correctam Vulgatam in lucem Vaticanâ emisit impressione."

[2] In bulla: „Aeternus ille" Sixtus ipse dicit: „Eaque res, quo magis incorrupte perficeretur, nostrâ nos ipsi manu correximus, si qua prelo vitia irrepserant."

[3] Congregationis sodales remanserunt: Antonius Colonna et W. Alanus Cardinales, Barth. Miranda, Andr. Solvaner, Ant. Agelli, Rob. Bellarminus, Valverda, Lael. Landius, P. Marinus et Aug. Rocca, theol. doctores et linguarum cognitione insignes. Cfr. Annal. d. Scienz. rel. I. p. 418.

[4] Clemens ope trium Cardinalium: Aug. Valerii, Frid. Borromaei et praecipue Francisci Toleti laborem ad finem perduxit medio anno 1592. Cfr. l. c. I. p. 423. seqq. et 431.

### 2. Versiones syriacae.

### §. 57.

#### a) Versio Peschito.

Inter versiones syriacas antiquissima et memoratu dignissima est *Peschito*, simplex, procul dubio ideo dicta, quia non exprimit sensum allegoricum, doctum aut periphrasticum (midrasch), sed historico-logicum (paschut, peschito).

*Patria* hujus versionis non est quaerenda in occidentalibus Syriae regionibus; nam aevo apostolico et proxime secuto in Palaestina dialectus aramaica erat vernacula, et in Syria Antiochensi atque Damascena primis fidei saeculis lingua graeca in civitatibus, ubi religio christiana maxime florebat, adeo late erat propagata et usitata, ut versione N. T. syriaca non esset opus. Ast trans Euphratem, in Mesopotamia septemtrionali, ubi copiosae ecclesiae mature florebant, lingua graeca cognita quidem, et saec. III. et IV. in praecipuis civitatibus vel scholae graecae erant erectae; attamen lingua syriaca populi erat vernacula et ruri sola cognita, ita ut *Edessae* praeter graecam etiam syriaca frequentaretur schola. Quare versio Peschito procul dubio orta est *Edessae*, et quidem, si non prius, saltem post medium saec. II. Etenim scriptores ecclesiae syriacae saeculi II. et III., ut *Bardesanes* contra Marcionem et alias haereses,[1] et *Harmonius* ejus filius,[2] in lectoribus Syris accuratiorem supponunt librorum N. T. cognitionem; versio Peschito jam a s. Ephraemo dicitur *„nostra"*, ergo antiqua;[3] libri quinque, qui in hac versione deerant, tempus originis ejus tale indicant, quo Canon nondum erat fixus; denique omnes sectae serius enatae hanc versionem retinuerunt, quod nonnisi ex veneratione ejus ob antiquitatis praerogativam explicari potest.

Ut Italae, ita etiam versionis Peschito *auctor incognitus est*. Traditio Syrorum nominat *Adai* Apostoli, i. e. Judae Thaddaei discipulos,[4] et in specie *Aghai* evangeliorum versorum auctorem. Attamen haec incerta sunt, et non nituntur, nisi auctoritate Gregorii Barhebraei, etiam Abulfaradsch dicti, qui demum saec. XIII. vixit.[5] Unum eundemque auctorem omnes hujus versionis libros transtulisse, indoles ejus ubique aequalis docet. Utrum ab eodem auctore, qui se linguae graecae et syriacae peritissimum ostendit, etiam versio syriaca V. F. sit confecta, incertum est.

Versionem Peschito prodiisse *e textu graeco*, docent $\alpha$) voces et

---

[1] Eus. h. e. IV. 28. praeparat. evang. VI. 10. s. Hieronym. de viris illust. c. 33.
[2] Theodoret. h. e. IV. 29. Assem. bibl. orient. tom. I. p. 48.
[3] Ephraem. opp. tom. I. p. 380.
[4] In subscriptione evangelii syr. legitur: „Absolutus est sanctus ille liber anno Graecorum 389. (p. Ch. 78.) propria manu Achaei Apostoli, socii Mar Maris, discipuli Mar Adaei Apostoli." Assem. bibl. or. II. 486.
[5] Barhebraeus thesaurus arc. praefat. et Wisemann hist. dynast.

expressiones graecae imo et latinae, ubi in graeco textu adsunt, praeter necessitatem retentae, v. g. Mt. c. 27. τιμή, ἀργός, ξένος, ἡγέμων, βῆμα, στρατιῶται, σπεῖρα, χλαμύς, πρόςωπον, λησταί, σπόγγος, φραγέλλωσας, πραιτώριον, κουστωδία; β) errores quidam a versore commissi, qui nonnisi e permutatione vocabulorum similium graecorum explicari possunt, v. g. Luc. 14, 31. ἑταῖρος pro ἕτερος, Mr. 6, 1. ἐκολλήθησαν pro ἀκολούθουσιν, Act. 18, 7. ὄνομα Τίτου τοῦ σεβομένου pro ὀνόματι Ἰούστου σεβομένου.

Textum graecum versor requebatur *Palaestinensem*, qui cum Alexandrino et ideo cum Itala fere concordat. Sic v. g. Mr. 1, 2. legit ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ (text. rec. ἐν τοῖς προφήταις), et ibid. post ὁδόν omisit ἔμπροσθέν σου; v. 5. πάντες, καὶ ἐβαπτίζοντο (text. rec. καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες); v. 11. ἐν σοὶ (text. rec. ἐν αὐτῷ). Lectiones peculiares, quae rarissime occurrunt, non tam e textu graeco ortae censendae sunt, quam e libertate, cui auctor ob perspicuitatis finem nonnunquam indulsit. Ubicunque textus graecus accurate transferri potuit in syriacum, ille ad verbum redditur; quod si fieri non potuit, sensus exprimitur, v. g. Mt. 6, 11. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον vertit per: panem indigentiae nostrae; I. Tim. 3, 6. νεόφυτος per: recens discipulatu suo. Frequentius in libris didacticis quam in historicis voces breviores, v. g. particulae οὖν, μέν, δέ, γάρ negliguntur, difficiliores omittuntur, ut Luc. 6, 1. δευτεροπρώτῳ. Praeterea sententiae generales in clariores convertuntur, ut Act. 2, 42. καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου redditur per: et in fractione eucharistiae; Act. 17, 27. εἰ ἄρα ψηλαφήσαιεν αὐτὸν καὶ εὕροιεν per: exquirerentque Deum et ab ipsius creatura invenirent eum. Ob sensus claritatem saepe textus circumscribitur, et constructiones difficiliores clariores redduntur, v. g. I. Cor. 7, 6. 7. τοῦτο δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην — — ὡς ἐμαυτόν amplificatur per: haec autem dico tanquam infirmis — — siquidem ego velim omnes homines esse, sicuti sum puritate; II. Tim. 2, 6. καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς παγίδος τοῦ διαβόλου per: et reminiscantur sui ipsorum et liberentur ex laqueo diaboli.

Sedulâ monachorum Syrorum operâ multa manuscripta accurate et eleganter confecta nobis sunt servata, quae in diversis Europae bibliothecis reposita inveniuntur. Textus et scriptura fere in omnibus aequalis est, ut etiam divisio in lectiones ad usus ecclesiasticos et in capita, quae numero 165 continuâ serie per tria volumina decurrunt, et quorum evangelia 78 continent, actus Ap. cum epistolis cathol. 32, epistolae Paulinae 55. Non desunt etiam capita Ammonii et canones Eusebii, plerumque autem desideratur pericopa Jo. 7, 53—8, 11. et I. Jo. 5, 7. [1]

---

[1] Editio princeps et fundamentum sequentium erat adornata ab Alberto Widmanstadt, caesareo cancellario. Ignatius, patriarcha Jacobitarum Syrorum, anno 1553. ablegavit Mosen presbyterum Romam, ut cum Julio III. P. M. unionem fidei restitueret, et versionem Peschito prelo submittendam curaret. Quod Moses neque Romae, neque Venetiis impetravit, intercedente cancellario dicto ei contigit munificentiâ Ferdinandi, regis Rom. et postea imperatoris hujus nominis I. Textus 22 librorum eleganter et accurate impressus est e duobus antiquissimis codicibus sub titulo: Liber ss. Evangelii de Jesu Christo Domino et Deo nostro, D. Ferdinandi,

## §. 58.

### b) Versio Philoxeniana.

Omnes quidem Syri patriarchatus Antiochensis antiquam versionem Peschito ad usus ecclesiasticos constanter retinebant; attamen ad fines exegeticos haec serius non sufficere videbatur. Syri enim cis Euphratem degentes, Monophysitae et Jacobitae, in continuo nexu erant cum Graecis, horumque codices et scripta exegetica diligenter legebant et brevi inveniebant, versionem Peschito justo liberiorem textum originalem non adeo accurate reddere, ut exegetae votis satisfaceret.[1] Quare serius de alia versione magis accuratâ cogitarunt. Hanc anno 508. confecit *Polycarpus* chorepiscopus,[2] provocatus a *Philoxeno* seu *Xenaja,* episcopo Monophysitarum Hierapolitano (Mabug).[3] Polycarpi studium eo erat directum, ut textum originalem accuratissime repraesentaret; hinc non tantum ad verbum reddidit, sed etiam Graecorum articulum, pronomen *αὐτοῦ* et similia contra genium linguae syriacae peculiaribus vocibus expressit. Versio haec omnes nostros N. T. libros et psalterium complectebatur.[4]

Attamen hujus versionis anno 616. revisio est facta a *Thoma Charklensi* seu *Heracleensi* (in Palaestina),[5] episcopo Germaniciensi,

---

Rom. Imp. design. jussu et liberalitate, characteribus et lingua syra Jesu Christi vernacula — — scriptorio prelo diligenter expressa Viennae Austr. 1555. Editio haec in nonnullis locis correcta ann. 1572. literis syr. et hebr. transiit in polyglotta Antwerpiensia.

Alteram editionem, in subsidium vocato codice Heidelbergiensi, literis hebr. et cum vers. lat. procuravit Emmanuel Tremel: *Ἡ καινὴ διαθήκη,* Testamentum Novum, חדתא דיתיקא. Excudi fecit Henr. Stephanus anno 1569. — Aliae editiones memoratu digniores sunt:

Novum D. N. J. Ch. Testamentum syr. cum vers. lat. ex diversis editionibus diligentissime recensitum — — a Martino Trostio 1621. Goth. Anhalt.

Editio haec assumta est in polyglotta Parisiensia 1645. et in Londin. 1657. additis etiam 4 epistolis cath. et apocal., a Ludov. de Dieu et a Pokoke interea vulgatis Lugd. Bat. 1627. et 1630.

Novum D. N. J. Ch. testamentum syr. cum punctis vocalibus etc. accurante Aegid. Gutbirio. Hamburg. 1654. et 1667.

Novum D. N. J. Ch. testam. cum vers. lat. curâ et stud. Joann. Leusden et Carol. Schaaf. Lugd. Bat. 1708. et 1717.

Novum testam. syr. et arab. Romae typ. sacrae congregat. de propaganda fide 1703. 2 tom. fol.

Novum testam. syr. denuo recognit. atque ad fidem mss. emendat. Londini impensis societ. ob bibl. sacra 1816. 4.

Cfr. Wichelhaus: De N. T. versione syriaca, quam Peschito vocant, lib. 4. Halae 1850.

[1] Cfr. Assem. bibl. orient. tom. II. p. 53.

[2] Cfr. op. cit. tom. II. p. 83.

[3] Op. cit. tom. I. p. 352., tom. II. p. 10., tom. III. part. 1. p. 383.

[4] Plura ad nos pervenerunt versionis hujus manuscripta, quorum maxime completum e bibliotheca Ridley Angli accurate et eleganter imprimendum curavit White. Prof. Oxon. ibidem 3 tomis 1778. (evv.), 1793. (act. et epp. cath.), 1803, (epp. Paul.). Apocalypsis, quae in codice syr. deest, ex editione Ludovici de Dieu est repetita.

[5] Op. cit. tom. II. p. 91. et 334.

qui a sede sua pulsus Alexandriae vitae dies transegit in monasterio s. Antonii, et ibidem ad versionem Philoxenii emendandam adhibuit duo (aut juxta alios tria) exemplaria graeca, ut ipse ad finem operis dicit, valde accurata et correcta.[1] — Ut e fragmentis residuis patet, Thomas textum accuratissime reddendi studio ipsum devicit Polycarpum, et codicum suorum variantes vel in margine adnotavit, vel textui inseruit. Utrum obeli et asterisci jam a Polycarpo, an a Thoma Charkl. descendant, determinari nequit.

## §. 59.

### c) Versio Syro-palaestinensis.

In lectionario syriaco inventae sunt pericopae e quatuor evangeliis secundum dies dominicos et festos totius anni dispositae. Ob scripturam et linguae indolem versio haec Syro-palaestinensis seu Hierosolymitana vocatur. *Fons* ejus erat textus graecus, ut elucet ex orthographia nominum propriorum textus graeci, quorum flexio retenta est, et e vocibus graecis praeter necessitatem retentis, ut *τραπεζίτης, ἀντίδικος, βουλευτής, κεράμων* al.

*De aetate* nihil certi constat. Ob indolem textus et interpretandi rationem intra saec. IV. et VI. origo ponitur. — Codex ille unicus hucusque inventus scriptus est anno 1030. Antiochiae in monasterio Mosis abbatis prope terram sanctam. Versio haec non est libera, ut Peschito, neque verbalis, ut Philoxeniana. Lectiones ejus frequentissime cum codice B et D concordant.[2]

## §. 60.

### 3. Versiones persicae.[3]

In Persia religio christiana jam mature, et quidem vel per Apostolos, vel per immediatos eorum discipulos propagata erat. Indigentiis Christianorum, qui in regionibus Mesopotamiae vicinis degebant, versio Peschito satisfaciebat, cum Edessae schola persica eum in finem esset erecta, ut clerus ibidem Syrorum edoceretur literas scientiasque. Ast religio Christi in regionibus Persiae interioribus jam saec. II. multos numerabat asseclas, ita ut supponere

---

[1] „Translatus autem fuit liber hic ss. evangeliorum e graeco sermone in syriacum studio accuratissimo summoque cum labore primum quidem in urbe Mabug diebus religiosi Mar Philoxeni confessoris, ejusdem urbis episcopi; postea vero collatus fuit studiosissime a me paupere Thoma ad tria (alii: duo) exemplaria graeca valde accurata correctaque in Anton magnae urbis Alexandriae in s. Antonii monasterio, ubi et ipsum mihi exaravi pro peccatricis animae meae utilitate et beneficio multorum. — — Scriptus autem collatusque fuit anno Alexandri 927 (616. aer. vulg.), indictione quarta.“ Assem. l. c. tom. II. p. 93. et 334.

[2] Cfr. Adler: Novi testamenti versiones Syr.: Simplex, Philoxeniana et Hierosolymitana denuo examinatae. Hafniae 1759.

[3] Non ob majus momentum aut propter antiquitatem, sed fontis ratione habita hae versiones praecedentibus immediate adjunguntur.

liceat, in his provinciis versionem persicam jam mature esse ortam. Et revera s. Chrysostomus (homil. 2. in Joannem) ejusmodi versionis facit mentionem, quae autem ad nos non pervenit. Versiones evangeliorum persicae, quae adhuc praesto sunt, *post Persiae occupationem* per Arabes demum ortae erant; nam lingua persica est recentior cum vocibus arabicis mixta, et literarum characteres sunt arabici.

Confecta est haec versio, quae in polyglottis Londinensibus continetur, e syriaca Peschito, ut patet e lectionibus peculiaribus, quas cum illa habet communes, et ex erroribus in vertendo commissis, quae nonnisi e textu syriaco explicari possunt. Sic v. g. Jo. 4, 46. vocem βασιλικός, quam Peschito reddit per abde malcho (servus regis), versor persicus nomen proprium habuit et vertit per Abdolmelik. Critico et exegetae exiguas adfert suppetias. Minoris adhuc momenti est alia versio quatuor evangeliorum ex originali graeco confecta, cujus vero textus, cum praeter duos codices graeco-persicos etiam versionem syriacam adhiberent, ab editoribus non purus prelo submissus est.[1]

## §. 61.

### 4. Versiones Aegyptiacae.

Post Alexandri M. tempora lingua graeca in Aegypto adeo invalescebat, ut Alexandriae et in regionibus confinibus vernaculam plane expungeret, et in remotioribus quoque regionibus antiquae Aegyptiorum linguae praeter literarum characteres multas voces ac constructiones obtruderet, unde idioma sic dictum *copticum* (probabiliter ab urbe Koptos in Aegypto superiori) enatum est, quod ipsum in diversas dialectos erat divisum. Quum vero Ptolomaeorum dynastia circa tempora Christi regnare cessasset, lingua vernacula denuo dominans evasit, graecâ ad solam Alexandriam fere repressâ; hinc versionibus librorum N. T. opus erat, et revera factae sunt tres:

1. *Thebaica* seu *Sahidica* superioris Aegypti, cujus tamen nonnisi fragmenta supersunt, et in qua mirus cum codd. D, L aliisque antiquissimis et cum vers. Peschito invenitur consensus.

2. *Memphitica* seu inferioris Aegypti, quae totum N. T. complectitur, et cum codd. ABCDZ, Syr. Ital. concordat. Denique

3. supersunt fragmenta versionis *Baschmuricae* seu *Ammoniacae*, quae cum Sahidica, exceptâ dialecto plerumque concordat et ideo ex eadem promanavit; attamen nonnullae lectiones diversae etiam usum codicum graecorum indicant.

*Aetas* harum versionum certo determinari nequit; probabiliter tamen saec. III. confectae sunt; nam

*a*) testante Athanasio *Pachomius* monachis thebaicis praecepit, ut regulam ipsis praescriptam et sacram scripturam, praecipue N. T. legerent. Jam vero regulam eis aegyptiace scripsit, quod supponit, linguae graecae aut plane non, aut saltem non omnes monachos fuisse

[1] Primo evangelium Matthaei editum est ab Abr. Wheloc Londini 1652. fol., dein omnia quatuor evangelia a Pierson Lond. 1657. fol.

gnaros. Ut itaque omnes s. scripturam legere possent, jam adesse debuit versio coptica.

*b*) *S. Antonius*, Pachomii magister, teste Palladio graecae linguae ignarus erat; nam cum hominibus graecis collocuturus interprete opus habuit; et tamen annos 20 natus (ann. 271. p. Ch.) praelectis in ecclesia verbis Mt. 19, 21. motus est ad valedicendum mundo. Lectio itaque librorum N. T. in ecclesia fieri debuit e versione aegyptiaca. Praeterea Antonius ad diversa monasteria misit apostolici sensus sermonisque epistolas septem aegyptiace scriptas, et eandem ss. literarum cognitionem prodidit in allocutione ad monachos in nomo arsinoitico et serius in sermonibus ad anachoretas in Thebaide habitantes; ergo ei quoque versio coptica nota fuerit, necesse est.

Fons harum versionum, si excipias Baschmuricam, erat textus graecus; cum hac enim consentiunt contra lectiones tam versionum latinarum, quam syriacae Peschito, quae solae sunt antiquiores.

## §. 62.

### 5. Versio Armenica.

Armenii et Syri ut historiâ suâ politicâ a longo jam tempore, ita et post conversionem suam ad Christum religione in arctiori nexu erant positi.[1] Nam Armenii eosdem Apostolos et viros apostolicos suos nominant evangelii praecones, quibus Mesopotamii suam conversionem adscribunt; praeterea Armenii eundem cum Syris agnoverunt patriarcham Antiochensem, eisdem utebautur ritibus sacris, et ipsam scripturae formam a Syris et Persis mutuati, et in publicis praelectionibus versione Peschito usi sunt, ita ut pericopae recitatae in linguam patriam transferrentur. Id ipsum vero absente idoneo interprete multas paravit difficultates et incommoda populo.[2] Quare ecclesiarum antistites non poterant non summam agnoscere versionis patriae necessitatem. Ejusmodi versionis desiderio diu noctuque inprimis agitabatur *Mesrobes Haseconensis* in provincia Taron, linguae graecae peritus, vitae asceticae deditus, ecclesiae lector et interpres. Quare precibus adiit *Isaacum*, patriarcham recenter electum, ut Armeniis propria scripturae inveniretur forma. Quod diu frustra erat quaesitum, demum Mesrobi pie precanti in visione manifestatum esse traditur, nimirum alphabetum armenicum, cum apud *Ruphanum*, s. Epiphanii discipulum, Samii versaretur. Uterque igitur statim manum admovit ad

[1] Moses Chorenensis historiae arm. libri III, edidit Guilielm. et Georg., Jul. Whistoni filii, Lond. 1736. et Histoire critique des versions du N. T. par Richard Simon, qui c. 27. pag. 203. seqq. adhibuit opus ab episcopo Erivan. in latinam ling. versum, cujus manuscriptum Parisiis asservatur: Vita s. Mesrobi.

[2] Moses Choren. l. c. III. 27. dicit: „Beatus autem Mesrobes non parvam molestiam inter docendum ex eo cepit, quod ipse tum lector tum interpres erat, neque a populo intelligi potuit, si quis forte eo absente legisset. quoniam quidem non aderat interpres.“

versionem armenicam, et primum proverbia vertit circa annum 406. p. Ch.

Isaacus patriarcha, a Mesrobe reduce hanc rem edoctus et valde laetatus, consentiente rege Uram *Scavu*, absque mora in Armeniae partibus, quae ad Persiam pertinebant, scholas erigere decrevit, in quibus nova scribendi ratio traderetur, dum Mesrobes eundem ob finem in Iberiam et Albaniam abiret.

Reversus Isaacum patriarcham versione N. T. armenica, ob defectum codicum graecorum e Peschito conficiendâ occupatum invenit, eique una cum duobus discipulorum suorum, *Josepho* et *Eznach*, in hoc negotio adjutrices attulit manus. Josephus et Eznach, ad concilium Ephesinum anno 431. missi, una cum actis hujus synodi et epistola episcoporum de Nestorii erroribus etiam correctum exemplar graecum librorum sacrorum secum attulerunt. Isaac igitur et Mesrobes majori adhuc studio versioni armenicae e textu graeco adornandae operam navarunt, brevi autem sufficientem sibi deesse linguae graecae cognitionem animadvertentes Josephum et Eznach Alexandriam miserunt, ut accuratiorem sibi pararent linguae cognitionem; quibus reversis labor denuo susceptus, et adscito Mose Chorenensi, Armeniorum historiographo, feliciter ad finem deductus est.

Versio haec non tantum verborum textus graeci tenax est, sed etiam dictionis puritate eminet, quod ob affinitatem linguae armenicae cum proprietatibus graecae facilius effici potuit. Apocalypsis ab origine non erat versa, sed demum, ut e lingua colligere licet, saec. VIII. est addita.

Manuscripta hujus versionis multas continent lectiones variantes, quare neque editiones concordant. Auctores secuti esse videntur textum mixtum e codicibus Ephesino et Alexandrinis, nec non e versione Peschito.

Saeculo XIII. Armenii ad unionem cum Latinis reversi sunt, et illorum rex *Haito* versionem patriam juxta Vulgatam latinam immutasse dicitur.[1] Attamen codices armenici post tempora regis illius exarati huic sententiae adversantur; hoc solum affirmare licet, e versione latina I. Jo. 5, 7. 8. in nonnullis codicibus esse receptum.[2]

*In Iberia* (nunc Georgia) religionis christianae semina tempore Constantini M. erant sparsa, et per Mesrobem supra laudatum latius propagata. Idem Mesrobes scripturam armenicam a se inventam linguae ibericae seu grusinicae accommodavit, et procul dubio ad conficiendam versionem ibericam excitavit, quae autem demum post saeculum elapsum confecta est e textu graeco. Codices hujus versio-

[1] Hug: Einleitung I. 402.

[2] Primam editionem totius s. scripturae juxta praeceptum synodi arm. 1662. curavit Uscanus, Armeniorum episcopus, a sede sua Usci sic vocatus. Amstelod. 1666., N. T. separatim prodiit ibid. 1668. Alia editio omnium libr. bibl. prodiit Constantinopoli 1705.; aliam prodire fecerunt Mechitaristae armenici Venetiis 1789. et repetitâ vice 1816. Ibidem etiam 1805. quatuor tomis e 20 circiter manuscriptis adornata est editio critica.

nis valde discordant, et textus editionis ejus e versione slavica est interpolatus.[1]

§. 63.

**6. Versio Aethiopica.**

Commercium liberum, quod imperante Constantino M. inter provinciarum Romanar. cives et nationes exteras erat concessum, non tantum mercaturae inserviebat promovendae, sed etiam ad itinera scientifica adhibebatur. Sic *Merops*, Phoenix eruditus Tyro oriundus, iter suscepit ad Aethiopes seu Indos. Quum autem reverteretur, navis ab incolis occupata, spoliata et Merops cum omnibus suis trucidatus est exceptis duobus juvenibus, *Aedisio* et *Frumentio*, qui capti ad regem ducebantur. Eorum eruditio ipsis brevi conciliavit favorem principis, et utrique munera aulica sunt concredita. Testamento regis libertate donati rogante regiâ viduâ in Aethiopia remanserunt, et usque ad tempus, quo successori adolescenti regiminis habenas capessere licuit, regnum administrabant. Illo jam tempore causae christianae consulere non neglexerunt; nam Christianos dispersos inquirebant et colligebant, mercatores e provinciis Romanis navi adventantes amice invitabant, ecclesias aedificabant et cultum divinum more patrio celebrabant. Cum tandem princeps thronum conscendisset, absque ullo impedimento reversi sunt, et quidem Aedisius Tyrum, Frumentius vero Alexandriam, ubi s. Athanasium de progressibus fidei christianae inter Aethiopes certiorem reddidit. Athanasius jam Frumentium Aethiopum episcopum ordinatum remisit, ut opus coeptum continuaret. Praedicationibus et multis miraculis Frumentii Aethiopes ad fidem Christi amplectendam moti sunt, eorumque districtus ecclesiae matri Alexandrinae subjectus.[2]

Lingua Aethiopum seu Abessiniorum in plures dialectos erat divisa; tempore autem Frumentii reges in urbe Axum residebant et dialectus provinciae ejusdem nominis principatu gaudebat. Hujus dialecti versio aethiopica, procul dubio saeculo IV. confecta est, et haec etiam constanter retenta, cum sub finem saec. XIII. reges stirpis Sewa sedem mutassent, dialectus urbis Axum amharicae locum cedere cogeretur et hujus idiomatis versio esset confecta.

Martyrologium aethiopicum quemdam *Aba Salama*, unum e primis et optime meritis hujus gentis evangelii praeconibus, nominat eum, qui libros legis et evangelii e textu arabico esset interpretatus. Attamen versorem textum graecum prae oculis habuisse, certum est; nam versio cum textu graeco vel in ordine vocum consentit; dein quidam errores a versore commissi nonnisi ex originali graeco explicari possunt. Sic auctor Mt. 5, 25. *εὐνοῶν* cum *ἐννοῶν* permutavit;

---

[1] De manuscriptis in monasterio s. Crucis Hierosolym. cfr. Scholz: Biblisch-critische Reise p. 148. et Tischendorf: Reise in deu Orient II. p. 69.

Editiones: Biblia georg. V. et N. T. Moscuae in suburbio Svenzga 1742.; ibid. adhibitis novis typis gerusinis 1816. et a societ. bibl. Londini 1818.

[2] Cfr. Theodoret. h. e. I. 23. Socrates h. e. I. 19. Sozomen. h. e. II. 24.

Luc. 8, 29. *πέδαις* cum *παιδίοις*; Act. 2, 37. *κατενύγησαν* cum *κατηνοίχθησαν*; I. Cor. 12, 28. *οὕς* cum *οὖς* et similia. Etiamsi itaque translator versionem arabicam adhibuerit, praecipue tamen textum graecum secutus est.

Plura adhibita esse textus graeci manuscripta, inde patet, quod interdum duae exhibentur lectiones variantes, ut Luc. 6, 48. *τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν — καὶ τεθεμελίωτο καλῶς*; Jo. 6, 69. *ὁ Χριστὸς ὁ ἅγιος, — ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ζῶντος.*

Textum graecum familiae fuisse Alexandrinae, inde jam colligitur, quia Frumentius ab Athanasio Alex. episcopus ordinatus est, et cum patriarchatu Alexandrino unionem ecclesiasticam iniit, indeque codices graecos sibi paravit.[1]

## §. 64.

### 7. Versiones Arabicae.

Inde a saec. III. in partibus Arabiae septemtrionalibus multi Christiani vixerunt, et tempore Valentis imperatoris e Saracenis seu Arabibus, qui ad orientem, septemtrionem et meridiem Palaestinae degebant, non pauci ad Christum conversi sunt.[2] Licet jam in nominatis etiam ditionibus lingua graeca esset propagata, plebis tamen maximae parti erat incognita, et ideo versio arabica necessaria. Ejusmodi versionem

1. quatuor evangeliorum saeculo IV. aut prius esse factam, non quidem e verbis biblicis Corani,[3] sed inde colligere licet, quod serius in Syria et in Aegypto nonnisi reliquorum N. T. librorum versiones arabicae sunt exaratae, non autem evangeliorum, quorum itaque versio antiquior erat adoptata. Versionem hanc promanasse e textu graeco, docet accuratior hujus repraesentatio, si ordinem vocum et etymologiae graecae imitationem spectes; idem patet ex erroribus, qui nonnisi ex originali graeco apte explicantur. Sic v. g. versor

---

[1] Versio aethiopica imperfecte edita est a duobus clericis aethiopicis, qui manuscriptum Romam attulerant, Romae 1548. et 1549. 2 tom. 4. In titulo editores linguâ aethiopicâ lectores ita alloquuntur: „O patres mei et fratres mei! nolite sinistre interpretari menda istius (editionis); qui enim impresserunt, nesciverunt legere, nos autem nescimus imprimere. Itaque juverunt nos et nos juvimus illos, sicut coecus coecum juvat. Propterea ignoscite nobis et illis.“ — Post actus Ap. legitur: „Ista acta Apostolorum maxima ex parte versa sunt Romae e lingua Romana et graeca in aethiopicam propter defectum archetypi; id quod addidimus vel omisimus, condonate nobis, vos autem emendate illud.“ Textus hujus editionis transiit in polyglotta Londinensia, et in nonnullis emendatus in editionem: Novum testamentum aethiopice cum versione latina Dudlei Loflusii ab Edm. Castello recognita, Londin. 1657. fol. — Singuli libri a pluribus prelo sunt submissi.

Versionis amharicae nonnisi fragmentum ev. Lucae innotuit. Cfr. J. E. C. Schmidt: Beitrag zur Kenntniss der amharischen Uebersetzung in seiner Bibliothek für Kritik, Exegese und Kirchengeschichte I. part. p. 307. seqq.

[2] Cfr. Theodoret. h. e. IV. 23. Socrat. h. e. V. 36. Sozomen. h. e. VI. 39.

[3] Was hat Mohamed aus dem Judenthum aufgenommen? von Abrah. Geiger Bonn 1833. et Adalbert Maier in dissertatione: Christliche Bestandtheile des Corans in: Freiburger theolog. Zeitschrift 1839. Bd. II. Heft 1.

Luc. 3, 1. vocem *τετραρχοῦντος* reddidit per: dum esset princeps super quartam partem Galilaeae, Itureae etc.; Mt. 22, 4. loco *καὶ τὰ σιτιστά* legit *κατασιστοι;* Mr. 4, 19. *αἷς πορευόμενοι* loco *εἰςπορευόμενοι;* Jo. 5, 2. voces graecae: *ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα* retentae sunt. Textus graecus familiae erat orientalis. Versio haec serius mutationes varias subiit e versionibus syriaca et coptica, quarum margini erat adscripta, nec non e textu graeco;[1] quare non obstante antiquitate in re critica minoris est momenti.[2]

Post Muhamedis mortem dynastae moslemici imperium suum igne et ferro et eo cum successu dilatarunt, ut populis devictis vel linguam suam obtruderent. In Syria, in Aegypto et in Hispania lingua vernacula in cultu quidem divino retinebatur; ast vulgus illius brevi ignarum in vitae quotidianae commercio arabice loquebatur, ideoque in terris nominatis versionis arabicae necessitas est orta tum ad interpretationem versionis patriae antiquioris in praelectionibus ecclesiasticis, tum ad usus privatos. Et reapse non rari sunt codices syro-arabici, coptico-arabici et latino-arabici. In specie vero

2. Versio immediata actuum, epistolarum et apocalypseos, quae in Parisiensibus et Londin. polyglottis continetur, ob peculiaritates, quales in evangeliorum versione prius nominatâ non inveniuntur, alium prodit auctorem et probabiliter Cyrenensem; nam ad verba Act. 2, 10. *τὰ μέρη τῆς Λιβύης κατὰ Κυρήνην* adjecta est glossa: *„regio in Africa, quae nobis patria est"*; procul dubio etiam serioris est originis. Textus est familiae Constantinopolitanae, vario autem modo corruptus.

3. In Erpenii editione N. T. arabica anni 1616. continetur versio actuum, epistolarum Pauli, Jacobi, I. Petri et I. Joannis, quae ex syriaca Peschito promanavit. II. et III. ep. Joannis, II. Petri et illa Judae cum versione syriaca seriori jam concordant, jam ab ea discedunt; apocalypsis e textu coptico versa est.

4. In codice coptico-arabico Parisiensi (nro. 17.) legitur versio arabica evangeliorum e textu graeco usitata (supra 1.) et epistolarum Paulinarum e textu coptico.

5. In Hispania, cujus plures provinciae ab Arabibus inde ab anno 711. erant occupatae, Joannes Hispalensis e textu latino s. Hieronymi arabicam adornavit versionem, quae autem prelo nondum est submissa.[3]

---

[1] Codex arabicus in caes. biblioth. Viennae (Lambes. Nr. 34.) in margine et inter lineas fontes diversarum lectionum designat per: Syrus, Coptus, Rumius; et codex Parisiensis (Nro. 27.) continet adnotationem, eum ex optimis exemplaribus syris, rumenis, copticis et arabicis esse emendatum.

[2] Editiones: Evangelium sanctum Domini nostri Jesu Christi conscriptum a quatuor evangelistis sanctis, i. e. Matthaeo etc. Romae in typographiaMedic. 1591. fol., alterâ vice 1619. et tertiâ cum vers. lat. 1774. Editio secunda transiit in polyglotta Paris. et in Londinensia. — Novum D. N. J. Ch. Testamentum arabice, ex biblioth. Leidensi edente Thoma Erpenio Leid. 1616. — Novum test. syr. et arab. (text. carsciun.) Rom. 1703. fol.

[3] Mariana de rebus hisp. VII. 3.: „Joannes Hispalensis praesul divinos libros lingua arabica donabat utriusque nationis saluti consulens, quoniam arabicae linguae multus usus erat Christianis aeque atque Mauris; latina passim ignorabatur."

## §. 65.

### 8. Versio Gothica.

Inter stirpes Gothicas, quae saeculo II. p. Chr. e Scandinavia migrantes usque ad Pontum euxinum et ad Danubium inferiorem penetraverant, religio christiana mature egit radices et fecit progressus. Primi evangelii praecones inter Gothos erant sacerdotes christiani, quos Caracallâ et praecipue Gallieno imperantibus in Asiam minorem et in terras trans Danubium irrumpentes [1] captivos abduxerant. [2] Theophilus, Gothorum episcopus, concilio Nicaeno I. interfuit, et fidei symbolum subscripsit. [3] Ulfilas, circa annum 348. illius successor, [4] cum princeps Gothorum ethnicus anno 355. fidelium gregem severe persequeretur, Constantio imperatore annuente copiosas turbas trans Danubium duxit in Moesiam et Thraciam, ubi eis domicilia erant concessa. Idem *Ulfilas*, cujus ingenium et eruditio celebratur, et qui summâ auctoritate gaudebat, gregem suum ab orthodoxa fide ad Arianismum aut saltem ad Semiarianismum abduxit; idem vero etiam characteres literarum gothicos iuvenit, et praeter alia scripta graeca et latina V. et N. T. in linguam gothicam transtulit. [5]

*Fons* hujus versionis erat textus graecus; nam 1) Gothi saec. IV. sedes in vicinia Byzantii habebant, et Ulfilas frequenter ad imperatores graecos ablegatus est. Extra dubium vero illud collocatur 2) per textus ipsius indolem; etenim auctor etymologiam vocabulorum graecorum exprimere studet; sic Mr. 12, 33. vocem ὁλοκαυτώματα reddit per allbrunstim; Jo. 7, 2. σκηνοπηγία per haletrastakeins; Jo. 10, 22. ἐγκαίνια per innjugita. Praeterea errores quidam in vertendo commissi non explicari possunt, nisi e permutatione vocabulorum graecorum. Sic Jo. 16, 6. versio habet gadaubida (betäubet) pro usfullida (gefüllet), quia verbum πεπλήρωκεν cum πεπώρωκεν permutavit. — Est itaque versio haec immediata e textu byzantino, successu temporis autem etiam assumtae sunt lectiones e versione latinâ, quod nonnulli jam ab Ulfila factum esse suspicantur.

Hucusque sequentes hujus versionis codices inventi sunt:

1. *Codex argenteus* ideo sic dictus, quia majoribus literis uncialibus venustis et argenteis in membrana tenuissima coloris purpurei in 4to scriptus est. Lineae primae singulorum evangeliorum et prima linea cujusvis pericopae literis aureis scripta est. In multis locis mutilus in foliis 188 dimidiam circiter partem evangeliorum hoc ordine continet: Matthaei, Joannis, Lucae et Marci.

Codex hic, sub finem saeculi IV. aut initio V. scriptus in Italia, asservabatur in Westphalia in abbatia Werden, in bello vero tricen-

[1] Eutropius Breviar. IX. et Cfr. Moehler Patrologie p. 651.
[2] Sozomen. h. e. II. 6. Philostorg. h. e. II. 15.
[3] Socrat. h. e. II. 41.
[4] Waitz: Ueber das Leben und die Lehre des Ulfilas, Hannov. 1840.
[5] Socrat. h. e. II. 33. Cassiodor. hist. tripart. VII. 13. Jornandes de rebus Gotic. c. 51.

nali Pragam delatus est. Micropragâ anno 1648. a Suecis occupatâ cum aliis rebus pretiosis incidit in manus Koenigsmarkii, qui illum Stockholmium misit, ubi in bibliotheca regia repositus, serius vero in Belgiam delatus est, ubi eum Magnus-Comes Gabriel de la Gardie ab Isaaco Voss, qui eum a Christina regia probabiliter dono acceperat, quadringentis imperialibus emit, et Universitati Upsalensi custodiendum transmisit, ubi asservatur.[1]

2. *In bibliotheca Guelpherbitana* in codice rescripto, qui origines Isidori Hispalensis continet et saec. circiter IX. scriptus est, inventa sunt fragmenta gothica, et quidem epistolae ad Romanos.[2]

3. *Angelus May* anno 1817. in bibliotheca Ambrosiana Mediolani sub homiliis Gregorii M. in Ezechielem saec. VIII. scriptis invenit latentem textum gothicum s. Pauli epistolarum, excepta ep. ad Hebraeos. In alio manuscripto commentariorum s. Hieronymi in Isaiam e saec. IX. detexit epistolarum Paulin. fragmenta exceptis illis ad Rom. et ad Hebr.; tandem invenit duo fragmenta evangelii Matthaei. — Actuum App., epistolarum catholicarum et apocalypseos huc usque nihil innotuit.[3]

## §. 66.

### 9. Versio Slavica.

Archiepiscopi Laureacenses saec. IX. religionem christianam felici successu praedicarunt in Moravia, et ipse dux *Monymir* eam suscepit. Quum autem inter *Rastislaum*, illius successorem, et *Ludovicum*, Germaniae regem, discordiae essent enatae: germani evangelii praedicatores ab ulteriori accessu in Moraviam sunt prohibiti; cumque Rastislaus cognosceret, *Constantinum*, Philosophum cognominatum, inter Kazaros, stirpem slavicam, feliciter praedicare evangelium, missis Constantinopolim legatis hunc ab imperatore petebat ditioni suae doctorem. Imperator precibus ejus annuit, et anno 863. Constantinus, mutato nomine suo in illud *Cyrilli*, adscitoque in laboris socium fratre *Methodio* iter et opus aggressus est, et statim de alphabeti inventione atque de ss. librorum versione cogita-

[1] Editus est sub titulo: Quatuor D. N. J. Ch. evangeliorum versiones perantiquae dnae, gothica scil. et anglosaxonica, quarum illam ex celeberrimo codice argenteo nunc primum depromsit Franc. Junius, hanc autem ex codd. mss. collatis recudi curavit Thom. Mareshallus, Anglus, cujus etiam observationes in utramque versionem subnectuntur. Accessit et glossarium gothicum — — opera ejusdem Franc. Junii. Dortrechti 1665. 4., Amstelodami 1684.; — cura et studio Georg. Stirnhielmii Stockholm. 1671. 4.; — — ab Edward Lye Oxon. 1750. 4.; — — a J. Chr. Zahn, Weissenfels 1805. 4.

[2] Cum adnotationibus edita sunt a F. A. Knittel Brunovic. 1762. 4.

[3] Fragmenta haec edita sunt a C. O. Castillionaeo Mediol. 1829. et 1834. et 1839. Omnes versionis gothicae reliquiae collectae et editae sunt in opere: Ulfilas. Veteris et N. T. versionis gothicae fragmenta, quae supersunt, ad fidem codicum castigata, latinitate donata, adnotatione critica instructa, cum glossario et grammatica linguae gothicae, conjunctis curis ediderunt H. C. de Gabelentz et Dr. J. Löbe. II volum. in 4^to Lipsiae 1843. 1846.

vit. Primo psalmi, dein N. T. et liturgici libri versi sunt in linguam slavicam,[1] et ab hoc tempore in cultu divino adhibebatur lingua patria, Joanne VIII. annuente eâ sub conditione, si in conventibus sacris ante lectionem slavicam legeretur textus latinus, in ritibus vero sacris lingua latina adhiberetur.[2] — Versio itaque slavica *alterâ parte saeculi IX.*, et quidem *e textu graeco Constantinopolitano* est confecta.[3]

## §. 67.

### 10. Versio Anglosaxonica.

Anglosaxonibus religio christiana praedicata est per Augustinum aliosque Ordinis s. Benedicti sodales, a Gregorio M. saec. VI. in Angliam missos. Quis autem versionem hujus idiomatis adornaverit, incertum est, imo utrum versio, quae ad nos pervenit, eadem sit cum antiqua, adhuc dubitatur. In eo tamen omnes consentiunt, versionem hanc non esse immediatam, sed e versione latina Antehieronymiana confectam.[4]

## §. 68.

### C) De citatis Patrum et conciliorum.

Antiquissima textus sacri monumenta sunt citata Patrum graecorum usque ad saec. IV.; nam ss. librorum exhibent fragmenta, quae aetate vetustissimos codices nostros superant. Attamen etiam seriorum Patrum citata, quatenus vere talia sunt et per librarios non corrupta, de textu certae aetatis et regionis testimonia edunt. Vere citasse censendus est Pater, si textum sacrum exponit, si docet, refutat, praecipue si effata biblica allata sunt longiora, aut si in iisdem locis afferendis nunquam variatur.

Quod attinet Patres Apostolicos, rarissime textus verba accurate

---

[1] Dobrowský: Cyrill und Methodius, die Slavenapostel. Prag 1823.
Dr. Ginzl: Die Slavenapostel Cyrill und Methud. Leitm. 1857.

[2] Cfr. Baron. Annales eccl. ad ann. 880.

[3] Codices versionis hujus superstites et editiones praecipuas descripsit Dobrowský in codicum N. T. catalogo IV., editioni alteri et tertiae Griesbachii praemisso. Primo edita sunt quatuor evangelia in 4$^{to}$ in Wallachia 1512., Wilnae 1575. et Mosquae 1614.; dein totius s. scripturae editiones prodierunt Pragae 1570., Ostrogii 1581. Mosquae 1663. et 1751.

Recentissima aetate edita sunt duo evangeliorum manuscripta e saec. XI., quae ad usum criticum majoris sunt momenti. Unum eorum linguâ russicâ habet titulum: Ostromiri evangelia ann. 1056. 1057.: in margine inferiori textu graeco et explicationibus grammaticis est munitum, et editum a Vostokow. Petropoli 1843.

Alterum titulum exhibet: Evangelia slavica, quibus olim in regum Francorum oleo sacro inungendorum solennibus uti solebat ecclesia Remensis, vulgo „Texte du Sacre," ad exemplaris similitudinem descripsit et edidit Silvestre, Ordinis s. Gregorii M., unus e praefectis, Lutet. Paris. 1843. — Codex hic circa annum 1050. scriptus est Sazawae Bohemorum, serius in monasterium Emmauntinum Pragae delatus et denique Rhemum. Utrinsque codicis editi textus descriptus, penes se positus et prelo submissus est a W. Hanka Pragae 1846.

[4] Quatuor evangelia edita sunt a Parker Lond. 1571., a Will. d'Isle Lond. 1638., conjuncta cum versione Gothica a Franc. Junio Dordraci 1665.

referunt, sed e memoria libere citant, quod etiam de s. Justino Martyre valet.

Inter Patres vero et scriptores eccl. subsequentes respectu critico memoratu dignissimi sunt: *Clemens Alex. et s. Irenaeus* e saeculo II.; *Origenes, Hippolytus, Gregorius Thaumaturgus et Dionysius Alex.* e saec. III.; *Eusebius, s. Athanasius, Cyrillus Hieros., s. Epiphanius, s. Ephraemus Syrus* (in operum ejus versione graeca perantiqua), *s. Basilius, Gregorius Nyss. et Gregorius Nazianz., s. Chrysostomus, Didymus Alex., Theodorus Mopsuest., Theodoretus et Isidorus Pelusiota* e saec. V.; *Andreas Cappadox, Joannes Damascenus, Arethas, Oecumenius, Theophylactus et Euthymius Zigabenus* e saec. VI.—XII. Huc etiam pertinent citata in conciliorum graecorum actis.

Patres latini communiter usi sunt versione, qualis in eorum ecclesiis erat adhibita; quare eorum citata ad id inserviunt, ut conditio versionum latinarum pro diversitate temporum et locorum diversa immediate cognoscatur; quodsi autem, ut Tertullianus, s. Hieronymus et s. Augustinus, nonnunquam, ut lectiones certas latinas probent aut improbent, ad codices graecos provocant: de textu graeco immediatum perhibent testimonium.[1]

## ARTICULUS II.

### §. 69.

#### De arte critica.

1. Criticae est, textum sacrum ope certarum regularum originariae puritati restituere, seu e lectionibus variantibus locorum veram determinare.

Lectio dicitur quaevis vox, quae in pluribus vel paucioribus textus monumentis occurrit, et in se spectata originariam efficere potuit textus partem. Lectio vera seu originaria est illa, quam primitivam textus partem constituisse certo probari potest.

Quae lectio sit originaria, est quaestio facti, testimoniis ergo historicis dijudicanda. Attamen non respuenda sunt argumenta interna, idque praecipue ibi, ubi testes in diversas abeunt partes. Quae itaque sit lectio originaria seu vera, probatur testimoniis externis, i. e. codicibus, versionibus et citatis Patrum, et criteriis internis. Conjecturis criticis et dogmaticis esse nequit locus. Conjectura critica vocatur lectio, quae neglectis testibus proprio marte textui obtruditur; conjectura dogmatica est formatio textus e solis rationibus dogmaticis contra testes facta.

---

[1] De usu Patrum critico cfr. Mill.: N. T. prolegom. p. XXVIII. seqq.; Griesbach de codicibus Origenianis Halae 1771. p. 35. seqq.; Vater: Spicilegium observatt. ad usum PP. graecorum in crisi N. T. pertinentium, Regiomont. 1810.; Scholz: N. T. l. prolegom. p. LXXXIX. seqq.; Edel: Collatio critica locorum N. T., quae in actis conciliorum graecorum laudantur. Argent. 1811.

2. Secundum criteria interna ante omnia lectio in se spectanda est, i. e. e contextu, in quo est posita, examinanda. Vox aut formula, quae relate ad reliquas orationis partes nullum plane fundit sensum, non lectio, sed vitium graphicum est dicenda. Si plures lectiones aptum praebent sensum, ad auctorem recurrendum est et indagandum, num hic pro peculiari sua conditione hoc aut illo modo scribere potuerit aut consueverit. Lectio autem, quae in se spectata et ad auctorem relata bona invenitur et concinna vocatur, nondum vera est habenda; nam etiam plures ita comparatae i. e. concinnae esse possunt. — Si in quodam loco lectiones concinnae plures adsunt, inter se invicem conferendae sunt examinandumque, num fors una et quae sit illa, e qua vel mechanice, vel deliberate e causis sive hermeneuticis sive dogmaticis reliquae oriri poterant. Hoc respectu (coll. §. 50. 51.) valet regula critica: Inter lectiones variantes grammatice, rhetorice, exegetice, archaeologice, dogmatice facilior orta est e difficiliore. Quodsi talis invenitur lectio, e qua ceterae ortae cogitari possunt, haec, etsi non certitudine, originalitatis tamen praejudicio gaudet.

3. Uti alias, ita etiam in re critica testium axiopistiam probat dexteritas et sinceritas seu fides (Treue), dexteritatem vero antiquitas; nam textus in genere eo purior est a mutationibus sensim enatis, quo antiquior. Ob antiquitatem plurium Patrum citata et versiones quaedam praeferendae sunt codicibus, et inter hosce Alexandrini Constantinopolitanis. Attamen ab antiquitate monumenti probe distinguenda est vetustas textus; codices enim recentiores plerumque descripti sunt ex antigraphis multo antiquioribus. Cum vero ne antiquissima quidem monumenta ab omni mendo sint immunia, imo cum longe plurimae lectiones variantes saec. II. et III. ortae sint: non sufficit antiquitas, sed simul et magis quidem sinceritas seu fides, a testibus in textus propagatione observata, respicienda est.

Certissimum fidei criterium est consensus; nam hic locum habere non posset, nisi testium quivis idem factum, textum prae oculis positum, sincere retulisset. Omnes errasse in iisdem locis aut textum mutasse, valde improbabile est, imo omnem fidem transcendit; etiamsi enim jam in primo apographo in certis locis textus originarii mutationes essent ortae: eaedem tamen non in omnia reliqua exemplaria transierunt, quum a protographo non unum, sed plura prodierint apographa. Hinc lectio omni cum certitudine vera habenda est, quae omnium testium consensu nititur. — Sat firmum fidei criterium est etiam plurium consensus contra pauciores; nam minus verosimile est, iisdem in locis errasse aut mutasse plures, quam pauciores. Hinc quo major est testium consentientium numerus, eo firmior eorum fides.

In hac tamen pluralitate aestimanda non promiscue singula textus sacri monumenta numeranda sunt, quia secus testes aegyptiaco-occidentales a constantinopolitano-orientalibus, utpote longe pluribus, fere semper vincerentur; sed lectio potior cujusvis familiae juxta numerum testium usque ad saeculum IX. determinanda est, et dein cum lectione alterius familiae conferenda.

4. In longe plurimis textus sacri partibus omnia monumenta consentiunt, ita ut in hisce dubio prudenti non sit locus. In reliquis sequentes casus locum habere possunt et canones critici observandi sunt:

a) Utriusque familiae monumenta longe plurima consentiunt in eadem lectione. — Hoc in casu pluralitati palma tribuenda est, praesertim si reliqui perpauci testes ipsi non concordant, aut si ex aliis locis constat, eos in propagando textu familiae suae admodum libere esse versatos.

b) Unius familiae omnia monumenta et alterius pauca eandem lectionem habent, reliqua in alia lectione consentiunt. — Minus libertatis et proinde plus fidei in prioribus supponendum est, ideoque priorum lectio praeferenda.

c) Unius familiae testes eandem lectionem tenent, cum his consentiunt nonnulli alterius, reliqui vero hujus familiae inter se invicem non consentiunt. — Idem valet, ut in praecedente casu.

d) Quaevis familia aliam lectionem exhibet, qui est casus rarissimus. — Criteria interna consulenda sunt.

e) Non tantum una familia ab altera discedit, sed etiam ipsa utriusque monumenta non concordant. — Utraque familia examinanda est, et utriusque lectio ratione habita testium et internorum criteriorum potior determinanda; dein hae lectiones denuo inter se invicem conferendae.

## ARTICULUS III.

## De editionibus textus graeci.

### §. 70.

#### a) Editiones principes.

Per editiones principes intelliguntur primae, quae e solis codicibus prodierunt, et quidem

1. *Editio Complutensis seu Alcalensis*[1] *polyglotta, adornata curis, auctoritate et sumtibus Francisci Ximenis de Cisneros*, Hispaniae Cardinalis et ministri, archiepiscopi Tolosani, ex Ordine s. Francisci, qui utriusque foederis codices undequaque magnis sumtibus sibi comparavit, et eruditos ad hoc opus perficiendum praemiis determinatis provocavit. Initium factum est anno 1502., et N. T. die 10. Januarii 1514., integrum vero opus sex voluminibus in fol. constans anno 1517., quatuor mensibus ante auctoris mortem finitum, venale autem ante annum 1520. in ipsa Hispania non expositum, quia Leo X. P. R. ejus publicandi veniam non concessit; exteris ante annum 1521. plane non innotuit. Impressa sunt 600 exemplaria, et integrum opus 50,000. aureorum constitit, cui summae impendendae par non erat, nisi qui reditus habebat regis et indigentias monachi.

[1] Complutum antiquum est nomen civitatis Alcalae de Henares.

— Usi sunt editores, ut dicunt, codicibus „*ex bibliotheca apostolica*“ antiquissimis, a Leone X. concessis; sed cum Leo brevi ante finem editionis N. T. pontifex esset electus, dubitare licet, num ejusmodi codices multum sint adhibiti, nisi fors prius jam, cum Leo adhuc Cardinalis esset, sint suppeditati; dein quod codicum illorum circiter decem, qui excepto Rhodiensi quodam non nominantur, antiquitatem attinet, haec pro usu loquendi illius temporis relative intelligenda est; nam textus graecus talis invenitur, qui potius cum recentioribus e saeculo IX. usque ad XIII., quam cum antiquissimis consentiat. Nonnullorum conjectura textum graecum e Vulgata latina ab editoribus esse immutatum, omni fundamento caret; lectiones codicum suorum, quae cum Vulgata concordant, praeferebant quidem; quotiescunque vero illae contra Vulgatam consentiunt, eisdem praerogativam tribuebant, ut dissensus frequens textus Complutensis cum Vulgata luculenter ostendit.

Juxta lineas textus graeci spiritibus carentis et accentuum loco lineolâ muniti versio latina ita posita est, ut voces tam graecae quam latinae sibi respondentes eâdem alphabeti literâ sint designatae; ubi in graeco quaedam adsunt, quibus in versione latina nihil respondet, defectus, sicut et vacuum in fine linearum spatium per signa, quae anguium formam referunt (∽∽), est notatus. Ad finem additum est lexicon graeco-latinum in usum tironum.

Tomus sextus, qui N. T. complectitur, titulum habet: Novum Testamentum graece et latine in academia Complutensi noviter impressum. Praeter praefationem graeco-latinam praemittitur epistola s. Hieronymi ad Damasum: „*Novum opus*“ etc., Eusebii Caes. epistola ad Carpianum de canonum usu, dissertatio Euthalii diaconi de vita Pauli Apostoli, denique synopsis isagogica s. scripturae s. Athanasii. Transiit haec textus editio in polyglotta Antwerpiensia 1569. et in Parisina 1657.[1]

2. *Editiones Desiderii Erasmi Rotterodami*, et quidem tres priores, quae ante Complutensem annis 1516. 1519. et 1522. prodierunt; nam ad quartam 1527. et quintam 1535. jam haec adhibita est. Erasmo, qui excitatus a Frobenio, bibliopola Basileensi, magna cum festinatione et non minori saepe libertate editiones suas primas adornavit et Leoni X. dedicavit, pauciora adhuc praesto erant subsidia, quam editoribus Complutensibus; nam se nonnisi quinque codices adhibere potuisse, ipse fatetur, et hi erant recentiores familiae Constantinopolitanae. Usus est in evangeliis praecipue codice Basileensi B. VI. 25. (Scholz 2.), in actibus et in epistolis codice Basileensi B. IX. (act. 2. Paul. 2.), quibuscum nonnunquam contulit Basileensem B. X. 20. (act. et Paul. 4.), denique manuscriptis latinis. Codex Reuchlini, e quo apocalypsis desumta est, non amplius comparuit. In editione secunda 300 circiter locos correxit, etiam in tertia emendationes suscepit, nihilominus tamen labor ejus minoris erat momenti.

[1] Cfr. Der Cardinal Ximenes von C. J. Hefele, Tubing. 1844. pag. 120. seqq. Hujus praeclari operis altera editio prodiit 1851.

## §. 71.

### b) Editiones antiquiores.

Praeter repetitiones frequentes textus a Ximene et ab Erasmo editi huc praecipue pertinent:

1. *Editiones Roberti Stephani*, typographi Parisiensis quinque, quarum nonnisi tertia (Parisiis 1550. fol.) est memoratu digna. Haec ex Erasmi quinta promanavit, sed etiam Complutensis et 15 manuscripta tum Parisiensia tum Italica collata, literis $\alpha$, $\beta$, $\gamma$ etc. designata et eorum lectiones variantes in margine notatae sunt. Inter codices erat cod. D evv. et act. et codex L evangeliorum. — Prima Roberti Stephani editio, cujus fundamentum erat Complutensis, prodiit 1546. formâ 12. et habuit nomen „*mirifica*“ a verbis praefationis initialibus: „*O mirificam regis nostri optimi et praestantissimi principis liberalitatem*;“ altera Paris. 1549. for. 16. est repetitio primae emendatae; quarta (Genevae) 1551. repetitio tertiae adhibitâ versione latinâ Erasmi et Vulgatâ, et omnium prima continet capitum nostrorum divisionem in versus.

Licet Stephano abundantiora et meliora praesto essent textus subsidia, ob principiorum tamen criticorum defectum parum ausus est discedere a textu per praecessores ejus edito.

2. *Editiones Theodori Bezae* quinque (annis 1565. 76. 82. 88. et 98.) cum versione Vulgata, cum versione propriâ et cum adnotationibus criticis atque exegeticis. In prima editione pro fundamento posuit Stephani tertiam, ad quam emendandam adhibuit Complutensem et manuscriptum, cui Robertus Steph. variantes e 15 codicibus adjecerat; in editione secunda ipse contulit codicem Cantabrigiensem D et Claromontanum D, porro versionem syriacam Viennae 1555. editam, in actibus Ap. et in utraque ad Corinthios epistola arabicam; ad tertiam et quartam alium codicem et citata Patrum graecorum atque latinorum in subsidium vocavit. Haec editio saepe repetita, late propagata est et approbata.

## §. 72.

### c) Editiones textus recepti.

*Textus receptus dicitur, qui in editionibus Elzeviriorum occurrit et per approbationem in communem abiit usum.* Elzevirii, typographi Lugduni Batavorum, anno 1624. elegantem N. T. editionem ex officina sua prodire fecerunt, ut inscriptio dicit, ex regiis aliisque optimis editionibus haustam et curâ impressam forma 16. — Per editiones autem regias nonnisi illas Roberti Stephani, praecipue tertiam, et per alias optimas editiones illas Bezae intelligendas esse, inde clare patet, quod omnes lectiones, in quibus Elzeviriorum editio a Stephani tertiâ discedit, in illis Bezae, et quidem vel in textu ipso, vel in margine ut variantes notatae inveniuntur; hinc Beza pater est textus recepti, proavi autem ejus sunt editiones principes; nam, ut

diximus, Beza secutus est tertiam editionem Roberti Stephani, hic quintam Erasmi, qui ut ille textum Complutensem adhibuerat. —

Exemplaria hujus editionis ob typi elegantiam et formae commoditatem adeo celeriter coëmta sunt, ut anno 1633. aliam curare cogerentur. In hujus jam praefatione Elzevirii non erubuerunt textum suum appellare receptum dicentes: „*Textum ergo habes nunc ab omnibus receptum, in quo nihil immutatum aut corruptum damus.*" Quod quidem hyperbolice et arroganter dictum eventu ita comprobatum est, ac si a vate esset pronunciatum; nam ab hoc tempore usque ad annum 1735. textus ille saepe prelo submissus multis millibus exemplarium longe lateque diffusus et vulgo receptus appellatus est. Hunc textum editores seriores diversis modis exornatum commendarunt. Sic Amstelodami Stephanus Curcellaeus illi lectiones variantes adjecit ex editionibus principibus, e codd. Cantabrigiensi, Claromontano et Alexandrino, e codice quodam Mazarini Cardinalis collectas additis locis parallelis anno 1658., et lectiones, quae ipsi probabiles videbantur, textui inseruit anno 1675.; Wetstein et Shmith, bibliopolae, versione Ariae Montani eum ditarunt; in Gallia Marinus Oratorianus elegante suâ editione Paris. 1628. eidem ad clerum paravit aditum.

## §. 73.

### d) Editiones antiquiores aut textus recepti cum apparatu critico.

Quum textus receptus ob genuinitatis praejudicium per longam annorum seriem universali fere gavisus esset approbatione, exsurrexerunt demum viri eruditi, qui detectis antiquioribus sacrorum librorum monumentis illius vitiositatem agnoscerent et eum honore indebito privare studerent. Hunc in finem per collationem antiquorum monumentorum apparatum criticum parando ad textum sacrum originariae puritati restituendum suas contulerunt partes. Hac ratione bene meriti sunt:

1. *Priamus Waltonius*, episcopus Chestrensis qui in polyglotta Londinensi totius s. scripturae editione anno 1657. in textu N. T. Stephani tertiam fundamentum posuit, eique variantes lectiones e codice A collatas subjecit. Sic N. T. graecum comparuit una cum versione syriaca, arabica, aethiopica et persica in tomo V.; in tomo VI. vero variantes e margine editionis Stephanicae, e codice Cantabrigiensi et Claramontano et e 14 aliis manuscriptis recentioribus nondum collatis, nec non lectiones Velezianae exhibentur.[1]

2. *Joannes Fellius*, serius episcopus Oxoniensis, qui imprimendum curavit textum Curcellaei, hujusque apparatum criticum auxit

[1] Lectiones Velezianae nomen suum habent a Petro Fraxardo, marchione de Velez, qui illas e sedecim codicibus graecis collegisse credebatur, quum tamen non essent, nisi lectiones versionis Vulgatae in graecum translatae, ut clarissime demonstravit Marsh Herbertus in adnotationibus ad Michaëlis introductionem in N. T. tom. I.

lectionibus variantibus codicum nondum collatorum, in specie e duobus Dublinensibus et quatuor gallicis, e 20 codicibus Romanis (inter quos cod. B) a Caryophilo collectis, et illis versionis gothicae et copticae, atque opus suum edidit Oxonii 1675. eum in finem, ut ostenderet, non obstantibus lectionibus variis s. scripturae auctoritatem non minui. — Monitis ejus motus

3. *Joannes Millius*, theologus Oxoniensis, artis criticae vere peritus, 30 annos textui N. T. recensendo dicavit, codices multos ipse contulit et ab aliis conferendos curavit, eorum aetatem, patriam, proprietates nec non asservationis locum in prolegomenis accuratius indicavit, eos certis numeris designavit sicque effecit, ut lectiones, quae prius pro majori codicum numero seligebantur, secundum antiquitatem, patriam et fidem testium rectius determinando par esset. Omnes fere versiones antiquas et opera Patrum consuluit, et quaecunque notatu digna invenit, i. e. plus 30,000 lectionum variantium editioni tertiae Stephani adjecit. Opus suum quatuordecim ante mortem diebus edidit Oxonii 1707. fol. Textus ejus N. T. cum apparatu critico locupletato serius bis adhuc editus est a Ludolpho Küster Lipsiae 1710. et 1723. fol. Prolegomena Millii sola prodierunt curâ Dan. Salthenii Regiomonti 1734. 4., et lectionibus ejus variantibus addita collatione codicis Viennensis Lambec. 28. usus est Gerhardus Mastrichtensis in editione nova Curcellaei, cui adnexa est theoria critica 43 canones complectens.

## §. 74.

### e) Editiones criticae cum apparatu critico.

E lectionum variantium collectionibus, quae studio et labore virorum prius laudatorum ex antiquis monumentis erant factae, magis magisque enata erat persuasio, textum graecum, qualis exstabat in diversis editionibus inde a Complutensi usque ad illas textus recepti, non ea gaudere fide et auctoritate, quae eidem hucusque erat adscripta, cum fontes non essent, nisi codices recentiores. Quare viri periti ope apparatus critici exstantis et juxta certas regulas textum ipsum emendare coeperunt illis in locis, ubi manifeste erat vitiosus.

1. Initium factum est a *Joanne Alberto Bengel*, theologo Würtembergensi, qui multorum annorum studio apparatum criticum Millii lectionibus variantibus 22 codicum nondum collatorum (etiam cod. C) locupletavit, magnâ cum diligentia monumenta antiqua versionis Italae et Vulgatae contulit, et collationem versionis copticae atque armenicae a *La Croze* factam adhibuit. Omnium primus certorum testium affinitatem detexit, ideoque eosdem in duas familias distribuit: in africanam et asiaticam. Eam secutus est normam criticam, ut lectionem difficiliorem ac duriorem praeferret faciliori et molliori, et ut praecipuum momentum tribueret lectionibus codicis Alexandrini et antiquae versionis latinae; attamen, exceptâ apocalypsi, nullam lectionem in textum ipsum recipere ausus est, quae non inve-

niretur in quadam editione antiquiore. Textum sic recensum prodire fecit Tubingae 1734. 4. cum lectionibus selectis in margine inferiore, quarum majorem vel minorem probabilitatem literis α, β, γ, δ, ε designavit. Sequitur apparatus criticus cum principiis criticis et cum epilogo apologetico.

2. *Joannes Jacobus Wetstein*, Basileensis († 1754), jam prius Basileae, dein in itineribus per Hollandiam, Galliam et Angliam praecipuos codices notos perlustravit, et multos alios, ut codicem C, E evv., E et F epist. Paulin., B apocal., nec non versionem Philoxenianam primus contulit et propositum cepit, textum criticum juxta principia sua edendi, eumque prolegomenis anonymis anno 1730. annunciavit, ast 20 demum annis elapsis publici juris facere potuit. Cum enim Basileae Socinianismo favere videretur, munere suo diaconi privatus, ab Arminiis vero Amstelodami receptus et eorum gymnasii praeceptor nominatus est; ast ut prius in patria, ita nunc Amstelodami theologi eum haereseos suspectum habentes obstiterunt, quominus textum juxta regulas proprias immutatum ederet. Quare Wetstein textum receptum etiam apocalypseos recudendum fecit, finem vero suum assequi nitebatur, dum vocibus in textu mutandis lineolam (—) adponeret, et inferius lectiones a se probatas collocaret. In columna cujusvis paginae secunda positae inveniuntur lectiones variantes cum designatione fontium, et eas sequuntur notae exegeticae cum locis, quae ad illustrationem inserviant, petitis e scriptis profanis Graecorum, Latinorum et Judaeorum.

Licet sano judicio obstarent praejudicia ejus contra versionem latinam: in prolegomenis tamen suis omnium primus codices signis nunc usitatis notavit et apte descripsit, ita ut successorum suorum negotium facilius redderet. Opus suum cum prolegomenis paulo immutatis edidit Amstelodami 1751. 52. II. tom. fol. — Textum receptum juxta principia Wetstenii immutatum edidit *G. Bowyer* Londini 1763. 2 voll. 12., et alterâ vice 1772.

3. Criticae N. T. nova aera incipit cum *Jo. Jacobo Griesbach*, professore Hallensi, dein Jenensi, qui apparatum criticum Wetstenii repetitâ collatione codicum ACDGL al. auxit, et scripta Clementis Alexandrini et Origenis singulari diligentia perlustravit. Divisionem textus monumentorum in familias a Wetstein neglectam in suo recensionum systemate magis, non tamen sat feliciter excoluit et in textu emendando adhibuit. Quod ob praejudicia theologorum lutheranorum et reformatorum praecessoribus non licuit, Griesbachio contigit, nimirum textui recepto et cuicunque alii editioni antiquiori auctoritatem altiorem abjudicare. Nihilominus tamen, quia id aptissimum esse censuit, textum receptum fundamenti instar posuit, ejusque lectionibus, quas falsas agnovit, minoribus literis substituit suas, alias minus probabiles certis signis notavit, et in apparatu critico, qui alteram partem inferiorem cujusvis paginae occupat, variantes cum fontium designatione posuit. A Wetstenii praejudicio de monumentorum occidentalium latinizatione alienissimus, in lectionibus dijudicandis principium secutus est: codicibus Alexandrino-palaesti-

nensibus et occidentalibus praerogativam esse tribuendam prae Constantinopolitanis. [1]

4. Annis proxime sequentibus apparatus criticus denuo auctus est a *Christ. Frid. Matthaei* professore Mosquensi, aliquamdiu Misnensi et Wittebergensi, qui 103 codicibus Mosquensibus aliisque, lectionariis et commentariis collatis textum N. T. cum apparatu critico graece et latine 12 voll. 8. edidit Rigae 1782—88. Atrociter impugnavit Griesbachii recensionum systema, praerogativas codicum Alexandrino-occidentalium, auctoritatem versionum et Patrum, in specie Origenis, et textum e solis codicibus graecis restituere praetendit. Attamen antiquissimus codicum ab eo adhibitorum vix ultra saec. IX. ascendit; hinc textus ejus, ut ab illo Griesbachii discedit, ita ad textum receptum proxime accedit, et ad summum id praebet emolumenti, ut formam cognoscamus, qualem textus sacer in patriarchatu Constantinopolitano et in circuitu nactus erat.

*Franc. Carolus Alter,* professor Viennae, codices perlustravit Viennenses, variantes inde excerpsit, et praecipuum eorum, codicem Lambec. 1. juxta editionem Stephani primam immutatum typis excudendum curavit et in duobus voluminibus addidit variantes e 21 aliis codicibus Viennensibus, e verss. slavica, coptica et latina collectas, et ad finem lectiones originarias codicis Lambecii indicavit. Opus hoc tribus voll. 8. editum est Viennae 1787.

*Andreas Birch,* professor Havniae, in itineribus suis per Germaniam et Italiam codicum hic asservatorum accuratiores instituit collationes, hisce addidit lectiones variantes e manuscriptis versionum syriacarum collectas a Georgio Chr. Adler, Dano, qui versionem syro-palaestinensem detexerat; porro adjunxit excepta Georgii Moldenhauer e codicibus hispanicis, et apparatus critici sic aucti primam partem, quae evangelia complectitur, una cum tertia Stephani editione prelo submisit Havniae 1788. Quia incendium Havniae exortum chartam et typos consumsit, alterius partis nonnisi apparatus criticus edi potuit Havniae 1798. —

Praecipuum locum in hoc opere occupat accuratior ac plenior collatio codicis B et versionis syro-palaestinensis, cujus lectiones ad occidentales propius accedunt.

Nova textus subsidia critica partim a se, partim ab aliis detecta *Griesbachium* permoverunt, ut textui recensendo denuo admoveret manum in editione secunda duobus voll. 8. Halae Sax. 1796. et 1806. Editio haec priore multo emendatior praemissa habet prolegomena praeclara, quae inter alia theoriam criticam continent, et per longius tempus omne tulit punctum, ita ut textus ejus vel absque vel cum emendationibus factis frequenter imprimeretur, v. g. a Christ. Knapp,

[1] Primo prodierunt: Libri historici N. T. graece. Pars prior. sistens synopsin evv. Matth. Marci et Luc. Textum ad fidem codicum, verss. et patr. emendavit et lectionis varietatem adjecit Jo. Jac. Griesbach. Halae Sax. 1774. — Pars posterior, sistens ev. Joannis et act. App. ibid. 1775. 8. — Eodem anno: N. T. graece. Textum ad fidem codd. etc. Volum. II. epistolas omnes et apoc. complectens. — Anno 1777. vol. I. evv. et act. App. complectens etc. Cfr. ejus symbol. criticum. 2 voll. Halae 1785. 1793.

J. S. Vater, Tittmann. Partis primae editionem emendatiorem et auctam curavit David Schulz Berolini 1827.

5. Magnum augmentum apparatui critico paratum est per *J. M. Augustinum Scholz*, professorem Bonnensem, qui susceptis quatuor annis per Galliam, Helvetiam, Italiam, Palaestinam et insulas archipelagi itineribus multa textus monumenta perlustravit nondum collata, et textum suum cum apparatu critico edidit in 2 voll. in 4. Lipsiae 1830. et 1836. In textu emendando usus est methodo illi Griesbachii plane contrariâ; nam monumentis familiae Constantinopolitano-orientalis genuinitatis praerogativam tribuendam esse statuit prae illis familiae Aegyptiaco-occidentalis, quia partim illa magis consentiant, quam haec, partim in Oriente, praecipue in Graecia et Syria vigilantiâ ecclesiae antistitum textus purior esset servatus, quam Alexandriae, ubi librariorum audaciae omnes habenae fuissent relaxatae. Eodem gradu itaque Scholzii textus ad illum Friderici Matthaei propius accedit, quo ab eo Griesbachii discedit. Ast de majori textus Alexandrini, si generatim spectetur, puritate omnibus peritis jam adeo persuasum erat, ut Scholz fere nullius assensum sibi conciliaret, et ut in editione ejus non laudaretur nisi veritatis amor, quo ductus textum repraesentasset, a versione Catholicorum ecclesiastica (Vulg.) toties discedentem.

6. Aliâ viâ ingressus est *Carolus Lachmann*, professor Berolinensis, cujus non intererat invenire textum originarium, sed proponere textum in Aegypto et in Oriente a saeculo II. usque ad quartum maxime usitatum. Hunc in finem criteriis internis plane neglectis suffragia non concedit, nisi codicibus antiquissimis ABCPQTZ evangeliorum, codici H epistolarum Paulin. et Origeni. Ubi haec monumenta consentiunt, dissentientium documentorum occidentalium nulla habetur ratio; quodsi vero illa discordant, vox decisiva tribuitur testibus occidentalibus: codicibus graeco-latinis EF evv. et act., codici E act., codd. DG epist. Paulin., manuscriptis latinis: Veronensi, Vercellensi, Colbertino; Vulgatae in codicibus Fuldensi, Amiatino etc.; Patribus: s. Irenaeo, s. Cypriano, s. Hilario Pictav., Lucifero Calariensi et Primasio. — Ast hacce methodo utens Lachmann finem suum assequi non potuit; etenim duorum, trium aut quatuor testium consensus non sufficit ad textum ab antiquis receptum determinandum; quodsi enim plura textus monumenta ex illa aetate nobis essent servata, procul dubio dissensus plurium contra pauciora illa frequenter haberet locum. Praeterea non sufficiens codicum praecipuorum A et C factus est usus; etenim illius nonnisi collationes Bentleyi et Birchii, hujus illae Wetstenii adhibitae sunt.

Praecipuum hujus viri meritum in eo consistit, quod Vulgatae nostrae debitam restituit auctoritatem criticam; nam eandem textum sistere talem, qualis s. Hieronymo prae oculis erat, luculentissime probavit.

Primo prodiit: N. T. graece, ex recensione Caroli Lachmann. Editio stereotypa Berolini 1831., in qua praeter textum graecum in margine inferiore lectiones variantes absque designatione fontium indicantur; dein vero edidit anno 1842. primam partem, quae evan-

gelia, et anno 1850. alteram, quae reliquos N. T. libros complectitur, una cum versione Vulgata in margine inferiore ex antiquis manuscriptis haustâ; inter utrumque textum (graecum et latinum) positus est apparatus criticus a Tittmanu adaptatus, iu quo lectiones variantes una cum fontibus suis enumerantur.

7. *Constantinus Tischendorf* de re critica praecipuum sibi meritum paravit edendo antiqua monumenta N. T. graeca et latina valde pretiosa, quae in itineribus suis per Europam et per Orientem invenerat, et de recensendo textu sacro adhucdum bene meretur. Ab anno 1841. edidit textum recensum cum breviore apparatu critico et praemissis prolegomenis saepius prelo submissum. Ejus non interest antiquissimum, sed originarium restituere textum. Ad hoc efficiendum in eo consentit cum Lachmanu, quod non textum receptum, sed antiquissimos testes fundamentum ponit, fundamentum autem multo amplius, quam ille. Inter testes criticos primum locum tribuit codicibus inde a saec. IV. usque ad IX., et hisce eo majorem auctoritatem adscribit, quo sunt antiquiores, quin tamen criteria interna excludantur. Si versiones antiquae et Patrum citata codicum lectionibus praebent assensum, harum auctoritatem confirmant. Codicibus recentioribus inde a saec. IX. scriptis levius adjudicatur momentum, et ubi antiquiora monumenta concordant, illi plane negliguntur. Cum Tischendorf latiori innitatur basi et aliis utatur principiis, textus ejus non potest non esse diversus ab illo Lachmanni. Nihilominus tamen Tischendorf viro erudito Jager in consilium adhibito Parisiis anno 1842. e fontibus graecis textum edidit illi similem, e quo s. Hieronymus antiquam Vulgatam emendavit, et hanc editionem cum versione Vulgata dedicavit RR. D. d.'Affre, archiepiscopo Parisiensi.[1] — Denique

8. Silentio non est praetermittenda editio N. T., quam anno 1848. Hamburgi prodire fecit *Eduardus de Muralto*, paratam, ut dicit, e codice Vaticano B. Attamen auctor codicem hunc non ipse contulit, sed textum ejus concinnavit e collationibus Birchii et Bartoloccii, cujus adnotationes anno 1669. factae in bibliotheca Parisiensi asservantur. Alterius partis epistolae ad Hebraeos (a 9, 15.), epistolarum pastoralium, illius ad Philemonem, quae una cum apocalypsi in codice B desunt, textus desumtus est e codicibus G et H a Scholz collatis, et apocalypsis repetita e codice Vaticano 1266. (apoc. B). Attamen adhibuit etiam undecim codices graecos nondum collatos et antiquissima versionis slavicae monumenta.

Quodsi ad dicta respiciamus, invenimus, post typographiam inventam exiguam fuisse antiquorum N. T. monumentorum cognitionem, hinc valde imperfectas editiones principes et subsequentes; ast apparatus criticus a parvis initiis exorsus successive ad immensam molem accrevit indefessis laboribus ac studiis virorum eruditorum,

[1] Virum huncce codicis Sinaitici inventione meritorum suorum coronae splendidam addidisse gemmam, ut prius jam innuimus, ipse summus ecclesiae catholicae Praesul grato animo agnovit. Utinam viri indefessi studio etiam codicem Vaticanum accuratius edere contingat!

et post varios errores commissos textus sacer N. T. puritati originariae propius est adductus. Licet autem labor nondum sit peractus, certitudo singularum lectionum omni dubio major nondum effecta: in eo tamen hodie viri historiae textus sacri et criticae periti fere omnes conveniunt, quod s. Hieronymus jam anno 383. versionis latinae emendandae suum declaravit principium, textum sacrum e codicibus vetustis esse repurgandum, sicque emendatum non multum discedere a lectionis latinae consuetudine.

---

## SECTIO II.

# APOLOGETICA.

## CAPUT I.

### De ss. librorum N. T. authentia.

### §. 75.

**Notio authentiae libri et argumentorum genera.**

1. *Authenticus* (genuinus, γνήσιος) *dicitur liber, qui ex ea aetate et ab illo auctore descendit, cui tribuitur.* Quodsi opus quoddam non illi aetati vel non ei auctori, cui adscribitur, originem debet, *spurium* seu *suppositum* vocatur. *Authentia itaque libri est haec ejus dos, vi cujus ex ea aetate et ab illo auctore descendit, cui adscribitur.*

2. *Argumenta*, quibus authentia libri probatur, sunt *interna* et *externa*. Per argumenta interna intelliguntur authentiae criteria ex ipso libro, ab ejus materiâ et formâ petita. Huc pertinet a) consensus relationum libri non quaesitus, sed sponte se offerens et ad minima saepe pertingens cum relationibus aliorum fide dignis de objectis varii generis; b) consensus indolis libri (materiae et formae) cum conditione interna et externa auctoris, cui adscribitur. — Consensus prioris generis in libris etiam certo genuinis deesse quidem potest ob auctoris ignorantiam vel fidem laesam; quia vero in operibus, quae in certis adjunctis, v. g. seriore tempore vel in regione remotiori supposita sunt, adesse vix potest: authentiae criterium non immerito habetur.

Haec argumenta, ubi pro authentia operis cujusdam militant, eam, etsi non historice certam, verosimilem tamen reddunt et argumentorum historicorum vim confirmant et augent.

Certitudo historica nonnisi tum oritur, si ad argumenta interna accedunt externa, i. e. fide digna de auctore libri testimonia.

Authentia itaque N. T. librorum extra dubium erit collocata, si severo examine instituto fuerit probatum, argumenta tam interna quam externa eam tueri.

## A) Argumenta interna authentiae ss. librorum N. T.

### I. Libri N. T. consentiunt cum fide dignis aliorum relationibus de variis objectis.

### §. 76.

**Tractandorum conspectus.**

Objecta, de quibus in ss. N. T. libris et in auctorum profanorum operibus aut diserte agitur, aut brevior tantum fit mentio, aut quorum certa indoles supponitur; objecta, inquam, haec majoris claritatis gratia in triplicem classem commode dividi possunt, quatenus consideratur:

1. status Judaeorum civilis et religiosus;
2. adjuncta locorum, et
3. personarum conditio et circumstantiae.

### §. 77.

**1. Sacri N. T. libri consentiunt cum relatione aliorum fide digna de statu Judaeorum civili et religioso.**

A. Quod attinet *statum Judaeorum civilem*, e ss. N. T. literis sequentia discimus:

a) Tempore Salvatoris nati Judaeis rex praeerat *Herodes* M. (Mt. 2, 1.), attamen a Romanis non independens (Luc. 2, 1—5.). Eo mortuo *Archelaum* Judaeae, *Herodem Antipam* Galilaeae et *Philippum* Ituraeae et Trachonitidi praepositum fuisse invenimus (Mt. 2, 22. 14, 1. 16, 13. Luc. 3, 1.).

b) Post Archelaum Judaea per procuratores Romanos gubernabatur, inter quos erat *Pontius Pilatus* (Luc. 3, 1. Jo. 18, 28. 19, 16. al.), *Felix* (Act. 23, 26—24, 26.) et *Festus* (ibid. 24, 27—26, 32.), ita tamen, ut post Pilati tempora *Herodem* (Agrippam) Judaeorum regem fuisse legamus (Act. 12, 1—4. 19—23.), et serius alterius *Agrippae* mentio fiat (ibid. 25, 13—26, 32.).

c) *Judaeorum synedrio* de causis etiam gravioribus cognoscendi, sed levioribus tantum poenis afficiendi jus a Romanis relictum fuisse invenitur (Jo. 18, 31. Act. 5, 40.).

Quodsi jam scriptores consulamus profanos, cum hisce auctores nostri de objectis nominatis accurate consentiunt. Nam

Ad a) *Tacitus* et *Josephus Fl.* narrant, quomodo Herodes, natione Idumaeus, Romanorum, praecipue Antonii prius, dein Augusti favore

rerum in Palaestina fuerit potitus;[1] Flavius in specie exponit, quantopere Herodes ab Augusti dependerit nutu, ita ut vel res, quae ad familiam regiam spectarent, Caesaris subjecerit arbitrio, utque hic Herodi ob bellum contra Arabes gestum iratus in literis ad eum scriberet: *„se eum aliquando in amicis habuisse, nunc vero pro subdito habiturum;“*[2] testante Flavio Augustus testamentum Herodis ultimum, quo Archelaus successor, Antipas vero et Philippus tetrarchae erant designati,[3] ita confirmavit, ut Archelao Judaeam, Samariam et Idumaeam non cum regis titulo concederet, sed tetrarchae; ut Antipae tribueret Peraeam et Galilaeam, et Philippo subjiceret Batanaeam et Trachonitidem et Auranitem et partes quasdam domus Zenonis.[4]

Ad b) Josephus de Archelao disserit decimo regiminis anno in exilium misso, et de Judaea in provinciae Romanae formam redacta atque a procuratoribus administrata;[5] inter hosce nominat etiam Pilatum, Felicem et Festum.[6] Porro idem Flavius commemorat Herodem Agrippam, a Tiberio Romae in vincula conjectum, ast a Cajo primum tetrarchia Philippi, dein Antipae, tandem a Claudio etiam ethnarchia Archelai donatum;[7] et denique mentionem facit de

---

[1] Tacit. hist. V. 9.: „Judaeos Sosius subegit, regnum ab Antonio Herodi datum, victor Augustus auxit.“ Cfr. Jos. Fl. Ant. libro 15. et 16. de bello jud. libro 1.

[2] Cfr. Ant. 16, 9, 3.

[3] Ant. 17, 8, 1. „Deinde mutata voluntate testamentum suum denuo mutavit Herodes, et Antipam quidem, cui regnum reliquerat (in priori testamento), Galilaeae Peraeaeque tetrarcham constituit, regnum vero Archelao dedit, atque Gaulonitidem et Trachonitidem et Batanaeam et Paneadem filio suo, Archelai fratri, tetrarchiae nomine concessit.“ Cfr. B. j. 1, 33, 7.

[4] B. j. 2, 6, 3.: „Et tunc quidem Caesar (Augustus) — Archelao dat regni dimidium cum ethnarchiae nomine, ipsum etiam regem, si se dignum eo honore praestiterit, facturum esse pollicitus, reliquum vero dimidium in duas tetrarchias divisum duobus aliis Herodis filiis tribuit, unam Philippo, alteram Antipae, qui cum Archelao de regno contendebat. Et huic quidem in ditionem cedebat Peraea et Galilaea, — at Philippo subjiciebantur Batanaea et Trachon et Auranitis et partes quaedam domus Zenonis circa Jamniam; — Archelai vero ad ethnarchiam pertinebant et Idumaea et Judaea omnis et Samaria.“ — Tacitus l. c.: „Post mortem Herodis, nihil exspectato Caesare, Simo quidam regium nomen invaserat; is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus, et gentem coërcitam liberi Herodis tripertito rexere.“

[5] Ant. 17, 13, 2.: „Anno autem decimo principatus Archelai primores viri Judaeorum et Samaritanorum, ejus crudelitatem et tyrannidem non ferentes, eum apud Caesarem accusant, maxime cum intellexissent contra Caesaris fecisse mandatum, quo jubebatur ipsos tractare leniter. — — Ubi autem Romam venit, Caesar, postquam illum causam suam contra aliquot accusatores agentem audivit, eum in exilium abegit, Vienna Galliarum urbe in commorandi locum ei assignata, pecuniaque spoliavit.“ Cfr. ibid. n. 5. — B. j. 2, 9, 1.: „Archelai autem ethnarchia in provinciam redacta reliqui, Philippus et Herodes, cognomine Antipas, tetrarchias suas administrabant.“

[6] De Pontio Pilato cfr. Ant. 18, 2, 2. seqq. B. j. 2, 9, 2. seqq.; de Felice: Ant. 20, 7, 1. seqq. B. j. 2, 12, 8. seqq.; de Festo Ant. 20, 8, 9. B. j. 2, 14, 1. Ant. 20, 9, 1.

[7] Ant. 18, 7, 10.: „Cajus — — imposito dein in ejus (Agrippae e carcere liberati) caput diademate, tetrarchiae, quae Philippi fuerat, regem constituit, adjecta etiam Lysaniae tetrarchia, et auream catenam pro ferrea ei dedit pari pondere.“ Cfr. B. j. 2, 9, 6.

Ant. 19, 5, 1.: „Claudius autem — edictum proposuit, quo et Agrippae im-

Agrippa altero, illius filio, primum per Claudium Chalcidis rege,[1] dein a Nerone tetrarchiae quoque olim Philippi et Antipae parte donato.[2]

Ad c) Tractatus Sanhedr. 4, 2. et Schabb. 5, 1. de potestate synedrii limitata conqueritur; porro Dio Cassius lib. 53. et 58. et Tacitus annal. 12, 54., hist. 5, 9. 10. de procuratoribus eorumque potestate loquuntur.

B. *De statu Judaeorum religioso* auctores nostri partim diserte edicunt, partim innuunt:

a) Celebratum esse in templo, per multos annos splendide restaurato (Jo. 2, 20. Mr. 13, 1.), cultum Jehovae magnificum, sacerdotibus juxta classes suas templi ministerio fungentibus (Luc. 1, 5—10.).

b) Ad festa praecipua Hierosolymis celebranda undique confluxisse Judaeos, donis suis templi thesaurum augentes, nec non ethnicos, qui etiam synagogas frequentassent, quas Judaei in Palaestina et in exteris regionibus habuissent magno numero exstructas (Mr. 12, 41. Jo. 4, 45. 12, 12. Mt. 4, 23. Jo. 12, 20. Act. 13, 5. 14, 1. 17, 1—4. al.).

c) Frequenter fit mentio sectarum, quae inter Judaeos erant ortae: pharisaicae, quae latissime propagata magna apud populum gaudebat auctoritate, et Sadducaeorum sodalicii, cui ditiores nobilioresque adhaerebant; utriusque placita theoretica et practica, vita moresque delineantur (Mt. 3, 7. 23, 2. seqq. Mr. 7, 3. 4. 12, 18. Luc. 5, 27—33. Jo. 9, 13. seqq. Act. 23, 6—8.).

d) Pontifici tribuitur potestas in rebus religionis in exteras usque terras sese extendens (Act. 9, 1. 2.), et summi sacerdotes saepe plures simul commemorantur (Mt. 2, 4. 26, 3. Luc. 3, 2. 22, 2. Act. 4, 6. Jo. 11, 47.).

Etiam in hisce cum libris nostris concordat Josephus Flavius, et quidem

Ad a) de templo ab Herode magnis sumtibus splendide restaurato scribit et fusius narrat, quomodo sublatis pristinis fundamentis dilatatum fuerit, exstructum e lapidibus candidis et firmis, magnifice exornatum munitumque;[3] praeterea refert de viginti quatuor sacerdotum familiis a Davide numeratis.[4]

perium, quod ei dederat Cajus, confirmabat et regem laudabat; quin et adjiciebat, quicquid Judaeae et Samariae ad ejus avi Herodis regnum pertinebat. Atque haec quidem quasi cognationis jure ei debita restituit; sed Abilam, quae Lysaniae fuerat, et quaecunque erant in monte Libano, de suo adjecit."

[1] B. j. 2, 12, 12.: „Post obitum autem Herodis, qui regnavit in Chalcide, Claudius Agrippam, filium Agrippae, patrui regno praefecit."

[2] B. j. 2, 13, 2.: „Ille quidem (Nero) — regno Agrippae quatuor urbes addidit cum illarum toparchiis, Abila et Juliadem in Peraea, Tarichaeas et Tiberiadem in Galilaea."

[3] Ant. 15, 11.: „Decimo octavo regni Herodis anno — arduum opus aggressus est, ut Dei templum sua opera aedificatum iret eique ampliorem ambitum daret et in altitudinem magnificentissimam erigeret, cogitans, fore id omnibus, quae unquam fecisset, praeclarius, sicuti erat, si illud ei perficere contigerit, atque futurum in sempiternam memoriam" etc.

[4] Ibid. 7, 14, 7.: „Cum autem Davidi in animo esset filium totius populi regem

Ad b) De confluxu hominum disserit ad festa Hierosolymis celebranda;[1] de templi thesauro verba facit narrans, Crassum, cum contra Parthos expeditionem bellicam esset suscepturus, in Judaeam ingressum abstulisse eam, quae in templo praesto erat et a Pompejo relicta, pecuniam (duo millia talentorum), et etiam omni auro (ad octo millia talentorum) templum spoliare voluisse; ab Eleazaro igitur sacerdote, thesauri custode, traditam accepisse in lignea trabe cava omnibus nescientibus trabem e solido auro factam ex minis trecentis (750 libris), ut reliquo templi auro et rebus pretiosis parceret, quod Crassus juramento promisisset quidem, non autem observasset. Hac occasione Josephus etiam causas exponit, ob quas templi thesaurus tantopere fuerit locupletatus.[2] Etiam Tacitus hist. V. 8. *„immensae opulentiae templum“* dicit. — Flavius non quidem de synagogarum origine et numero, attamen datis occasionibus de popularium suorum in eas studio agit.[3] Ut Talmudistae docent, in omni loco, ubi decem Judaei liberi et adulti degunt, juxta Num. 14, 27. synagoga exstruenda est, et si illis fides est habenda, Hierosolymis 460 vel plane 480 exstiterunt.[4] Partim rerum novarum cupidine ductae, partim sensu religioso motae primo feminae ethnicae Judaeorum synagogas frequentarunt et σεβόμεναι seu *metuentes* Deum factae sunt, cujus rei

---

declarare, convocat principes Hierosolymam una cum sacerdotibus et levitis. Atque hisce primum numeratis invenit virorum triginta octo millia a trigesimo ad quinquagesimum annum. — — Illos autem in familias distribuit, et separatis a tribu sacerdotibus horum viginti quatuor familias invenit“ etc.

[1] B. j. 2, 14, 2.: „Cum autem instante azymorum festo ipse (Cestius) Hierosolymam venisset, eum circumstetit multitudo ad tricies centena millia.“

Ibid. 6, 9, 3.: „Et captorum quidem omnium, qui totius belli tempore capti sunt, numerus erat ad nonaginta septem millia, totius autem obsidionis tempore undecies centena millia perierunt. Horum major pars ejusdem quidem gentis erat, non vero ejusdem regionis. Nam qui e tota regione ad azymorum festum convenerant, derepente bello circumdati erant, adeo ut primo ex loci angustia in illos invaderet pestis, ac dein citius fames. Quod autem tantam multitudinem caperet civitas, manifestum ex illis, qui sub Cestio erant numerati; is enim integrae aetatis viros in civitate Neroni, gentem contemnenti, significare cupiens a pontificibus petiit, ut, si quo modo possent, multitudinem numerarent. Illi autem cum festum adesset (pascha vocatur), in quo a nona quidem hora usque ad undecimam hostias mactant, ut vero sodalitas circa unamquamque victimam habebatur, ex hominibus nunquam paucioribus decem (solum enim epulari non licet, sed saepe etiam viginti conveniunt), hostiarum quidem ducenta et quinquaginta sex millia et quingentas numeravere. Virorum autem erant purorum et mundorum, ut denos epulatores singulis victimis demus, vicies septies centena millia; nec enim leprosis, nec quibus genitura flueret, nec menstruis mulieribus, neque alio modo inquinatis licebat de sacris istis participare, sed ne alienigenis quidem, qui religionis ergo eo venerant.“

[2] Ant. 14, 7, 1. 2.: „Ne cui autem mirum sit, quod tantae divitiae in nostrum templum congestae essent, quum omnes ubique terrarum Judaei, quique Deum colunt, tam ex Europa, quam ex Asia, per multa retro saecula eo munera contulerint. Nec testibus caret opum magnitudo, quam memoravimus, neque ex ostentatione nostra aut rem verbis exaggerandi studio in immensum adeo extollitur; sed quum alii multi ex scriptoribus nobis testimonium perhibent, tum Strabo Cappadox“ etc.

Cfr. Horat. satyr. lib. I. sat. 4. et Juvenal. sat. 4.

[3] Cfr. Ant. 19, 6, 3. B. j. 2, 14, 4. 7, 3, 3. al.

[4] Cfr. Hieros. Cthuboth 35, 3. et Megilla fol. 73, 4.

exemplum Josephus Flav. *Fulviam* quamdam exhibet;[1] dein autem etiam viri sese associarunt, ut Juvenalis irridens testatur.[2]

Ad c) Josephus de Judaeorum sectis loquens praeter Essenos nominat Pharisaeos et Sadducaeos, et licet illorum pietatem fucatam genuinam venditet virtutem: in placitis tamen et moribus utriusque sectae describendis cum N. T. consentit.[3]

Ad d) Idem rerum judaicarum scriptor Josephus repetitis loquitur vicibus de jure pontificis et synedrii in exteros etiam Judaeos Romanorum privilegiis munito,[4] nec non de pontificibus tam ab Herodibus, quam a procuratoribus Romanis frequenter depositis, ita tamen, ut eis pristinae dignitatis relinqueretur titulus.[5]

---

[1] Jos. Fl. Ant. 18, 3, 3.

[2] Satyr. XIV. v. 96.:

Quidam sortiti metuantem sabbata patrem
Nihil praeter nubes et coeli numen adorant,
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox et praeputia ponunt.
Romanas autem soliti contemnere leges
Judaicum ediscunt et servant ac metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

[3] Ant. 18, 1, 2. 3.: „Habebant Judaei a priscis inde temporibus tres patriae philosophiae sectas, nnam quidem Essenorum, alteram vero Sadducaeorum, tertiam autem, quam profitebantur Pharisaei nomiue. Et quamquam de hisce egimus in secundo libro judaici belli, nunc tamen eas iterum paucis attingere non gravabimur. Pharisaei enim tenuiter vivunt nihil deliciis tribuentes, et quae ratio jndicavit bona ac tradidit, eorum regulam sequuntur, tuenda omni modo censentes, qnae ab illis praescripta sunt. Exhibent et honorem aetate provectioribus, non id sibi sumentes arrogantiae, ut contradicant eis rebus, quas illi induxere. Qunmque dicant fato omnia fieri, voluntatem hominis non privant impetu a se ipsa pendente, quippe sic Deo placitum esse, ut certo temperamento miscerentur in unum fati decretum et ratio bumana, si quis vellet accedere aut cum vitio aut cnm virtute. Credunt etiam animis vim esse immortalem, ac sub terra vel praemiis vel poenis eos affici, qui in bac vita virtuti se aut vitiis addixerint; et hos quidem sempiterno carcere clausos teneri, illis vero facultatem esse in vitam redeundi. Et propter haec tantae apud populum sunt auctoritatis, ut quaecunque ad religionem pertineant supplicationes et sacrificia, ista ex eorum iuterpretatione fiant. Amplum adeo virtutis testimonium eis dederunt civitates, quod iis, quae optima essent, studuerint, tam in vita, quam oratione. — Sadducaeornm vero doctrina facit, ut animae cum corporibus intereant; nec illi qnicquam aliud praeter legem sibi servandum vindicant. Nam contra magistros quidem ejus, quam sequuntur, sapientiae disputare virtuti tribuunt, eorumque opinioni suffragantur pauci, sed dignitate primi. Atque ab illis nihil fere agitur; nam si quando magistratus gerunt, inviti quidem et necessitate coacti Pharisaeorum opinioni assentiuntur, qnod eos alioqui non ferret populos.“ Cfr. B. j. 2, 9, 1. et alias.

[4] Cfr. Ant. 14, 10, 4. 16, 6, 1—7. Contra Apionem dicit: „Uuius Dei templum unum esse (quod simili simile delectetur), adeoque commune cum omnibus, quia Numini omnium commune sacrum. Ac sacerdotum quidem proprias ejus placandi partes esse, iis tamen unum semper aliquem praeesse genere principem, qui cum aliis sacerdotibus Deo sacrificet, leges custodiat, si quid erit controversum, arbitrio definiat, peractos denique reos justo supplicio coërceat. Et qui minus paruerit, poenam huic luendam esse quasi adversus Deum impie fecerit.“

[5] Cfr. Ant. 15, 9, 3. 17, 4, 2. 17, 6, 4. 18, 2, 2. 19, 6, 2. 19, 4, 8. 19, 8, 1. 20, 9, 1. 7. 20, 9, 4. 20, 10. al.

## §. 78.

### 2. Libri sacri N. T. consentiunt cum aliorum fide digna relatione de locorum adjunctis.

Si *locorum adjuncta* consideremus:

a) in N. T. libris *Palaestinae provinciae:* Judaea, Samaria, Galilaea, Peraea, Trachonitis et Ituraea — eaedem et eodem modo sitae commemorantur, ut apud Josephum Flav. (B. j. 3, 3. Ant. 1, 7. 17, 1, 10.), apud Tacitum hist. 2, 6. Strabonemque libr. 16.

b) *Latitudo lacus Gennesareth* (coll. Jo. 6, 19. cum Mt. 14, 24.) ita definitur, ut a Jos. Fl. bell. j. 3, 10. 7.; distantia oppidi Emmaus ab Hierosolymis Luc. 24, 13. ut bell. j. 7, 6. 6. et situs ignobilis loci Betphage (Mt. 21, 1. Mr. 11, 1. Luc. 19, 29.), ut in Gemara babyl. in tractatu Sanhedrin c. 1. §. 3. (Cf. Hug. I. pag. 18.).

c) *Capharnaumi et Jerichunte multi supponuntur portitores* (Mt. 9, 9. 10. Mr. 2, 14. Luc. 5, 27. 29. 19, 1.). Etiam Justinus (in epitome Trogi Pomp.) libr. 36. c. 3. dicit: „*Opes gentis ex vectigalibus opobalsami, quod in his tantum regionibus (Jerichuntinis) gignitur, crevere.*[1] Strabo vero ait lib. 16.: *Τὸν Λύκον καὶ τὸν Ἰορδάνην ἀναπλέουσι φορτίοις Ἀράδιοι μάλιστα.* Cum Jordanes non procul a Capharnaumo lacum Gennesareth ingrederetur: utraque civitas opportunissima erat sedes eorum, qui vectigalia exigebant.

d) S. Paulus Act. 21, 39. *Tarsum* vocat *οὐκ ἄσημον πόλιν;* eodem modo Jos. Fl. Ant. 1, 7. eam dicit *τὴν ἀξιωτάτην τῆς Κιλικίας μητρόπολιν*, et Ammianus Marcellinus lib. 14. c. 8.: „*Ciliciam Tarsus nobilitat, urbs perspicabilis.*"

e) Dum idem Apostolus *Athenis* philosophos et aram *θεῷ ἀγνώστῳ* dicatam invenisse legitur Act. 17, 23., consensus conspicitur cum Diodoro Sic. lib. 13., Strabone lib. 9. et Cicerone, qui filium suum studiorum causa illuc miserat (lib. de offic.), porro cum Philostrato in vita Apollonii lib. 6. c. 3. et Diogene Laërtio lib. 1. sect. 10. *Ἔτι καὶ νῦν ἔστιν εὑρεῖν κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων βωμοὺς ἀνωνύμους.*

f) Act. 13, 7. mentio fit *Sergii Pauli, insulae Cypri proconsulis.* Cum Dio Cassius narret, Cyprum cum Gallia Narbonensi ab Augusto concessam esse senatui in locum Dalmatiae, successores vero Augusti hac in re mutationem non fecerint: etiam in hac re consensum adesse cognoscimus.

g) Act. 18, 12. s. Paulus *Corinthi ad Gallionem,* Achajae proconsulem ductus, dein a portu Kenchraeo Ephesum in Asia minori devectus refertur v. 18. Suetonius jam vero in vita Claudii §. 28. dicit, provincias Achajam et Macedoniam, quas Tiberius ad curas suas transtulerat, a Claudio senatui esse redditas; hinc recte non de propraetore, sed de proconsule sermo est. Praeterea Corinthi duplicem fuisse portum, Lechaeum ad navigationes italicas et Kenchraeum ad asiaticas, testantur Horatius odar. lib. 1. 7. v. 2., Strabo lib. 8.,

[1] Cfr. Jos. Fl. Ant. 14, 4, 1.

Plinius hist. nat. lib. 3. c. 3. lib. 35. c. 5., Livius lib. 28. 8. lib. 32. 17. lib. 45, 28.

h) Act. 19, 15. *Ephesi* γραμματεύς tantae auctoritatis sistitur, ut tumultum populi sedare valeret. Consentit huic relationi scholiasta ad Thucydidis 7, 10. docens, γραμματεῖς apud Graecos fuisse magistratus, quibus cura civitatum erat demandata; erat ergo munus hoc honorificum.[1]

## §. 79.

**3. Libri N. T. consentiunt cum aliis fide dignis relationibus de indole et adjunctis personarum.**

Quodsi *integros populos et majorum civitatum incolas* spectemus:

a) *Spes regis magni* inter Judaeos proditurì, ad nationes etiam exteras et longe dissitas propagata supponitur Mt. 2, 2. — Id ipsum confirmat Suetonius in Vespas. §. 4. dicens: *„Percrebuerat oriènte toto vetus et constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judaeâ profecti rerum potirentur."* Cf. Tacit. hist. lib. 5. nro. 13.

b) *Judaei* in N. T. repraesentantur moribus corruptissimi, ad seditiones contra Romanos pronissimi, et in specie ad diversi generis juramenta emittenda ac violanda praeclives (Mt. 5, 24—36.). Primum etiam testatur Josephus Fl. integro opere de bello judaico, alterum non modo Talmudistae, sed etiam Martialis epigr. lib. 11. epigr. 47. dicens: *„Ecce negas jurasque mihi per templa tonantis; — non credo; jura, verpe, per Anchialum."*

c) *Ethnicis* in orando id fuisse vitii, quod Mt. 6, 7. Christus arguit, elucet e Terentii comed. 6, 6., ubi dicitur: *„Ohe! jam desine uxor deos gratulando obtundere. Illos tuo ex ingenio judicas, ut nihil credas intelligere, nisi idem dictum sit centies."* Mores eorum pessimos et quidem tales fuisse, quales in N. T., praecipue in ep. ad Rom. 1, 18—32. describuntur, nemo non concedet, qui poëtarum graecorum et latinorum scripta satyrica legerit meminéritque, nullum existere flagitium, quod ab aliquo deorum suorum non credidissent commissum.

d) *Athenienses* Act. 17, 21. 22. sistuntur rerum novarum audiendarum cupidi et superstitiose religiosi. Consentit *Demosthenes* (orat. Phil. I. orat. 4.), et in *Platonis* dialogis frequentissima est quaestio: *τί καινότερον;* *Pausanias* vero (in Attic. I. 24.) dicit: *Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις ἐς τὰ θεῖα ἐστι σπουδῆς.* *Petronius*

[1] Plura hujus generis inveniuntur in J. D. Michaëlis introd. in N. T. part. I. p. 49—73. et in Hugii introduct. part. I. Hugius tamen erravit modo, quo locum Act. 8, 26. tuetur; nam a Luca ad eam respici censet Gazae per Judaeos devastationem circa annum 65. aer. vulg., cujus mentio fit a Jos. Fl. de B. j. 2, 18, 1. Attamen voces: *αὕτη ἐστὶν ἔρημος* non sunt Lucae narrantis, sed angeli monentis, neque puncto a praecedentibus separandae sunt et ad *εἰς Γάζαν* referendae; sed potius ad formulam respiciunt: *εἰς ὁδὸν τὴν καταβαίνουσαν ἀπὸ Ἱερουσαλήμ;* etenim cur Lucas Theophilum suum de urbis Gazae statu instruere necessarium duxisset, non facile intelligitur; ast angeli non poterat non maximi interesse Philippo accuratius designare viam, qua incederet, ut Candacis reginae inveniret eunuchum.

(satyr. c. 17.): „*Utique,* inquit, *nostra regio tam praestantibus repleta est numinibus, ut facilius possis deum, quam hominem invenire.*“ *Strabo* denique lib. 10. ait: *πόλλα τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο.*

e) Quae Act. 19, 23. seqq. *de Ephesiis* cultui Dianae deditis, et v. 19. de libris magicis igni ab eis traditis leguntur, prorsus concordant cum relationibus *Pausaniae* (7, 2.), *Plinii* (5, 37.), *Livii* (1, 45.) de templo Dianae Ephesino, et cum consuetudine antiquorum, formulas magicas *ἐφέσια γράμματα* dicendi.[1]

f) *Corinthios* utraque ad eos epistola s. Pauli supponit de eloquentiae ac philosophiae cognitione superbientes, opulentos et petulantes, suaque lascivia alios longe superantes. Consentit cum his *Cicero,* qui (orat. pro lege Manil.) *Corinthum Graeciae lumen* appellat; *Strabo* de templo Veneris disserens, et ipse usus vocis *κορινθιάζειν,* quae ab Hesychio per *ἑταίρειν* explicatur (cf. etiam Plinium 34, 3. 35, 5.).

g) In epistola ad Titum 1, 12. s. Paulus ad poëtam domesticum (Epimenidem)[2] provocans dicit: „*Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.*“ Primum praedicatum exprimitur verbo *κρητίζειν,* olim jam in significatione „*mentiri, dolos nectere*“ usitato,[3] et in *Callimachi* effato;[4] alterum Plutarchus[5] Cretenses dicens *κακὰ θηρία;* tertium in antiquo latet proverbio: *Ὁ Κρῆς ἀγνόει τὴν θάλασσαν.*[6]

Si autem *ad singulas attendamus personas:*

a) *Herodes M.* Mt. c. 2. maxime suspiciosus sistitur, callidus et crudelis, quod et Josephus Fl. testatur, inter innumera crudelitatis facinora caedem Mariamnes, uxoris dilectae ob infidelitatis suspicionem narrans,[7] et filiorum e Mariamne genitorum, Alexandri et Aristobuli,[8] nec non quinque ante mortem diebus Antipatri[9] supplicia, et referens, tyrannum vitae finem sibi imminere praesentientem illustres totius gentis viros in carcerem conjici jussisse post obitum suum

---

[1] Cfr. commentarios in l. c.

[2] Epimenides, saec. VI. ante Ch. in insula Creta natus, poëta erat, virium divinarum particeps, propheta et thaumaturgus habitus. Cfr. Diogen. Laert. I. §. 110.; Plutarch. Solon. c. 12.; Diodor. Sic. V. 80.; Plato de legg. I. 11.; Cicero de divin. I. 18.

[3] Suidas: *πρὸς Κρῆτα κρητίζειν.*

[4] *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο Κρῆτες ἐτεκτήσαντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.*

[5] In vita Aemilii.

[6] Erasmi adagia p. 586. Cfr. s. Hieronym. ad h. l.

[7] Ant. 15, 7, 1—4.: „De uxore (Mariamne) judicium habuit, convocatis suis familiarissimis, et accusatione in ipsam magno studio instituta de amatoriis et pharmacis ei per calumniam objectis. — Atque ita quidem ad necem ducta est Mariamne.“

[8] Ant. 16, 11, 6. 7.: „Alexander vero et Aristobulus ducti Sebasten jussu patris ibi strangulantur, et corpora noctu portantur Alexandreum, ubi siti erant maternus avunculus et plurimi ex majoribus eorum. Cfr. B. j. 1, 27, 6.

[9] Ant. 17, 7, 1.: „Tum Herodes, qui jam ante valde affectus erat erga filium, — cum exclamatione caput sibi, quamvis in extremis esset, percussit, erectusque in cubitum imperat, missis quibusdam satellitibus, ut e vestigio, sine ulla cunctatione Antipatrum interficerent, eumque in Hyrcanea ignobili funere sepelirent.“ Cfr. B. j. 1, 33, 7.

necandos, ne Judaeis deesset luctus.[1] Consentit *Macrobius*, qui Saturnal. lib. II. c. 4. duo facta diversa commiscens haec refert: „*Augustus, dum audisset, inter pueros, quos in Syria Herodes, rex Judaeorum, inter bimatum jussit interfici, filium quoque ejus esse occisum, dixit: Melius est Herodis porcum esse, quam filium.*“

b) *Archelaum* non minus suspiciosum et crudelem, *Herodem Antipam* voluptatibus deditum, *Philippum* vero mitem justumque, ut N. T. libri (Mt. 2, 22. Luc. 3, 19. 20. Mt. 14, 1. 3. Mr. 8, 15, 27.) innuunt, ita Josephus Flavius describit; nam priorem „*quasi veritus esset, ne germanus Herodis filius non haberetur,*“ antequam in regno suo esset confirmatus, „*civium trium millium caede regno praelusisse*“ narrat; et decimo regiminis anno a Judaeis et Samaritanis Romae crudelitatis accusatum in exilium esse missum;[2] alterum incestuosum et adulterum sistit;[3] tertium benignum et mitem repraesentat.[4]

c) Dum Act. 12, 1—4. Jacobum Majorem ab *Herode Agrippa* gladio interemtum, et cum rex vidisset, factum hoc gratum esse Judaeis, Petrum quoque in vincula conjectum esse legimus, ut morti traderetur: consentientem invenimus Josephum Fl., qui eundem delineat favoris Judaeorum, praecipue Hierosolymitarum cupidissimum, et ideo legis mosaicae observandae studiosissimum.[5]

d) Jo. 19, 12. invenimus, *Pilatum* vocibus Judaeorum: „*Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*“ permotum esse ad Jesum innocentem morti tradendum. Jam vero tam Suetonius, quam Tacitus Tiberium describunt pronissimum ad suspicionem majestatisque aemula-

---

[1] B. j. 1, 33, 6.: „Illustres totius Judaeae (Ant. „totius gentis“) viros ex singulis vicis collectos in locum, qui Hippodromus vocabatur, concludi jussit. Tum accersita sorore Salome viroque ejus Alexa: Novi, inquit, Judaeos morte quidem mea festos dies acturos; aliorum vero causa lugeri possum et funus splendidum consequi, dummodo meis mandatis obsequi velitis. Hos autem viros in custodia clausos simul atque animam exhalavero, omnes interficite, quo et universa Judaea et singulae domus vel invitae mea morte illacrymentur.“ Cfr. Ant. 17, 6, 5.

[2] Cfr. Ant. 17, 3, 2. B. j. 2, 6, 2. et §. praec. ad b) not. 1.

[3] Josephus Fl. Ant. 18, 5, 1. 2. Antipae matrimonium cum Herodiade narrat et bellum cum Arabum rege ideo ortum, in quo Herodes victus est et totus ejus exercitus caesus, quam calamitatem populus poenam babuit interfecti Joannis Baptistae.

[4] Ant. 18, 4, 6.: „Tunc etiam Philippus, qui Herodis (Antipae) frater erat, vita decessit, anno quidem Tiberii principatus vigesimo, postquam vero ipse praefuerat Tracbonitidi et Gaulonitidi atque etiam Batanaeae, anno tricesimo septimo, vir suapte natura moderatus erga subditos, quieti ingenii; nam omnem vitam in ditione agebat. Quoties autem domo progrederetur, cum paucis delectis incedebat, atque in solio sedens, unde jus diceret, quod, dum iter faceret, subsequebatur; si quis obviam factus ejus ope et auxilio egeret, sine mora et dilatione, qua occursus erat posito throno, in eo sedens causam cognoscebat, et sontes poenis afficiebat, et iniquis criminibus irretitos solvebat.“

[5] Ant. 19, 6, 1—3., ubi inter alia legitur: „Ille vero (Agrippa), cum Hierosolyma pervenisset, victimas pro gratiarum actione immolavit, ita ut nihil a lege praescriptum omiserit. Unde et multos Naziraeos tonderi praecepit, et catenam auream, quam ei dederat Cajus, — tristis fortunae monumentum ejusdemque in melius mutatae testimonium, intra conseptum templi supra gazophylacium suspendit, ut documento esset, et maxima posse concidere Deumque solere ea, quae conciderant, erigere. — — Hierosolymis deinde amoris ipsorum et benevolentiae gratiam retulit. Nam remisit eis tributum, quod pro singulis aedibus solvebatur“ etc.

torem accerrimum et vindicem maxime severum.[1] Mirum itaque non est, Pilatum, cui ob alias causas Caesaris ira erat metuenda, voluntati Judaeorum cedendo accusationem et inquisitionem in suam administrandi rationem evitare voluisse.

e) De *Felice* denique, Judaeae procuratore, Tacitus hist. V. 9. dicit: *„Felix per omnem saevitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit.“* Mire cum hisce consentiunt, quae Act. 24, 24 — c. 25 leguntur.

## §. 80.

### Objectiones solvuntur.

Assertioni nostrae de concensu N. T. auctorum cum scriptoribus profanis sequentia praecipue opponi possunt et solent:

*1. Obj.* Luc. 2, 2. mentio fit descriptionis ab Augusto mandatae, et a Quirino, Syriae praeside, susceptae, cujus occasione Christus Bethlehemi sit natus. Atqui teste Josepho Fl. tempore nati Salvatoris non Quirinus, sed Saturninus Syriae praefuit; ille serius demum, Archelao in exilium misso, ergo elapsis annis 12. Syriae praefectus est, et una cum Coponio procuratore in Judaeam venit, ut Judaeorum bona censeret.[2] Lucas igitur confundit personas, tempora et facta, et proinde historiae ignorantiam prodit.

Resp. S. Lucas non confundit personas, tempora et facta, neque rerum ignorantia laborat; nam a descriptione, de qua in nostro loco sermo est, Act. 5, 37. probe distinguit censum, Archelao relegato per Quirinum actum, qui seditioni ansam dedit, et de quo Josephus l. c. loquitur; neque lapsu memoriae erravit, quum diligentissimus esset scriptor. Fundata potius oritur suspicio, s. Lucam perperam intelligi ab iis, qui istam movent objectionem. Locus noster sic sonat: *Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.* Quodsi haec vertantur: Descriptio haec prima erat Quirini, Syriae praesidis, revera oriretur pugna. Ast in s. scriptura superlativus *πρῶτος* adhiberi solet loco comparativi *πρότερος*, ut Mt. 5, 24. 8, 21. Jo. 1, 15. 15, 18. Praeterea si qualitas objectorum comparatorum est eadem, omittitur particula comparativa *ἤ* una cum altero sub-

---

[1] Sueton. in Tiber. 58.: „Sub idem tempus consulente praetore, an jndicia majestatis cogi juberet, exercendas esse leges respondit, et atrocissime exercuit. Statuae quidam Augusti caput demserat, ut alterius imponeret. Acta res in senatu, et quia ambigebatur, per tormenta quaesita est. Damnato reo, paulatim hoc genus calumniae eo processit, nt haec quoque capitalia essent: circa Augusti simulacrum servum cecidisse, vestimenta mutasse, nummo vel annulo effigiem impressam latrinae aut lupanari intulisse, dictum ullum factumve ejus existimatione aliqua laesisse.“ Cfr. Tacit. Annal. lib. VI.

[2] „Interea Quirinus, unus e senatoribus, vir omnibus magistratibus jam perfunctus, et qui per omnes honorum gradus ad consulatum usque provectus fuerat, aliis etiam dignitatum insignibus conspicuus, cum paucis comitibus in Syriam pervenit, missus a Caesare, tum ut jus redderet populo, tum ut census facultatum ageret. Mittitur etiam cum eo Coponius, vir ordinis equestris, qui summa cum potestate Judaeis praeesset. Venit Quirinus etiam in Judaeam Syriae addictam, ut eorum bona censeret (*ἀποτιμησόμενος τε αὐτῶν τὰς οὐσίας*).“

stantivo aut pronomine, quod qualitatem indicat, et objectum comparatum in genitivo ponitur, v. g. Jo. 5, 36. Mt. 5, 20. Idem fit in lingua latina (superficies aquae major est, quam ((illa) terrae continentis). Si jam dicta ad nostrum locum applicentur, sequens prodit versio: Haec descriptio prior erat, quam illa Quirini, cum Syriae praeses esset. — Hac adnotatione itaque s. Lucas praecavere voluit, ne descriptio haec tempore Salvatoris nati confunderetur cum seriori illa a Quirino suscepta, ut manifeste patet e voce πρώτη, quae secus plane superflua esset.

*NB.* Alii alio modo difficultatem removere conantur, aut vertendo: Haec descriptio prius erat facta, quam Quirinus Syriae praeses esset, quae interpretatio usui loquendi biblico respondet, et cum priore, si sensum spectes, fere convenit; aut reddendo: Haec descriptio prima erat Quirini (extraordinarii legati, serius) praesidis Syriae, quod vero artificiosum est; vel textum e conjectura mutando; vel versum hunc scholion librarii cujusdam imperiti habendo, serius textui ipsi insertum; aut loco αὕτη legendo αὐτή et reddendo: Ipsa descriptio demum sub Quirino locum habuit, ita ut verbum ἀπογράφεσθαι v. 1. denotet: nomina et facultates civium in tabulas referre, ἀπογραφή autem v. 2. ipsam census exactionem. Omnes vero hae sententiae magis minusve arbitrariae sunt et vanae.

*2. Obj.* Luc. 3, 2. Annas et Kaiphas eo anno pontifices fuisse dicuntur, quo Joannes B. praeco Messiae prodiit; auctor itaque supponit, aut Annae Kaipham eo anno immediate successisse, aut Annam et Kaipham simul pontifices fuisse. Ast alterum locum habere non potuit, quia rebus Judaeorum sacris eodem tempore nonnisi unus praefuit pontifex, et Josephus Fl. de exceptione hac in re facta nullam facit mentionem; neque primum admittere fas est, quia Josephus testatur,[1] a Valerio Grato, procuratore Romano, Annam pontificem esse depositum et successorem ei datum Ismaëlem, hocque post breve tempus a pontificatu amoto Eleazarum, Annae filium, pontificem esse creatum; deposito post annum elapsum etiam isto eundem procuratorem Simoni dignitatem pontificiam concessisse, et postquam hunc quoque anno elapso removerat, Josephum Kaipham sacerdotum principem constituisse, qui usque ad Vitellii in Syriam adventum dignitate hac gavisus est, ergo etiam tempore, quo Joannes B. publice prodiit, pontifex erat.[2]

Resp. Difficultas utique gravior est, et ideo diversae sunt eruditorum sententiae, qua ratione Annas et Kaiphas summi pontifices simul commemorentur, imo Annas Kaiphae praepositus legatur. Alii putant, Kaipham dictum esse pontificem, quod illo tempore munere pontificio reapse fungeretur, Annam vero ei adjungi, quia illa dignitate olim gavisus esset. Verum non intelligitur, cur ex illis, qui ante Kaipham pontifices erant, ipse Annas diserte nominatus sit, neque alius, v. g. Ismaël, aut Eleazarus aut Simon, qui omnes ad Kaiphae tempora propius accedebant, quam Annas; imo cur s. Lucas

[1] Ant. 18, 2, 2.
[2] Cfr. Jos. Ant. 18, 4, 3. ad finem.

Annam, virum pontificium, Kaiphae praeposuerit. Alii statuerunt, vocem ἀρχιερεύς l. c. non munus sacerdotale, sed civile significare, Annam nimirum fuisse praesidem synedrii, qui נָשִׂיא vocabatur, Kaipham autem proximum locum tenuisse ei competentem, qui olim אַב בֵּית דִּין, pater domus judicii, dicebatur. — Sed praesidem synedrii dictum esse ἀρχιερέα, et hoc nomen munus civile significasse, demonstrari nequit, et Kaipham summum pontificem fuisse et praesidem synedrii, ex ipsa historia illorum temporum patet coll. Mt. 26, 57. 59. — Alii asserunt, Kaipham tum temporis pontificem verum, Annam vero ejus vicarium fuisse, ab Hebraeis סְגַן dictum. Ast 1. demonstrari nequit, eum, qui Sagan dicebatur, ordinarium in omnibus officiis summi sacerdotis, et Annam perpetuum Kaiphae vicarium fuisse; nam Josephus (Ant. 17, 6, 4.) et Talmud exempla quidem adferunt vicarii, ast ob specialem tantum casum, ad brevissimum tempus et hunc solum in finem electi, ut magno expiationis die loco summi sacerdotis, fortuito contaminati in Sanctissimum ingrederetur, quo facto munus ejus statim exspiravit. Praeterea 2. etiamsi, Annam perpetuum fuisse vicarium, concederetur, quomodo Kaiphae, vero pontifici, praeponi potuerit non perspicitur. Denique 3. peculiarem fuisse causam, ob quam Annas summus sacerdos dicatur, imo Kaiphae hic ibi praepositus legatur, edocemur ex Jo. 11, 49. 51. et 18, 13., ubi ter repetitur, Kaipham fuisse pontificem illius anni, et ex Act. 4, 6., ubi Annas nominatur princeps sacerdotum, Kaiphas vero adnumeratur illis, qui e genere pontificio erant, uti Joannes et Alexander. —

Quae cum ita sint, probanda est Hugii sententia sequens:[1] Sub Romanorum imperio Judaeorum pontifices, qui non ex aperto quidem legis praescripto, attamen consuetudine vim legis habente tales erant ad dies vitae, frequenter depositi sunt; Kaiphas autem contra omnem exspectationem hac suprema dignitate per novem saltem annos gavisus est, quod explicari non potest, nisi statuendo, Kaipham, quo tutiorem se redderet ab Anna, qui opum et auctoritatis suae pondere quinque filios suos ad pontificatum promovere scivit, pactum iniisse cum eo, vi cujus alternis vicibus, quae singulis annis mutabantur, pontificio munere fungerentur, imo istud concordiae vinculum etiam nuptiis confirmatum esse coll. Jo. 18, 13. Hac hypothesi admissa explicatur, quomodo 1. s. Lucas Annam et Kaipham pontifices simul commemoret, imo illum huic praeponat, quia Kaiphas illo tempore verus quidem, i. e. a procuratore constitutus erat sacerdotum princeps, Annas autem vi pacti pontificatu fungebatur; quomodo 2. s. Joannes ll. cc. adeo emphatice asseveret, Kaipham fuisse pontificem illius anni, quo Christus mortuus est; quomodo 3. s. Lucas Act. 4, 6. denuo ita loquatur, ut tempore mortem Jesu proxime secuto Annam dignitate pontificia gavisum esse, clare pateat; nam festum paschale, cum initio anni ecclesiastici fere coincidens, opportunum erat tempus, quo Annas et Kaiphas vices mutarent; hinc si Kaiphas ante pascha anni, quo Jesus mortuus est, pontifex erat, Annas a

[1] Einleitung 3. Aufl. II. Theil. S. 218. ff.

paschate hocce, ergo et post festum pentecostes, de quo tempore Act. 4, 6. sermo est, summi sacerdotis munere fungebatur.

Quodsi Josephus Fl. pacti hujus non facit mentionem, silentium ejus narrationi evangelistarum eo minus obest, ac illius maximi intererat, negotiationem hancce, pontificiae dignitati minus honorificam, silentio praetermittere, quemadmodum non narrat, pontificatum a quoquam auri argentique pretio esse emtum, licet hoc ob illius temporis adjuncta et personarum conditionem in pluribus procul dubio locum habuit.[1]

*3. Obj.* Mt. 14, 3. 4. Herodes Antipas Joannem B. in carcerem conjecisse dicitur, quia illi illicitum cum Herodiade conjugium exprobravit, ergo ob loquendi libertatem; Josephus Fl. vero id factum perhibet, quod Herodes timuerit, ne magna Joannis auctoritas populum ad defectionem impelleret, ergo ob metum.[2]

Resp. Relationes hae sibi non repugnant, sed potius optime concordant. Cum enim Joannes libere, absque personarum respectu improbanda improbaret, in Herode male sibi conscio non poterat non enasci metus, ne, si Baptista etiam publice, coram populo illud incestuosum adulterium damnaret, periculum aliquod sibi oriretur. Matthaeus causam primariam adfert, nempe libertatem Joannis, unde enatus est timor, Josephus vero ejus sequelam, nimirum timorem ipsum in Herode ortum.

*4. Obj.* Mr. 8, 22. Luc. 9, 10. mentio fit de Bethsaida in Gaulonitide sita. Ast aetate Apostolorum civitas illa jam non sic vocabatur; nam a Philippo tetrarcha amplificata, exornata et in honorem Juliae, Augusti filiae, Julias appellata erat.[3]

Resp. Experientia teste antiqua oppidorum, urbium et in genere locorum nomina, etsi nova accesserunt, diu in usu manere solent populi. Praeterea ipse Augustus foedâ filiae suae vitâ adeo offensus erat, ut nomen ejus oblivioni tradi cuperet, et Tiberius, Juliae conjux, mortuo Augusto permisit, ut illa in exilio misere periret; hinc non mirum, utroque imperatore vivente, eoque magis serius nomen Julias ex adulatione ortum, plane neglectum esse, et antiquum Bethsaidae nomen praevaluisse.

*5. Obj.* Jo. 1, 28. sermo est de Bethania trans Jordanem sita; atqui Josephus Fl. illius oppidi nullibi mentionem facit, et Origenes nonnisi unum hujus nominis oppidum in vicinia Hierosolymorum invenit, quod etiam in N. T. frequenter commemoratur. S. Joannes itaque errorem topographicum commisisse videtur.

Resp. Josepho non erat consilium Palaestinae topographiam scribendi, et proinde cuncta illius oppida enumerandi; silentium ergo ejus nihil probat. Origenis autem aetate (saec. III. p. Ch.) Palaestinae facies tota jam mutata erat, multae civitates, oppida et pagi tempore belli judaici et serius perierant; plurium etiam nomina mutari poterant. Quare

[1] Cfr. II. Macch. 4, 7. 24. 14, 4. 13. 26.
[2] Jos. Fl. Ant. 18, 5, 2.
[3] Jos. Ant. 18, 2, 1. B. j. 2, 9, 1.

nihil obstat, quominus aetate Christi et Apostolorum duplex in Palaestina exstiterit oppidum Bethania dictum. Qua in sententia eo magis confirmamur, quod ipse Joannes de utraque Bethania loquens diligenter addit epitheta, quae ad clariorem ejus distinctionem ac determinationem inserviant. Sic 1, 28. dicit: *Ἐν Βηθανίᾳ πέραν τοῦ Ἰορδάνου*, 11, 1. autem ad nomen Bethaniae addit: *κώμη Μαρίας καὶ Μάρθας*, 12, 1. *ὅπου ἦν Λάζαρος ὁ τεθνηκώς.* Porro Origenes, se ad Jordanem, ubi Joannes baptizaverat, invenisse tradit vicum Bethabara dictum. Bethania itaque et Bethabara procul dubio ejusdem loci vel simul vel successive nomen erat, cum utraque vox, si etymologiam spectemus, fere idem denotet: בֵּית־אֳנִיָּה, domus vel locus navis, בֵּית־עֲבָרָה, domus vel locus ratis trajiciendo flumini inservientis.

*6. Obj.* Act. 9, 1. Saulo a Judaeorum pontifice datae esse leguntur literae, quibus instructus Christianos Damasci degentes comprehenderet, et vinctos Hierosolymam duceret puniendos. Atqui Damascus eo tempore non parebat Romanis, eo minus Judaeis, sed Aretae Arabum regi (coll. Act. 9, 23. II. Cor. 11, 32.).

Resp. Aretas, cum esset Romanorum socius vel potius cliens, synedrii Hierosolymitani et summi pontificis in Judaeos in rebus religionis jurisdictionem, privilegiis Caesarum vel extra Palaestinam munitam, contemnere vix poterat.

*7. Obj.* S. Paulus anno circiter 58. Caesaream abductus Felicem, Judaeae procuratorem, Act. 24, 10. alloquitur virum, qui genti judaicae a multis annis jam praeesset. Atqui Felix Judaeae praefectus non est ante finem anni 54.

Resp. Ut de obscuriori Taciti loco [1] nihil dicamus, Felicem ab anno 53. usque ad 60. aer. vulg., ergo per septem annos Judaeae fuisse procuratorem, aliunde certum est; [2] hinc s. Paulus anno 58. utique ea dicere poterat, quae ad Felicis benevolentiam sibi conciliandam leviori hyperbola utens l. c. edixisse legitur.

## §. 81.

### Consensus huc usque demonstrati momentum.

Consensus, quem in praecedentibus probavimus, evidentissimum praebet authentiae librorum N. T. criterium. Nam si libri hi non essent authentici, tanta eorum harmonia cum fide dignis aliorum relationibus adesse vix posset. Quodsi enim libri N. T. essent spurii seu suppositi, aut jam aevo Apostolorum, aut inde a saec. II. supponi debuissent. Ast viventibus Apostolis et immediatis eorum discipulis

---

[1] Tacit. Annal. 12, 54. ait: „At non frater ejus (Pallantis), cognomine Felix, pari moderatione agebat, jam pridem Judaeae impositus et cuncta malefacta sibi impune ratus tanta potentia (fratris) subnixo. — — Atqne interim Felix intempestivis remediis delicta (Judaeorum) accendebat aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis, ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent, discordes olim et tum contemtu regentium minus coërcitis odiis“ etc.

[2] Cfr. §. 154. 3.

non potuissent supponi eo eum successu, ut ab omnibus ecclesiis genuini haberentur, et quidem ob vigilantiam eorum, quibus historia et doctrina Christi custodienda tradita erat; suppositores autem serioris temporis ab omni pugna cum fide dignis aliorum relationibus sibi cavere haud potuissent; etenim

1) status reipublicae, et in genere res judaicae usque ad hoc tempus ingentem subierant mutationem. Nam non tantum Hierosolyma cum templo eversa erant, et cultus mosaicus ibi cessaverat; sed permultae aliae etiam civitates, oppida et pagi perierant; antiquis opinionibus ac sententiis recentes successerant, novae cognitiones et notiones enatae erant, aliae in lingua formulae introductae etc. In his adjunctis omnem anachronismum, errorem et proinde pugnam evitare cuivis libros N. T. suppposituro perdifficile fuisset, plane impossibile vero

2) hominibus illiteratis, quales N. T. auctores fuisse, quaevis pagina ostendit. Cum enim ne Curtius quidem, Livius, Philostratus, Justinus, qui erant viri singulari tum ingenio praediti, tum eruditione ornati, omnem anachronismum et errorem evitaverint, ubi non coaeva, sed antiquiora referunt: quomodo N. T. auctores, si eorum libri essent suppositi, similia evitando pares fuissent? — Sic Livius nomina Sinuessa, Praeneste, Arpi, quae recentiora sunt, loco antiquiorum: Sinope, Argos-Hippium et Stephane habet. Philostratus in vita Apollonii Tyanaei Babylonem urbem magnificam ad id tempus depingit, quo jam fere diruta erat et deserta. Justinus (lib. 36. c. 2.) inter plura vera de Hebraeis allata Abrahamum et Israhel Damascenorum reges dicit; Israhelem populum in 10 regna divisum filiis tradidisse; Moysen, Josephi filium, et populi ex Aegypto in patriam Damascenam reducti regem fuisse perhibet.

## II. Libri N. T. materiâ et formâ suâ consentiunt cum conditione et adjunctis auctorum, quibus adscribuntur.

### §. 82.

**Conspectus materiae tractandae.**

Antiquissima et fere unanimis traditio eccl. refert, auctores librorum N. T. fuisse viros

1) octo diversos;
2) antequam Christo nomen dederunt, Judaeos;
3) duobus exceptis illiteratos, et
4) rerum a Christo gestarum dictorumque ejus et fatorum immediatos testes.

Ut jam alterum authentiae criterium internum libris N. T. insit, materiâ et formâ suâ huic auctorum, quibus tribuuntur, conditioni, hisque eorum adjunctis respondeant, necesse est. Quae ita se habere, sequentia docebunt.

## §. 83.

**1. Libri N. T. octo viris diversis originem debent.**

Si indolem librorum N. T. spectamus, nihil adesse invenimus, cur vel pluribus vel paucioribus, quam octo auctoribus tribuendi sint. Sic

1. *Evangelia tria priora* non tantum cum quarto, sed etiam inter se invicem collata adeo differunt rerum, de quibus agunt, delectu, dispositione et tractatione, porro stylo et quodammodo saltem linguâ, ut tribus auctoribus adscribi debeant. Discedunt a se invicem

*a) materiarum delectu.* Sic omnia, quae in tertio evangelio c. 1. et 2. de conceptione, nativitate et infantia Joannis B. et Jesu, et fere cuncta, quae a c. 12—19. referuntur, eidem peculiaria sunt; continet praeterea plures parabolas, quae in reliquis desiderantur. Evangelium primum longiores praecipue Christi sermones describit, et V. T. citatis abundat, dum secundum maxime factis eorumque adjunctis vel minimis delineandis occupatur, narrationis initium a Baptistae proditu repetit, et pauciores Christi sermones parabolasque exhibet. Diversa sunt inter se

*b) ordine et res tractandi modo* etiam in illis partibus, quas habent communes. In evangelio primo probatur, omnia evenisse in Jesu Christo, quae de Messia in V. T. erant praedicta, ideoque materiae saepe ita disponuntur, ut affinitas earum postulare videbatur. Secundum evangelium in connectendis singulis narrationibus accuratius quidem, quam primum, ordinis chronologici rationem habet; attamen nullibi apertam temporis determinationem adfert. Evangelium tertium nexum chronologicum accurate servat, attamen nonnisi latiorem, eventuum quorumdam tempus determinat, diversaque Christi itinera Hierosolymam suscepta innuit. Differunt

*c) stylo et lingua.* Tertii evangelii dictio graeca purior est, ubicunque auctor a fontibus hebraicis vel hellenisticis non dependebat. Primi evangelii lingua originalis hebraica erat, hinc et versio graeca exstans hebraizat; secundi dictio et stylus simplicitate sua ad genium idiomatis hebraici proxime accedit. Quare tria priora evangelia tribus auctoribus diversis tribuenda sunt.

*Evangelium quartum* plane peculiaria refert; nam praeter tres vel quatuor relationes ne quidquam cum prioribus commune exhibet; narrationes suas juxta diversa itinera a Christo Hierosolymam suscepta disponit, et dictione vividiori eminet. Evangelia synoptica Jesum potissimum in Galilaea docentem agentemque sistunt; quartum vero maximam partem ea narrat, quae Hierosolymis et in Judaea evenerunt; illa sermones Jesu praecipue ethicos, hoc magis dogmaticos complectitur; priora Jesu dignitatem messianam potius e factis ejus fatisque conspicuam reddunt; hoc sublimiorem, divinam ejus naturam e sermonibus clarius spectandam praebet. — Cum ergo tanta sit diverso respectu quatuor evangeliorum diversitas, manifestum est, indolem eorum prorsus consentientem esse traditioni

antiquissimae, quae eadem quatuor diversis auctoribus: Matthaeo, Marco, Lucae et Joanni adscribit.

2. *Actus Apostolorum* eundem cum evangelio tertio habere auctorem, ostendit tam dictionis et styli aequalitas, quam initium libri illius cum evangelii fine comparatum, nec non dedicatio utriusque operis eidem Theophilo facta.

3. *Epistolae tres, quae inter catholicas Joanni Apostolo adscribuntur*, opus auctoris evangelii quarti non possunt non agnosci; in prima enim eadem tractationis methodus intuitive didactica, in omnibus vero eaedem ideae, phrases et voces, quae evangelio propriae sunt, inveniuntur. Etiam *apocalypsis*, quamvis opus sit propheticum, symbolicum ac poëticum, et jam ideo peculiarem dictionem exhibere debeat: in ideis tamen suis, vocibus ac phrasibus clara ejusdem originis cum evangelio quarto suppeditat vestigia; saltem nihil adest, quod eam alii auctori tribui postulet.

4. *Tredecim epistolas, quae Pauli Apostoli nomen in fronte exhibent*, auctorem habere unum, simulque diversum a viris hucusque nominatis, docet cogitatuum abundantia, tractatio demonstrative-didactica, erudita et subtilis, dicendi ratio concinnior, et phraseologia omnibus his epistolis communis ac peculiaris. — *In epistola quoque ad Hebraeos* cuncta haec ita inveniuntur, si quamdam styli discrepantiam excipias; cum tamen haec aut ab ipsa opusculi forma majorique diligentia, quae in eo exarando adhibita est, commode repeti, aut inde explicari possit, quod auctor libellum hunc per alium scribendum curavit: non est, cur Paulo Apostolo non tribuatur.

5. Denique *auctor duarum epistolarum, quae Petri Apostoli nomine insigniuntur*, pastoris instar, cui omnium ecclesiarum demandata sit cura, sobrio, maturo modestoque studio conservandi et augendi fidelium gregis ab aliis N. T. scriptoribus distinguitur; *epistola, quae Jacobo Ap. adscribitur*, propter idearum sublimitatem cum styli simplicitate, popularitate et imaginum perspicuitate conjunctam, et *epistola, Judae nomen prae se ferens*, ob cogitatuum varietatis defectum, ob dictionem impeditam, et quia imaginibus potius turget, quam ut perspicuitate niteat, tam a se invicem, quam a reliquis N. T. scriptis adeo differunt, ut duobus aliis auctoribus tribui debeant.

Pro dictis itaque indoles librorum N. T., si auctorum spectemus numerum, cum traditione accurate concordat.

## §. 84.

**2. Auctores N. T., antequam Christo nomen dederunt, Judaei erant.**

Etiamsi non adessent loci Jo. 1, 35. seqq., Mt. 4, 18. seqq., Mr. 2, 14. coll. c. Mt. 9, 9., Act. 12, 12. Phil. 3, 5. et alii, utpote qui docent, Petrum, Jacobum, Joannem, Matthaeum, Marcum et Paulum Judaeos fuisse natos: idem e librorum N. T. materia et forma clare edoceremur. Nam

1) tantam auctores N. T. produnt cognitionem geographiae et

topographiae Palaestinensis, status Judaeorum tam civilis, quam religiosi, imo cujusvis sectae sententiarum, morum, rituum, ab illis gentilium plane diversorum; adeo familiarem sibi etiam inesse ostendunt notitiam historiae judaicae et librorum V. F., e quibus saepe argumenta, motiva, comparationes et imagines repetunt, ut jam ideo in gente hac nati et educati haberi debeant. Accedit

2) lingua, qua utuntur, hellenistica, et in epistolis saltem Paulinis hic ibi rabbinica. Etiam Lucam, qui nativitate ethnicus erat, antequam ad sacra christiana transierat, religione Judaeum fuisse, in introd. spec. probabimus.

## §. 85.

### 3. Duobus exceptis illiterati.

Auctores librorum nostrorum, demtis Luca et Paulo, eruditione scholari fuisse destitutos, indoles illorum operum manifeste ostendit. Nam

1. *In scriptis historicis a) non invenitur studium nexus pragmatici aut synchronistici* tale, quale historici eruditi observare solent; imo ipsum tempus memoratu dignissimum, quo Christus ejusque praecursor, Joannes B. nati sunt et publice prodierunt, s. Lucas solus accuratius determinat. *b) Desunt animadversiones.* ejusmodi, quales in eruditorum scriptis adesse solent, veluti observationes *psychologicae,* quibus lectores ad dicenda praeparentur, vel *comparatio personae primariae* cum aliis viris insignioribus. *c) Nexus periodici et styli cultioris* neglectus potius, quam cura invenitur. Solus Lucas apto exordio, puriori dictione et elegantiori stylo ibi utendo, ubi a fontibus hebraicis non dependebat, propius et hoc respectu accedit ad eruditorum historicorum scribendi modum.

2. Quod *libros didacticos attinet, s. Paulus* quidem in epistolis suis propositionem tractandam apto exordio praeparat, e variis partibus spectat, argumentis demonstrat, ab objectionibus vindicat, vel saltem simpliciter eis occurrit, ita ut epistolae ejus non raro tractatuum eruditorum formam nanciscantur; *epistolarum vero catholicarum auctores* varii generis objecta tractant, quin nexum sollicite curent, aut res variis e partibus spectatas varii generis argumentis subtilius demonstrent.

Omnia haec ostendunt, auctores N. T., si excipias Paulum et Lucam, institutione erudita non esse usos.

## §. 86.

### 4. Auctores N. T. maximam partem testes erant rerum, quas referunt.

1. *Tales haberi voluisse N. T. auctores,* docent *α)* inscriptiones plurium librorum, quippe quae exhibent nomina Joannis, Petri, Jacobi et Judae Apostolorum et vitae Jesu Christi publicae testium; *β)* plures scriptorum illorum loci, ut Jo. 19, 35. 21, 24. I. Jo. 1, 1—3.

II. Petr. 1, 14. 16—18. γ) In epistolis, quae Pauli Ap. nomine insigniuntur, fere omnibus talia occurrunt indicia, quae clare docent, auctorem Paulum haberi velle, et proinde facta fataque hujus nominis Apostoli, in Actis Ap. descripta, sibi tribuere.

2. *Eos testes oculatos revera fuisse*, e sequentibus patet:

*a*) *Nulla adsunt imitationis characteris alieni vestigia*, qualia vix abesse possent, si libri N. T. non a viris illis, qui immediati rerum relatarum testes erant, scripti, sed ab aliis hominibus eis suppositi essent. Si enim impostores N. T. auctorum personas in se suscepissent, alienos characteres repraesentare debuissent. Quod cum res tantae difficultatis sit, ut vel cultissimis admodum raro feliciter succedat, hominibus illiteratis et parum exercitatis, quales N. T. auctores fuisse inveniuntur, eo minus ita succedere potuisset, ut nullum fraudis detegeretur vestigium. Quod, si plures impostores praestare haud potuerunt, uni alterive, diversarum personarum characterem repraesentare cupienti, plane impossibile erat. Idem elucet

*b*) *ex summa illorum in referendo confidentia cum simplicitate conjuncta.* Ita enim vel grandia, summopere stupenda referunt, ac si fidem sibi denegare non modo nefas, sed etiam ineptum censerent. Nullas adhibent artes, quibus homines, incerta tantum fama edocti de illis, de quibus aliis persuadere desiderant, uti solent. Non provocant ad auctoritatem alienam, qua relationibus suis fidem concilient, nisi fors talia narrent facta, quibus nemo Apostolorum intererat, ut Mt. 27, 8. (nomen emti agri figuli), et 28, 15. (rumor de corpore Christi per discipulos sublato). Auctores N. T. probe novisse, qua re opus sit in illis referendis, in quibus auctoritas ipsorum, quia testes immediati non erant, haud sufficere videbatur, hi duo loci clare manifestant. Cum jam alias ejusmodi provocatione non utantur, clarum summae confidentiae, ex autopsiae conscientia ortae, indicium praebent. Accedit

*c*) *accuratus in relationum substantia consensus, conjunctus cum magna in accidentalibus varietate.* Qua in re idem invenitur, quod etiam in aliis immediatis testibus probis observatur; tales enim rem actam in essentialibus eodem modo referre, in accidentalibus vero in diversa abire solent, ut vel haec vel illa adjuncta animum uniuscujusque observantis magis minusve afficiant, aut prout singuli eandem rem e diversa parte spectant. — Quodsi libri N. T. suppositi essent, phaenomenon illud in eis haud inveniretur; suppositores enim aut conspirantes, aut ab incerta fama dependentes, aut facta fingentes scripsissent. Si primum habuisset locum, non tanta in occidentalibus adesset discrepantia, quae persaepe antilogiae speciem prae se fert; quodsi alterum aut tertium esset factum, in rerum substantia non tantus inveniretur consensus. Exemplo hac in re sunt evangelia sic dicta apocrypha, quorum monstrosae relationes sibi invicem repugnantes (relationes, quarum una alteram excludit) huic fonti originem debent. Denique

4. attentione dignissima est *absoluta, quam de Jesu et de utraque natura in eo conjuncta praebent imago.* Quicunque post N. T. auctores personae Jesu Christi delineationem susceperunt, si vestigia

eorum non stricte premebant, naufragium fecerunt, quia vel humanam Christi naturam ejus divinitate, vel hanc humanitate ejus quasi absorptam repraesentarunt. N. T. auctores vero, quamvis illiterati, periculum hoc felicissime evitarunt, et utriusque naturae in Jesu unionem intimam absque ulla confusione delinearunt. Singulare hoc phaenomenon explicari nequit, nisi ex diuturna eorum cum Christo conversatione, qua praesens efficacia utriusque naturae ejus ita eos afficiebat, ut non possent dissociare, quae arctissime conjuncta, hypostatice unita perceperant, nec confundere, quae ceu distincta sani sensus eos docebant.

*Objectio.* Cuncta haec fere eodem modo in evangelio Marci et Lucae non minus, ac in evangelio Matthaei et Joannis inveniuntur; atqui Marcus et Lucas non erant immediati rerum, quas narrant, testes, ergo tales ob argumenta allata neque reliqui evangelistae esse debent. Praeterea in illis partibus epistolarum Pauli, ubi de persona Christi loquitur, eadem, ac in aliis N. T. libris de utraque natura Christi doctrina deprehenditur; cum vero Paulus quoque non esset immediatus Christi discipulus, nec reliquorum N. T. librorum auctores tales habendi sunt.

*Resp.* S. Lucas non incertam famam secutus, sed ab iis accurate edoctus, *„qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis"* (1, 2. 3.), evangelium suum scripsit; s. Marcus autem, testante omni antiquitate, Petri Apostoli erat discipulus, comes et interpres. Libri itaque horum virorum tales considerandi sunt, per quos ipsi testes immediati loquantur. A ss. Luca et Marco igitur frustra objectio repetitur; quod enim hi in adjunctis suis peculiaribus efficere valebant, non alius quicunque in aliis circumstantiis efficiendo par erat. Quod vero s. Paulum attinet, tam acta Ap., quam ejus ipsius epistolae docent, eum doctrinam suam nemini hominum, sed immediatae Jesu Christi revelationi debuisse, et peculiares eidem contigisse revelationes, quibus ab ipso Domino de doctrinis gravissimis mens ejus collustrata erat (cfr. Gal. 1, 12. 2, 2. I. Cor. 7, 10. 11, 23. II. Cor. 12, 1. seqq. al.). Quare Paulus Ap., quatenus doctrinam Jesu Christi cum historia arctissime connexam proponit, immediatus testis est.

## §. 87.

**Suppositionem librorum N. T. excludit sacrorum auctorum character.**

Quisquis N. T. libros absque praejudiciis legerit, non poterit non cognoscere:

1. Tam praestantem in scriptis hisce tradi morum doctrinam, ut auctores viri, sensu veri honestique vividissimo praediti haberi debeant.

2. Scriptores sacros nemini adulari, sed ab omni partium studio aut odio alienissimos errores, vitia et scelera, ubicunque adsint, absque discrimine aequali severitate arguere; imo

3. non suorum tantum, sed etiam suam ipsorum imbecillitatem

pristinam, errores ac naevos ingenue fateri, quin studium prodant talia excusandi, aut in benigniori lumine collocandi; tandem

4. eos semet sistere viros, qui Christi causa non tantum commodis et gaudiis hujus vitae renunciaverint, sed etiam multa adversa jam sustinuerint, et ad gravissimas calamitates perferendas paratissimi sint

Cum jam ex operis indole, quae sit indoles auctoris, non temere colligatur: non obstante summo veritatis virtutisque amore, quem scripta N. T. spirant, auctores eorum impostores habere, temerarium et injustum foret, idque eo magis, ac nullum in eis mendacii ac fraudis committendae motivum cogitari possit.

Teste s. Augustino (contra Faust. lib. 33. c. 12.) Faustus Manichaeus libros N. T. suppositos esse contendebat, non tamen impio quodam, sed eo solum consilio, quo majorem auctoritatem nanciscerentur. Verum haec conjectura vana est; nam, ut alia silentio praetermittamus, sequentia observamus:

*a)* Ne pia (!) quidem fraus, ut dicere solent, convenit viris, qui tam praestantia morum principia tradunt, et adeo praeclaro charactere morali gaudent, ut auctores N. T.

*b)* Impostor cunctos libros N. T. Apostolis potius adscripsisset, quam absque nomine auctorum plures eorum edidisset, vel Apostolorum discipulis comitibusque quosdam tribuisset.

*c)* Suppositores tales non tot, quot habemus, N. T. libros elucubrassent, ne temere sibi multiplicarent laborem et cum eo fraudis detegendae periculum; plures enim libri N. T. aequalis fere sunt argumenti, ita ut, si suppositi essent, nonnulli superflui videri potuissent.

## B) Argumenta externa ss. N. T. librorum.

### §. 88.

**Eorum divisio et momentum.**

*Per argumenta externa authentiae librorum N. T. intelligimus fide digna antiquorum testimonia.* Ejusmodi autem testimonium libro cuidam redditur, dum vel liber et auctor nominantur et effata illius citantur; vel loci afferuntur cum sola sive auctoris sive libri commemoratione; vel si effata tantum plura aut pauciora, longiora aut breviora e libro allegantur cum diserta tamen adnotatione, ea e scriptura esse repetita; vel si absque ulla ad scripturam provocatione loci longiores et adeo accurate afferuntur, ut e traditione orali repetiti censeri vix possint; vel denique si liber notissimus certo auctori ob traditionem constantem claris verbis attribuitur.

Testimonia haec tanto majoris momenti esse, quanto viciniora sunt aetati apostolicae, res ipsa docet; ast non levioris ponderis sunt saeculorum proximorum testimonia, quatenus constante aevi prioris traditione et totius antiquitatis consensu nituntur.

Haec testimonia commode dividi possunt in illa *orthodoxorum, heterodoxorum et religionis christianae adversariorum.*

Omnium orthodoxorum et singularum ecclesiarum testimonia enumerare, superfluum foret; etenim cum nullus liber in N. T. Canonem esset receptus, de cujus authentia et apostolica origine non firmissima viguisset persuasio: testes Canonis simul testes sunt authentiae. Praeterea genuitatem librorum deuterocanonicorum, ut dicuntur, de quibus praecipue etiam nostris temporibus extra ecclesiam dubia moventur varia, in introductione speciali probaturi sumus. Quare in sequentibus e testibus orthodoxis nonnisi eos commemorabimus, qui in historia Canonis aut plane non, aut nonnisi data occasione obiter sunt nominati.

## I. Testimonia orthodoxorum.

### §. 89.

#### a) E saeculo I.

Quum sacri N. T. libri altera demum parte saeculi I. sint scripti; quum aevo illo virorum ecclesiasticorum nonnisi paucissimi exarandis libellis operam darent, nec omnia eorum scripta ad nos pervenerint: mirum certe non foret, si nullum plane illius aetatis exstaret testimonium. Nihilominus talia non desunt; nam

1. *Clemens Rom.*, procul dubio idem, qui Philipp. 4, 3. commemoratur, in priore sua ad Corinthios epistola [1] apertam mentionem facit epistolae a Paulo Ap. ad Corinthios missae, et hic ibi dicta exhibet manifeste depromta e I. Corinthios, ut c. 3. ubi lectores ad mutuam dilectionem exhortans eadem utitur similitudine, quae I. Cor. 12, 12—26. legitur; c. 46. idem adfert mutuae dilectionis motivum, quod I. Cor. 12, 27. legitur; c. 49. charitatis verae indolem iisdem fere delineat verbis, uti I. Cor. c. 13. Neque obscure prodit, notam sibi et magni habitam esse epistolam ad Hebraeos et illam s. Jacobi. Monita denique c. 13. et 46. allata ostendunt, evangelia Matthaei, Marci et Lucae auctori fuisse nota.

2. *Ignatius Martyr* († 106.) in sua ad Ephesios epistola §. 12. diserte commemorat epistolam Pauli ad Ephesios. Adsunt praeterea in aliis ejus epistolis dicta, quae manifeste desumta sunt e N. T. libris, uti in eadem ad Ephesios ep. §. 18. coll. c. I. Cor. 1, 18. 23.: *„Crux non credentibus est scandalum, nobis autem salus et vita aeterna;“* in ep. ad Smyrnenses §. 1. coll. c. Rom. 1, 3. 4.; ad Magnesianos §. 10. coll. c. I. Cor. 5, 7. 8.; ad Polycarpum §. 5. coll. c. Eph. 5, 25. et al.

3. *Polycarpus* in sua ad Philippenses epistola (intr. an. 167—169.) nominatim provocat ad epistolam Pauli ad eosdem, ita ut simul argumentum ejusdem respiciat. Praeterea §. 11. dicit: *„An nescimus, quod sancti mundum judicabunt?“* quae verba in I. Cor. 6, 2. legun-

[1] Cfr. Eus. h. e. III. 16. et 18.

tur; tandem §. 12. locum ex epistola ad Ephesios effati ss. literarum nomine adfert.

4. *Papias*, s. Polycarpo coaevus, episcopus Hierapolitanus in Phrygia elucubravit opus deperditum: Λόγων κυριακῶν ἐξήγησις, cujus Eusebius nonnulla nobis servavit fragmenta, quae evangeliorum Matthaei et Marci, dein I. ep. Petri et I. ep. Joannis contestantur authentiam.

5. *Hermas*, probabiliter idem, cujus Rom. 16, 14. fit mentio, in opere Ποιμήν seu Pastor inscripto tantam exhibet idearum et phrasium cum N. T. libris conformitatem, quae ostendat, eum plura N. T. scripta novisse et adhibuisse; in specie vero evangelio s. Matthaei testimonium reddit.[1]

## §. 90.

### b) E saeculo II. III. et IV.

Plura omnino magisque clara sunt testimonia e saec. II.; nam cum religione Christi etiam libri nostri latius propagabantur et per apographa multiplicabantur, jam a quibusdam impugnabantur, ab aliis vero defendebantur atque in alias linguas transferebantur.

Praeter versionem syr. Peschito, praeter fragmentum catalogi Rom. et Justinum Martyrem, praeter Origenem, Eusebium et Gregorium Naz. et reliquos §. 28. nominatos, saeculi II.—IV. testes memoratu digniores sunt:

1. *Irenaeus*, ab anno 177—202. episcopus Lugdunensis in Gallia, in opere suo adv. omnes haereses quatuor nostros evangelistas saepe nomine allegat (adv. haer. III. 1. et 17.), ex his et ex actibus Ap. religionis christianae dogmata comprobat (III. 18.). Gnosticorum errores impugnat e s. Pauli epistolis, quarum omnes excepta illa ad Hebraeos et ad Philemonem nomine citat; epistolas illas genuinas et divinas declarat earumque argumentum exponit (III. 7. 16. IV. 27.); I. Petri, I. et II. Joannis epistolam hujusque apocalypsin et genuinam esse testatur, et a Christianis communiter susceptam (IV. 9. III. 16. V. 26.).

2. *Athenagoras* Athen., scholae Alexandrinae praefectus, circa an. 177. fatis functus, reliquit nobis apologiam, cui titulus: πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν, et aliud opus: περὶ ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν. In apologia ad Marcum Aurelium Antoninum scopus operis, utpote ethnicis destinati, nec postulabat, imo ne admittebat quidem locos e N. T. libris citatos; nihilominus tamen auctor saepe eorumdem phrasibus utitur ad cogitata sua exprimenda. In opere autem suo de resurrectione ad possibilitatem mortuorum resurrectionis probandam integrum caput 15. primae ad Corinthios epistolae allegat et ad auctoritatem Apostoli diserte provocat.

3. *Theophilus*, ecclesiae Antiochenae antistes (ab an. 176—186.), in suis tribus ad Autolicum libris, quos religionis christ. defendendae causa scripsit, Autolicum ad libros Christianorum sacros subinde

[1] Cfr. dicta de codice Sinaitico §. 53. sub finem.

ablegat et nonnulla evangeliorum Matth. et Joannis effata, nec non epistolarum ad Romanos et I. Cor. locos argumentationibus suis inserit et diserte adnotat, esse hos librorum divinorum locos. (Libro III. c. 12. et 18. adfert Mt. 5, 28. 32. 44. et 6, 3. hac formula utens: *ἡ δὲ εὐαγγέλιος φωνὴ λέγουσα* et: *τὸ δὲ εὐαγγέλιον λέγει;* c. 14. allegat Rom. 13, 7. 8. I. Tim. 2, 1. 2. verbis: *ἔτι κελεύει ἡμᾶς ὁ θεῖος λόγος;* II. 31. dicit: *ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαί, καὶ πάντες πνευματόφοροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος λ.* Jo. 1, 1—3.)

4. *Clemens*, sub finem saec. II. ecclesiae Alexandrinae doctor et presbyter, Origenis magister, N. T. libros in duas dividit partes: *εὐαγγέλιον καὶ ἀπόστολοι* (Strom. V. 5. VI. 11. VII. 3.). Quatuor evangelia nostra canonica agnoscit et enumerat et Actus Ap. Lucae tribuit.[1] Omnes commemorat s. Pauli epistolas, sola ad Philemonem excepta, et epistolam ad Hebraeos a Paulo hebraice scriptam esse affirmat, a Luca vero in graecum translatam.[2] Teste Eusebio (h. e. VI. 14.) Clemens omnes epistolas catholicas interpretatus est, non autem superest, nisi interpretatio I. Petri, I. et II. Jo. et Judae epistolae, quas nominatis tribuit Apostolis.[3] Apocalypsin denique Joanni adscribit (strom. VI. 13.), et quidem Apostolo (paedag. II. 12.).

5. *Tertullianus* (ad finem saec. II. et initio III.), ecclesiae Carthaginiensis presbyter, cujus ad Montanismum defectio ethica quidem ejus principia mutavit, fidem vero historicam non reddit suspectam, authentiam librorum N. T. demonstrare adlaborat, omnesque, excepta epist. Jacobi, II. Petri, II. et III. Joannis, tamquam libros divinos expresse nominat. Porro libros hos a Christianis minime abscondi, sed vel in hostium manibus versari testatur; duas etiam distinguit collectionis partes, quarum primam Evangelium appellat, alteram Apostolum. Disserit denique de quadam horum librorum versione latina (de monogamia), quae, etiamsi non ubique sit accurata, in conventibus tamen Christianorum sacris praelegeretur.[4]

6. Ut *s. Cyprianus* cum Tertulliano, ita *Dionysius Alex.* cum magistro suo Origene consentit hoc solum discrimine, quod ille epistolam ad Hebraeos diserte tribuit Paulo Ap., apocalypsin vero Joanni Ap. abjudicat.

---

[1] Apud Eus. h. e. 6, 13. 14. Strom. V. 12.

[2] Cfr. Guerike de schola Alex. P. II. p. 7. seqq.

[3] In adumbrationibus et strom. III. 11. II. 15. III. 2. et paedag. III. 8.

[4] Memoratu dignissimus est locus de praescriptione haereticorum c. 36., e quo maxima elucet veterum ecclesiae doctorum sollicitudo et diligentia in investiganda et examinanda librorum apostolicorum origine illo tempore adhibita. Dicit enim Tertullianus l. c.: „Age jam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae; percurre ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae literae eorum recitantur. — Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum; si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum; si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.“

## §. 91.

### II. Testimonia heterodoxorum antiquissimorum.[1]

Coll. §. 32. antiquis temporibus nulla exstitit secta, quae N. T. Canonem servasset integrum. Attamen plurimorum librorum nostrorum auctoritatem quidem negarunt, quum non arriderent erroneis eorum placitis, e rationibus autem historicis genuinitatem non impugnarunt, sed potius eorum singulos, praecipue e protocanonicorum classe ipsi agnoverunt, sicque eis testimonium perhibuerunt. Sic

1. *Tatianus* et *Julius Cassianus.* Prior, Justini Mart. discipulus, serius autem sectae *Encratitarum* auctor, in opere suo: *περὶ τοῦ κατὰ τὸν σωτῆρα καταρτισμοῦ*, cujus fragmenta Clemens Alex. nobis servavit, utitur auctoritate dictorum, ex evangeliis Matthaei et Joannis petitorum. Etiam I. Cor. 7, 5. cum diserta ad Apostolum provocatione adhibet. — Idem Tatianus confecit opus *διὰ τεσσάρων* inscriptum, quod teste Dionysio Bar-Salibi quaedam erat quatuor evangeliorum harmonia, quam Ephraemus Syrus commentario illustravit, et cujus initium erat: *Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος κ. τ. λ.*, quae verba ex evangelio Joannis manifeste sunt desumta. — De *Severianis*, sectae Encratitarum surculo, Eusebius in h. e. IV. 36. dicit: uti eos lege, prophetis et evangeliis, Apostolum vero Paulum ab ipsis calumniis proscindi ejusque epistolas et Actus Ap. rejici. Eodem fere tempore *Cassianus* errores similes sparsit, nimirum matrimonium improbans, continentiam commendans et asserens, ipsum Paulum Ap. vinculi conjugalis derivare originem a seductione Evae per serpentem deceptae, quem in finem ad II. Cor. 11, 13. provocat. Praeterea liberorum procreationem terrestrem quidem decere hominem docebat, coelestem vero prorsus dedecere, et ad hanc assertionem probandam Philipp. 3, 20. allegavit (Clemens Alex. strom. 3, 14.). Teste s. Hieronymo (in comment. in ep. ad Galatas) ad conjugium impugnandum etiam verbis s. Pauli ad Gal. 6, 8. abutebatur.

2. *Gnosticarum sectarum homines varii.* Etsi operum, quae scripserunt, ad nos non pervenerunt, nisi fragmenta: plurium tamen sacrorum N. T. librorum testes agunt:

*a*) *Basilides* ejusque filius *Isidorus*, quorum prior I. Petri epistolam et ep. ad Romanos allegavit; alter evangelium Matth., epistolam ad Romanos et I. ad Corinthios.

*b*) *Valentinus* ejusque sectatores, a quibus nostra quatuor evangelia et epistolae ad Romanos, I. Cor. ad Gal. et ad Eph. sunt adhibitae, et loci horum librorum Apostoli nomine nonnunquam allegati.

*c*) *Ptolomaeus*, qui evang. Matthaei et Joannis usus est, porro epistolis ad Rom., I. Cor. et ad Eph.

---

[1] Cfr. Hug: Einleitung I. Th. S. 45. ff.

*d) Heracleon* praeter scripta mox nominata etiam evangelium Lucae adhibuit, nec non II. Cor. et II. Tim.

*e) Theodotus* non tantum quatuor evangelia et actus Ap., sed etiam epistolas ad Rom., I. et II. Cor., Gal. Eph. Philip. I. Tim. et I. Petri ita allegavit, ut partim Apostolum nominaret, partim effata simpliciter afferret.

De Marcione aliisque haereticis jam erat sermo.

## §. 92.

### III. Testimonia religionis christianae adversariorum.

Inter hosce nominari merentur:[1]

1. *Lucianus Samosatenus* (ab an. 120—200.), qui in morte Peregrini mentionem facit librorum, quos Christiani in conventibus suis sacris praelegerent et exponerent.

2. *Celsus*, qui circa medium saec. II. floruit, in opere suo: ἀληθὴς λόγος, cujus fragmenta ab Origene in VIII. libris contra Celsum servata sunt, non tantum Christianorum libros nomine εὐαγγέλιον commemorat, sed etiam plures ex illis locos adfert, et quamvis eos partim corruptos esse, partim antilogias continere asserat, eorum tamen genuinitatem minime negat aut in dubium vocat.[2]

3. *Porphyrius*, e Batanaea oriundus, hinc etiam ὁ Βατανεοτής dictus, nomine vero syr. Malcho appellatus, circa medium saec. III. Hic, inter omnes christiani nominis adversarios procul dubio doctissimus, in fragmentis operum, contra religionem christianam exaratorum residuis, argumentis tam exegeticis quam dogmaticis evangelia impugnavit Matthaei et Joannis, Actus Ap., epistolam ad Galatas et teste s. Hieronymo innumera alia loca; nullibi tamen, in quantum constat, horum librorum authentiam negavit aut dubiam reddere adlaboravit, hanc potius communiter agnitam fuisse ipso facto testatur; secus enim librorum illorum argumentum impugnare operae pretium non esset visum. Idem

4. de *Juliano apostata* valet.[3] Quare jam s. Chrysostomus ad horum testimonia recte provocavit (homil. 6. in I. Cor.) dicens: „*Sufficiunt etiam, qui nobis adversantur, ad contestandam librorum nostrorum antiquam originem, libri scilicet scripti a Celso et Bataneote, qui cum ipso faciebat. Neque enim contra posteriores invecti sunt scriptores.*“

## §. 93.

### Authentia ss. N. T. librorum critice et historice certissima est.

Examine tam materiae quam formae nostrorum N. T. librorum accuratiori instituto tantum in iis cum fide dignis aliorum relationi-

[1] Testimoniorum illorum collectionem edidit Lardner in quatuor tomis Londini 1764—70.

[2] Cfr. Hugii Einleitung I. 41. seqq.

[3] Vid. testimonia ejus in opere Lardneri collecta.

bus et cum universa auctorum, quibus tribuuntur, indole adjunctisque invenimus consensum, quantum de nullo antiquitatis libro profano praedicare fas est, quia tales hac ex parte non adeo severae subjici solent neque possunt crisi. Praeterea testes praesto sunt tanto numero, ut omnem antiquum repraesentent orbem christianum, et tanta claritate ac certitudine loquentes, ut quodvis excludant dubium. Testes hi fide sunt dignissimi; nam *a*) plures eorum illa vixerunt aetate, quae originis librorum nostrorum tempori proxima erat; *b*) testes orthodoxi integerrimae erant vitae, librorum tam sacrorum quam profanorum lectores diligentissimi et judices sagacissimi; *c*) in recipiendis libris sacris non animi indulserunt levitati, sed potius scepticos sese exhibuerunt; nam nonnisi indubio traditionis ecclesiarum apostolicarum testimonio aurem praebuerunt, ut Clementis Alex., Origenis, Eusebii aliorumque exemplum manifestissime docet (cfr. §. 30.); *d*) non obstante regionum, in quibus vixerunt, distantiâ, non obstantibus studiis, quibus ducebantur, diversis, imo (si haereticos et adversarios respicias) adversis, mirus de nostris N. T. libris saltem protocanonicis invenitur consensus.

Quodsi hac ex parte libros profanos consideremus, cum nostris ne in censum quidem venire possunt; nam illorum authentiam uno tantum alterove, non raro ambiguo scholiastae cujusdam, pluribus nonnunquam saeculis a tempore originis libri remoti, effato niti deprehendimus. Sacrorum itaque N. T. librorum authentiam infinite certiorem esse, quam ullius libri profani, jure asserere licet, ita ut, si non obstantibus argumentis allatis genuinitas ullius N. T. libri esset dubia, nullus profecto liber antiquus agnosci posset genuinus.

---

## CAPUT II.

### De librorum N. T. integritate.

### §. 94.

**Quid et quotuplex sit integritas et interpolatio. Dicendorum conspectus.**

1. *Per integritatem libri intelligitur immunitas ejus a mutatione textus invito auctore factâ.*

Immunitas jam vero haec locum habet vel in omnibus et singulis operis partibus et in cunctis ejusdem exemplaribus; vel in essentiali tantum operis parte et in pluribus solum monumentis. Unde oritur distinctio inter integritatem significatu latiori et strictiori spectatam. — Integritas significatu latiori, quae vulgo *integritas critica* vocatur, est immunitas omnium omnino operis cujusdam exemplarium ab omni, etiam levissima textus mutatione praeter auctoris voluntatem susceptâ. *Integritas* signif. strictiori seu *dogma-*

*tica* est immunitas omnium aut plurium operis monumentorum a mutatione essentiali praeter auctoris voluntatem factâ.

Integritatem criticam N. T. libris vindicari non posse, lectionum variantium collectiones clare ostendunt; quotquot enim lectiones variantes numerantur, tot adsunt testes mutationum in N. T. ortarum. Verum integritatem dogmaticam textui sacro adscribendam esse, in sequentibus demonstraturi sumus.

2. Integritati libri opponitur interpolatio, quae est mutatio in textu illius invito auctore facta.

Ut vero integritas, ita et interpolatio distinguenda est duplex, alia latiori significatu, strictiore alia considerata. *Interpolatio signif. latiore dicitur quaevis, etiam levissima in textu libri mutatio invito auctore facta;* et haec non quidem cum libro critice, bene vero cum opere dogmatice integro subsistere potest. *Interpolatio autem signif. strictiori spectata est mutatio deliberata invitoque auctore in textus essentia non tantum suscepta, sed etiam effectum consecuta seu universalis facta.* — Interpolatio sic definita distinguitur a mutationibus, quae aut casu, ergo non in omnibus exemplaribus accidunt (interpolatio fortuita), aut quae consulto quidem in essentiali operis parte suscipiuntur, sed licet magnam monumentorum partem pervadant, nequaquam tamen in omnibus exemplaribus aequali modo perficiuntur (interp. tentata). — Interpolatio signif. strictiori nec cum integritate critica, neque cum dogmatica subsistere potest, sed utramque excludit.

3. *Libri sacri N. T., etsi signif. latiori, minime tamen strictiori interpolati, sed potius dogmatice integri habendi sunt;* etenim

*a*) historia docet, interpolationem stricte talem nunquam fieri potuisse;

*b*) argumenta opposita nullius esse momenti, accuratius eorum examen manifestat; denique

*c*) rationes internae, tam ab argumento quam a forma horum librorum repetitae ostendunt, interpolationi strictius spectatae non fuisse locum.

## §. 95.

### a) Historia docet, interpolationem stricte talem nullo unquam tempore effici potuisse.

Interpolatio librorum N. T. stricte talis, si unquam esset effecta, fieri debuisset aut inde a saeculo II. p. Ch., aut jam saec. I.; ast neutrum locum habere potuit. Quod enim primum attinet, libros sacros N. T. jam saec. II. per apographa valde multiplicatos, in remotissimas regiones propagatos, in manibus amicorum et inimicorum religionis christianae versatos fuisse, e testimoniis orthodoxorum, haereticorum et adversariorum Christi, quae suis locis afferuntur, ergo ex historia abunde constat. Rebus ita positis interpolandi conatus neque saeculo II., eo minus temporibus subsequis feliciter succedere potuisset. Quis enim omnibus his sacri textus monumentis adeo copiosis et tam longe lateque dispersis esset potitus? Quis

possessores eorum tum orthodoxos tum haereticos, quis omnes ecclesiarum antistites et fideles eis subditos permovisset ad unam eandemque mutationem in textu sacro suscipiendam, cum, ut historia docet, Christianorum plurimi potius sanguinem suum funderent, quam libros sacros adversariis traderent? — Sane, si quis antiquorum rei huic efficiendae tum ob ingenii aciem, tum ob audaciam, quae ad id requiritur, idoneus habendus foret, is prae ceteris *Marcion* fuisset, non tantum mentis sagacitate, sed etiam impietate et impudentiâ nemini cedens. Sed ne hunc quidem interpolationi tali efficiendae parem fuisse, sat copiosa probant N. T. monumenta, quae illius tempore et postea scripta sunt et ad nos pervenerunt.

Quominus vero saeculo I. talis conatus feliciter succedere posset, tria historice nota obstabant impedimenta, quibus removendis nemo par erat, et quidem:

1) *librorum N. T. propagatio jam saeculo I. facta;*

2) *mutua eorum relatio, et ecclesiarum ac personarum, quibus singuli destinati erant, distantia*; denique

3) *longior vita, qua nonnulli, et summa veneratio, qua omnes Apostoli eorumque scripta apud fideles fruebantur.*

Ad 1. Etsi codicum multiplicatio ac per varias regiones divulgatio illâ aetate difficultatibus pluribus impedita longius temporis spatium requirebat: ex illâ tamen, quae saec. II. adfuit, monumentorum textus copiâ recte colligitur, ea ipso jam saec. I. ad sat magnum accrevisse numerum, neque amplius intra augustos terrae limites fuisse restricta. Imo jam aevo apostolico plerosque N. T. libros per plura apographa esse multiplicatos, inde perspicitur, quod *a*) Christianis ad id ipsum non deerant incitamenta; nam *α*) plura N. T. scripta erant encyclica, i. e. pluribus ecclesiis destinata, unde admodum probabile redditur, harum ecclesiarum quamlibet librorum illorum exemplar sibi procurasse, ita ut v. g. apocalypsis, evangelium et I. epistola Joannis brevi saltem septies descripta existerent. Praeterea *β*) ipse Paulus Apost. nutum praebet, quid de epistolis suis a Christianis desideret, dum Colossenses epistolam ad eos missam 4, 16. cum Laodicensibus communicare, et vice versa literas ad Laodicenses scriptas sibi legendas expetere jubet. Neque *b*) fideles illis motivis occlusisse animum, edocemur e II. Petri 3, 15. 16., qui locus jam aliquam epistolarum Paulinarum collectionem a s. Petro in ecclesiis Asiae minoris inventam supponit; dicit namque: „*Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus epistolis, loquens in iis de his.*“

Ad 2. Ipsa etiam mutua relatio inter sacros N. T. libros intercedens haud permittit de felici successu interpolationis saec. I. susceptae cogitare; etenim scripta haec aut ejusdem sunt aut similis argumenti. Sic, quod libros historicos attinet, tria priora evangelia permultas pericopas habent communes, nonnullas insuper Matthaeus et Marcus, dein Matthaeus et Lucas; actus Apostolorum in pluribus partibus cum epistolis Paulinis conveniunt, ita ut mox epistolae ex actibus, mox hi ex illis lucem capiant. In rebus dogmaticis libri nostri omnes, idque magis adhuc, quam in historicis concordant;

nam paucae sunt doctrinae, de quibus non ageretur in pluribus N. T. scriptis; propius vero ad se invicem hac ex parte accedunt epistolae s. Pauli ad Romanos et ad Galatas, ad Ephesios, Colossenses et Philippenses, ad Timotheum et Titum; ex epistolis vero catholicis illa Jacobi et I. Petri, dein Judae et II. Petri veluti prototypus et ectypus ad se invicem habent. Quae cum ita sint, nihil profuisset impostori interpolare unum alterumve N. T. librum; sed sive historiam, sive doctrinam optato cum successu corrumpere voluisset, omnes omnino immutare debuisset libros, qui in arctiori ista relatione positi sunt. Quominus vero quis plures N. T. libros vel plane omnes immutaret, praeter alia prohibebat distantia locorum, in quae missi seu in quibus editi erant, ut ex illis, quae introductio specialis de hac re docet, manifestum redditur.

Ad 3. Mutatio talis fieri non potuisset, quin Apostolorum cuidam innotesceret, quum hi ipsi vi muneris sui ad qualemcunque doctrinae aut historiae Jesu Christi corruptionem sive verbis sive literis factam non possent non esse attentissimi. Joannes Ap. omni antiquitate testante ultra finem saec. I. vixit, simulque in ea regione versabatur, in quam et in cujus viciniam plurima scripta apostolica erant missa. Quis jam imprecationis Apoc. 22, 18. 19. memor veluti sub oculis pastoris hujus vigilantissimi tantam fraudem committere ausus esset, et quis eam sine reprehensione perfecisset, praesertim cum constet, quanta veneratione omnes vere fideles Apostolos eorumque scripta, praecipue autem s. Joannem prosecuti sint?

Historicae itaque notitiae de adjunctis, in quibus libri N. T. exarati sunt et ad nos propagati, eosdem nunquam interpolatione stricte tali corrumpi potuisse, luce clarius ostendunt.

## §. 96.

### b) Objectiones contra dogmaticam librorum N. T. integritatem prolatae refutantur.

Non defuerunt, qui dicerent:

1. Suppositio tum consilio, tum effectu ab interpolatione stricte tali non differt. Jam vero historia ecclesiastica docet, Apostolis primis mox fidei temporibus plura opera esse supposita, imo talium jam Luc. 1, 1. fit mentio; unde admodum probabile fit, genuina quoque Apostolorum scripta eodem consilio esse interpolata, quo impostores ducebantur ad integros libros eisdem supponendos.

*Resp.* a) *Argumentatio haec*, etiamsi omnes ejus praemissae essent verae, *ad summam probabilitatem interpolationis tentatae* evinceret, non autem realitatem ejusdem effectae, cum solo ratiocinio nitatur, quod in quaestione historica, qualis est nostra, vi demonstrandi caret; talis enim nonnisi testimoniis historicis solvi potest. Praeterea

*b*) *argumentatio allata hypothesibus nititur, quae partim dubiae, partim falsae sunt;* etenim *α*) plura N. T. apocrypha primis statim fidei temporibus malo suppositionis consilio confecta esse, nemo

hucusque demonstravit; nam illa scripta multorum, quorum Luc. 1, 1. mentio fit, juxta traditionem testium oculatorum et ministrorum verbi elucubrata erant coll. v. 2., eaque Apostolis supposita esse, non legimus; evangelia autem sic dicta apocrypha serioris et haereticae originis sunt, et etiam horum nonnulla ideo exarata et Apostolorum nomine ornata esse videntur, quia auctores ea a se conscripta esse profitebantur, quae ex viva Apostolorum praedicatione cognovissent, ut haud obscure innuunt tituli, v. g. evangelium secundum 12 Apostolos. Porro argumentatio illa $\beta$) ob similem suppositionis tum scopum tum effectum ab illa ad hanc praepropere concludit, et sic utriusque efficiendae negotium idem esse temere supponit; atqui utraque hoc respectu specifice differt. Nam integrum librum Apostolo supponere in cujusvis arbitrio positum erat; qui necessaria dexteritate atque improbitate gaudens ad hunc scopum tendebat, nullius ope indigebat, a nemine impediri poterat; eidem solum cavendum erat, ne contraria diceret adjunctis temporis et locorum, in quibus degebant Apostoli eorumque cogitandi sentiendique rationi aliunde cognitae; ne porro lingua et stylo uteretur plane diverso a sermone et dictione vel Apostoli, cui librum supponere decrevit, vel saltem N. T. in genere. — Interpolatori autem non modo omnia haec erant praestanda, sed insuper attendendum, ne nexum et usitatam auctori idearum associationem turbaret, et ut dictionem suam stylo, in libro, quem interpolandum suscepit, obvio, materiae tractatae et certae animi auctoris affectioni perfecte accommodaret. Ast his omnibus peractis gravissimum ac maxime arduum ei restabant negotium, ut finem suum assequeretur; nimirum singulari studio eo tendere debebat, ut cunctis libri interpolandi tum exemplaribus potiretur, tum versionibus illius, si quae praesto erant, tum citatis, quae in aliorum scriptis reperiebantur, atque in omnibus his textus monumentis easdem mutationes suscipere; secus enim non tantum interpolatio non stricte talis seu universalis effecta esset, sed etiam fraus brevi detecta. Quia vero, ut §. praec. ostendimus, haec omnia ab uno alterove vel a pluribus praestita esse, historice probari nequit: interpolationem tentari quidem, revera autem effici nunquam potuisse, luce clarius patet.

2. *Evangelia Nazaraeorum et Ebionitarum sunt corrupta exemplaria evangelii Matthaei, evangelium Marcionis* mutilatum evangelium Lucae; ergo libros apostolicos primis fidei temporibus interpolatos esse, ex historia constat.

*Resp.* Etsi concedimus, antiquissima illa evangelia apocrypha revera fuisse corrupta seu interpolata exemplaria evangeliorum canonicorum: inde tamen hoc solum sequitur, interpolationem tentatam quidem esse, minime vero effectam. Nam interpolationes evangelii s. Matthaei et s. Lucae, quas illa apocrypha continebant, monumenta plurima eorumdem evangeliorum, imo ea omnia, quae ad nos pervenerunt, minime attigerunt; hinc frustra ad illa opera provocatur, ubi de interpolatione universali seu stricte tali sermo est.

3. Tam Patres orthodoxi, quam haeresiarchae vehementer con-

queruntur de interpolationibus saec. II. susceptis,[1] Celsus vero plane asserit, Christianos ebriorum instar, qui sibi manus inferunt, evangelia sua depravasse.[2]

*Resp.* Saeculo II. a pluribus interpolationes susceptas esse, inficias iri nequit; eas autem et effectum esse consecutas, inde nondum probatur; contrarium potius sequentia ostendunt:

*a)* Dum orthodoxi haeresiarchas interpolationum susceptarum accusant, ad sua et omnia suae partis exemplaria provocant, quae a mutationibus illis haereticis immunia sint; quare orthodoxi ab haereticis non universalem textus sacri mutationem factam esse, manifeste edicunt. Idem valet, dum Patres ecclesiae orthodoxos quoque interpolationum susceptarum arguunt, dicentes v. g. Mr. 13, 32. verba: *neque Filius*, Luc. 19, 41. *Jesum lacrymatum esse* al. a suae partis hominibus deleta; non enim internis, sed externis argumentis eos impugnant, provocantes nimirum ad longe plurima et antiquissima sacri textus monumenta, quae verba illa exhibeant, quae igitur ab hac mutatione immunia mansisse, ipso hoc facto ostendunt. — Quod autem criminationes haereticorum contra orthodoxos attinet, illi a Patribus ss. librorum effatis in angustias redacti, quo effugerent, non invenerunt, nisi orthodoxos interpolationis accusando. Ejusmodi vero accusatio argumentis non suffulta interpolationem effectam probare non potest, idque eo minus, si ab homine profertur, qui in interpolationibus susceptis ipse deprehensus est, ut Marcion,[3] quique non erubescit sequi principium: Si fecisti, nega et alios audacter calumniare.

*b)* Patres antiqui, dum de corruptione librorum N. T. conqueruntur, saepe prorsus aliud intelligunt, quam interpolationem; nonnunquam enim corruptae sacrae scripturae haereticos arguunt, ubi edicere volunt, hosce effata ss. librorum perversis interpretationibus *in pravos detorquere sensus;* dein etiam *mutationes in uno alterove codice casu factas*, quibus textus substantia minime afficitur, interpolationes vocant. Sic *Tertullianus* lectionem διὰ τὸν νόμον μου, quam in I. Cor. 14, 19. invenit loco διὰ τοῦ νοός μου, et quae ob literarum vel vocum similitudinem soli librariorum inadvertentiae manifeste originem debet, ab interpolatione Marcionis derivavit. *Origenes* lectionem ἕξ loco πέντε Jo. 4, 18. deprehensam, et procul dubio ex errore librarii ortam, ab interpolatione Heracleonis repetiit.

[1] Dionysius Corinth. apud Euseb. h. e. II. 23. dicit: „Epistolas scripsi rogatus a fratribus. Sed illas ministri quidam diaboli zizaniis compleverunt, quaedam ex illis expungentes, quaedam adjicientes. Quos certe manet illud vae! Non mirum igitur videri debet, si sacrosancta Domini scripta quidam adulterari aggressi sunt, quando quidem in longe inferioribus scriptis idem ausi fuisse deprehenduntur."

[2] Orig. contr. Celsum: „Postea ex fidelibus esse ait (Celsus), qui similes illis, quos eo impellit ebrietas, ut sibi manus inferant, primi evangelii textum ter, quater, pluries mutant pervertuntque, ut habeant, quod res sibi objectas inficientur."

[3] Quare recte dicit Tertull. adv. Marcionem c. 4.: „Ego meum dico verum, Marcion suum (evang.). Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei praescribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, et ei praedicans vitiationem, quod posterius revincetur."

Ita etiam dum genitivum *Μωσέως*, qui I. Cor. 9, 8. ad vocem *νόμος* additus sensum loci minime mutat, a Marcione adjectum clamitarunt, interpolationem nequaquam stricte talem intellexerunt; lectiones enim illae partim minus essentiales sunt, partim in paucioribus exemplaribus inveniuntur, partim denique non malo consilio, sed casui originem debent. Quod tandem

c) *Celsi* sententiam attinet, necessarium non est confugere ad conjecturam *Origenis,* illi obversata esse evangelia apocrypha simulque unum alterumve ex canonicis; potius Celsus eadem verba proferre potuit, si nostra evangelia et unum alterumve apocryphorum contulit. Celsus enim, originis evangeliorum canonicorum ignarus, addendo, omittendo vel immutando unum ex altero enatum, proinde omnia reliqua e corruptione primi orta esse putabat; crassâ itaque hac in re ignorantiâ laborans, praejudiciis captus et odio Christianorum obcoecatus competens judex haberi nequit.

4. E saeculo VI. testimonium de evangeliorum interpolatione praesto est; *Victor* enim Tunensis, in Africa episcopus († 565.) in chronologia sua[1] dicit: Constantinopoli ab Anastasio imperatore sacra evangelia, utpote ab indoctis hominibus scripta, esse vituperata, et eo jubente emendata.

*Resp.* Praeterquam quod verba haec minime indicant evangeliorum mutationem in argumenti essentia, sed de sola styli emendatione intelligi possunt: a) parum probabile est, hoc imperatoris praeceptum, qualemcunque mutationem intenderit, exsecutioni esse datum; ex historia enim constat, Anastasium tum populo, tum proceribus et clero valde fuisse exosum, ita ut jam inde colligere liceat, vix omnes ejus subditos hac in re morem gessisse; porro b) etiamsi hoc concederemus, mutationes ejus jussu susceptae fieri non potuissent, nisi in codicibus in imperio Anastasii exstantibus, exteros vero exemplarium possessores tum orthodoxos tum heterodoxos ad easdem mutationes in libris suis suscipiendas imperatoris mandatum cogere minime poterat; denique c) haec Victoris ab Anastasio depositi relatio suspecta est, quia nemo alius scriptorum hujus rei mentionem facit. Utcunque vero res se habeat, evangeliorum textus, quo hodiedum utimur, ita comparatus est, ut se virorum illiteratorum opus ubivis manifestet.

5. Intra saec. VIII. et XIV. *per monachos*, ad quos istâ aetate omnis eruditio et literarum cultura restricta delitescebat, sacrae N. T. literae juxta austeriora ethicae et mysticae principia, quibus addicti erant, facile immutari seu interpolari poterant.

*Resp.* Monachos medii aevi absque argumentis gravissimis ejusmodi imposturae accusare est summâ injuriâ eos afficere, et eorum operae ac studio, cui antiquitatis thesauros conservatos debemus, malas rependere gratias.

Ast missis hisce sequentia observamus: Cum illâ aetate codicum numerus fere immensus adesset; cum versiones quam plurimae exstarent, et pleraeque N. T. partes in Patrum scriptis laterent:

[1] Cfr. Scaliger: Thesaurus temporum.

quis, quaeso, credat, tot sacri textus monumenta ad unum omnia a monachis e toto terrarum orbe sollicite conquisita, et nemine prorsus renitente mutata esse seu interpolata? Etiamsi vero colligi potuissent omnia, quis sibi persuadeat, monachos illos linguarum diversissimarum adeo fuisse gnaros, ut mutationes suas etiam versionibus, quae in omnibus fere linguis exstabant, obtrudere possent? Quodsi autem hoc praestando impares erant, interpolationem tentare quidem, non vero universalem efficere valebant. Conspirationem multorum monachorum diversis linguis utentium supponere absurdum foret tum ob diversam et non raro adversam eorum cogitandi ac vivendi rationem ex historia notam, tum quia fraus multis cognita vix latuisset plures. Denique de quaestione nostra historica, utrum libri sacri integri ad nos pervenerint, nec ne, non e vanis conjecturis, sed nonnisi e testimoniis fide dignis sententiam ferre licet.

## §. 97.

### c) Libros sacros N. T. sensu strictiore non interpolatos esse, argumenta etiam interna docent.

Sive argumentum librorum N. T., sive formam spectemus, nullum interpolationis stricte talis factae invenimus vestigium. Quod

1. *argumentum* (materiam) horum librorum attinet, hoc partim historicum est, partim didacticum. Si

*a) in parte historica* mutatio quaedam essentialis esset effecta, vix abessent a libris nostris anachronismi et generatim talia, quae ab adjunctis temporis, locorum et personarum aliunde notis discordarent; non invenirentur defectus in historia Jesu et Apostolorum; aut cuncta, quae sive Christo ipsi, sive Apostolis, sive singulis ecclesiis christianis minus honorifica videntur, essent deleta. Atqui nulla pugna cum adjunctis aevi apostolici deprehenditur (coll. cap. I. de authentia); nullus apparet conatus supplendi defectus historicos in evangeliis et in actibus Apost. obvios, ad quos tamen removendos maximam sollicitationem antiquis fuisse inde discimus, quod hunc in finem peculiares libros suppositos esse scimus, v. g. evangelium infantiae Jesu, acta Petri etc. Porro sinistra Judaeorum de Jesu judicia adhucdum leguntur in evangeliis nostris, et denique naevi ac defectus Apostolorum a Jesu reprehensi, et errores vitiaque ecclesiarum ab Apostolis severius castigata in nostris sacri textus monumentis hodiedum reperiuntur. — In historico itaque argumento interpolatio stricte talis effecta non est. — Quodsi vero

*b) in argumento dogmatico* essentialis effecta esset mutatio, haec vel ab orthodoxis vel ab heterodoxis esset suscepta. Heterodoxi nimirum N. T. libros principiis et placitis suis conformare conati essent; orthodoxi autem partim illos eliminassent vel saltem mitigassent locos, qui fidei catholicae contrarii esse, saltem minus favere videbantur; partim addidissent, quae ad dogmata quaedam ecclesiae catholicae probanda in s. scriptura non sat clare inveniuntur. Jam vero ejusmodi mutationis, et quidem universalis ab hac vel illa parte

effectae nullum ostendi potest vestigium. Haeresibus, quae inde ab aevo apostolico sunt enatae, libros nostros minime favere, quisque praejudiciis non captus lubens concedet, unde sequitur, N. T. libros ab heterodoxis stricto sensu nunquam esse interpolatos. Idem de orthodoxis asserendum; etenim loci, quibus primis saeculis quidam offendebantur, v. g. Mr. 13, 32. Luc. 19, 41., Pater major est me Jo. 14, 28., hodiedum in codicibus, editionibus, versionibus et citatis Patrum leguntur. Contra autem hodie adhuc in N. T. desiderantur effata sat clara ac manifesta, quibus v. g. sacramentum matrimonii, processio Spiritus s. a Patre Filioque, dogma de purgatorio etc. directe et evidenter probaretur, licet ad ejusmodi locos N^o: T^o: inserendos Catholici adversariorum dubiis ac cavillationibus non parum sollicitarentur. Ex argumento itaque librorum N. T. interpolatio stricte talis probari nequit, potius contrarium inde edocemur. Idem valet

2. *de forma horum scriptorum.* Nemo enim ad nostros usque dies demonstravit, nexum membrorum hic ibi adeo esse perturbatum, ut quaedam vel addita vel omissa statuere cogamur; neque in ullo loco dictio ita abhorret vel a stylo apostolico in genere, vel in specie a cujusdam auctoris biblici scribendi ratione, ut aliena manus sese certo manifestet; potius quae ex hac parte integritati librorum N. T. unquam opposita sunt, ut ex introductione speciali patebit, haud difficulter refutari possunt.

Quae cum ita sint, libris sacris N. T. integritas dogmatica jure et tuto tribuitur.

---

## CAPUT III.

### De axiopistia ss. scriptorum N. T.

### §. 98.

**Notio axiopistiae, ejus demonstrandae necessitas et modus.**

Per *axiopistiam intelligimus eam referentis ad res gestas relationem externam et illam conditionem ejus internam, vi cujus veram dictorum aut factorum indolem rite repraesentare non tantum potest, sed revera etiam vult, imo quodammodo debet.*

Ut ex hac definitione patet, duae sunt qualitates, quae in referente, proinde etiam in scriptore quovis, cui plenam habeamus fidem, recte requiruntur, nimirum dexteritas et sinceritas in cognoscendo non minus, quam in referendo, et quamdiu de una vel altera non certo constat, tamdiu fides narrantis vel auctoris libri, licet genuini et integri, magis minusve dubia est; dantur namque etiam scriptores ignorantes et fallaces.

Etsi jam ex fide ecclesiae romano-catholicae, unanimi ss. Patrum consensu nixa, libros nostros biblicos inspiratos et divinae auctoritatis esse infallibili certitudine constat, ita ut rite intellecti credendorum, agendorum ac sperandorum norma omni jure habeantur: tamen ad hanc ecclesiae doctrinam vindicandam et clariori in luce collocandam humana quoque ss. auctorum N. T. axiopistia sedulo examinanda et accurate probanda est. Hunc in finem demonstrabimus: N. T. auctores

1) gavisos esse non tantum occasione opportunissima, sed etiam

2) facultate necessaria, cuncta, quae describunt, rite cognoscendi; eos etiam

3) omnem diligentiam in rebus, quas referunt, dijudicandis earumque natura examinanda adhibuisse; eosdem

4) in referendo quoque nullibi imperitia, incuria, negligentia aut quacunque ratione alia contra voluntatem suam aliquid omisisse aut adjecisse, quod rerum indolem immutaret; eos denique

5) nullibi scientes volentesque aliam rerum, quas referunt, naturam repraesentasse, ac de qua ipsis persuasissimum erat.

## A) De dexteritate I. in cognoscendo.

### §. 99.

**N. T. auctores 1) opportunissimam habebant vera cognoscendi occasionem.**

Etenim N. T. auctores rerum, quas referunt, aut testes fuerunt immediati, aut saltem cum talibus familiarissime conversati.

1. *Testes immediati erant a) s. Joannes,* utpote qui individuo Christi consortio usus in scriptis suis doctrinae magistri nihil, ex historia paucissima refert, quae non ex autopsia haurire potuisset. Idem valet *b) de ss. Petro, Jacobo et Juda Apostolis. c) S. Matthaeus* saltem in longe pluribus relationum suarum partibus testis immediatus habendus est; nam omnia, quae praeter genealogiam, conceptionem et nativitatem Christi, Magorum adventum, fugam sacrae familiae in Aegyptum et reditum, infanticidium bethlehemiticum; praeter baptismum et praedicationem Joannis in deserto, historiam tentationis Jesu Christi ejusque transfigurationis in monte; praeter resuscitationem filiae Jairi et majorem partem passionis et apparitionum redivivi Domini; omnia, inquam, quae praeter haec refert, ipse viderat audieratque. Nec minus *d)* s. Lucas eorum, quae in altera Actorum Ap. parte inde a 16, 10. narrat, paucis exceptis spectator auditorque erat. Quod attinet

2. *s. Matthaeum* in mox enumeratis evangelii fragmentis, item *s. Lucam* respectu evangelii et actorum App. usque ad 16, 10., denique *s. Marcum:* utique et hi eorum, quae referunt et quorum immediati testes non erant, rite cognoscendorum opportunitate non carebant. Sic s. Matthaeus et s. Lucas genealogiam Josephi et Mariae

e tabulis genealogicis, quae a Judaeis studiosissime servabantur; porro historiam de conceptione et nativitate Joannis B. et Jesu, de Magorum adventu, de fuga in Aegyptum, de infanticidio bethlehemitico, de coelesti pastorum visione etc. ex cognatorum Zachariae et Mariae Virginis narratione haurire non tantum poterant, sed inde potius, quam ex alio fonte revera etiam repetiisse dicendi sunt; nam Joannes matrem Christi in cruce mortui in domum suam recepisse legitur Jo. 19, 27., et s. Lucas variis relationibus, quas c. 2. consignavit, haud temere adnotationem adjecit: Mariam, matrem Jesu, haec illave alta mente reposita tenuisse diligenterque perpendisse (2, 19. 51.). — S. Matthaeus praedicationi Joannis B. in deserto ipse fors interfuerat, cum Luc. 3, 12. disertis verbis adnotetur, portitores quoque ad Baptistam venisse; historiam tentationis Christi per diabolum, sicut reliqui Apostoli, a nemine, nisi a Jesu ipso, cetera autem superius commemorata a testibus oculatis facile edoceri potuit, et quidem resuscitationem filiae Jairi et transfigurationem Christi in monte a Petro, Jacobo et Joanne, utriusque testibus; historiam captivitatis Christi ex iisdem, relationem vero de passione et morte Domini tum a Joanne, qui et hujus testis erat, tum ab aliquo eorum, qui aut judex, aut minister seu apparitor, aut spectator praesens, postea vero ad Christum conversus erat; ex Act. enim 4, 36. et 6, 7. cognoscimus, brevi post effusionem Spiritus s. nonnullos levitas et magnam sacerdotum turbam religionem christianam amplexos esse. — S. Lucam res in evangelio et in prima actorum Ap. parte narratas a testibus plena fide dignis, ut 1, 2. 3. ipse asserit, probe cognoscendi opportunitate gavisum esse, nemo ejus itinerum cum s. Paulo, familiaris cum reliquis Apostolis et Christianis Palaestinensibus consortii memor serio negare ausit. Idem valet de s. Marco et s. Paulo. Prior testante Act. 12, 12. Hierosolymis habitaverat, ubi mater ejus domum habuit, in qua Christiani cultus divini causa convenire solebant; praeterea Barnabae consobrinus erat, hujusque et s. Pauli per aliquod tempus socius; denique omni antiquitate consentiente s. Petri discipulus, comes et interpres, ita ut non posset non opportunissima gaudere occasione hauriendi e fontibus purissimis ea, quae de vita et doctrina Jesu Christi scripsit. — Quod vero s. Paulum attinet, facta Jesu, quae in epistolis ejus vera et cognita supponuntur potius, quam uberius delineantur, rite cognosci ab eo poterant ob frequens ac familiare cum Apostolis consortium, quod acta App. et ejus ipsius epistolae contestantur; doctrinam autem a se praedicatam nonnisi ex immediata Jesu Christi revelatione repetit, quam, si revera contigit, ut dubitare non licet, fontem esse limpidissimum, unde certissima cognitio hauriatur, nemo sanus inficias ibit.

Auctores itaque N. T. omnes, sive eorum, quae referunt, testes immediati fuerint, sive non, occasione vera cognoscendi opportunissima esse gavisos, prudenter dubitari nequit. Verum Apostoli etiam

**2) Facultate gaudebant necessaria, res, quas referunt, accurate cognoscendi.**

## §. 100.

**Conspectus.**

Objectum principale, ad quod relationes N. T. auctorum revocari possunt, est triplex, nimirum facta, character et doctrina Jesu Christi; praeterea facta Christi denuo distinguenda sunt in ordinaria et supernaturalia; hinc ut thesis nostra omni ex parte dilucidetur et clare demonstretur, ostendemus: Apostolos necessariis dotibus gavisos esse tum ad facta Jesu ordinaria et supernaturalia rite dijudicanda, tum ad characterem ejus probe cognoscendum, tum denique ad doctrinam recte intelligendam.

## §. 101.

**Apostoli necessaria gaudebant facultate a) ad facta Jesu Christi rite dijudicanda.**

1. Factis et eventibus ordinariis, qui in N. T. describuntur, rite cognoscendis Apostolos non fuisse impares, vix est, qui in dubium vocet, si quidem ad illud nihil requiritur, nisi sanus sensus sanaque ratio, quas dotes 12 illis discipulis Jesu Christi e reliquorum caterva singulari actu electis et maxime familiaribus abjudicare plane ridiculum foret. Ast

2. gravior est quaestio, an etiam eventus factaque Christi supernaturalia, quae describunt, rite dijudicando idonei fuerint? Non desunt, qui hoc negent, sic argumentantes: Eventus et facta supernaturalia seu miracula sunt effectus, viribus naturae ordinariis et notis superiores; ejusmodi jam vero effectus nonnisi ab eo recte dijudicari et cognosci possunt, qui omnes naturae vires legesque perscrutatus est et plene perspectas habet. Atqui tantam legum viriumque naturae cognitionem ne cultissimus quidem et rerum physicarum peritissimus sibi attribuet; naturae enim cognitio a nemine hucusque exhausta est, sed nova quotidie capit incrementa. Quodsi autem ne scientiae physicae gnari quidem eventus cujusdam, qui leges viresque naturae cognitas transgredi videtur, competentes haberi possunt judices: quanto minus Apostoli, piscatores aut portitores, nulla in disciplinis physicis institutione fruiti, eventuum ejusmodi judices idonei haberi possunt! (Sic inter alios recentissima aetate etiam Rénan).

*Resp.* Praeter necessitatem plena et perfecta legum viriumque naturae postulatur cognitio, ut justum fiat de certo eventu supernaturali judicium; nam licet nondum exhausta sit virium legumque naturae cognitio, permultae tamen leges et vires ejus jam innotuerunt, eaeque tam certae ac manifestae, quae ab omnibus agnoscantur; praeterea quid naturae vires ac leges huc usque cognitae efficere non valeant, omnibus adeo persuasum est, ut, quidquid efficaciam

earum ordinariam et certo cognitam superat, et tamen efficitur, quin alia naturae vis ordinaria adhibeatur, naturae phaenomenon ordinarium haberi jam a nemine possit. Sic v. g. si exclusis aliis mediis physicis et ordinariis solo voluntatis decreto et voce humana leprosum aut paralyticum sanitati repente restitutum, aut mortuum, qui jam in putredinem abierat, in vitam revocatum, aut maris tempestatem sedatam quis videat: facile intelliget, etsi omnium naturae legum ac virium non habeat cognitionem, adesse hic eventum, vim vocis humanae longe superantem, i. e. miraculum. Talia autem sunt miracula, quae in N. T. narrantur; proinde Apostoli illis rite cognoscendis idonei habendi sunt, licet scientiae physicae artisque medicae destituti essent cognitione.

*Objectio.* Verum, dicunt, etiamsi concederemus, Apostolos non obstante eruditionis amplioris defectu impares non fuisse justum de factis Christi judicium ferendo, hac in re tamen impediebantur certissima persuasione, eum esse Messiam. Etenim reliquorum Judaeorum instar Messiam alium, nisi miraculis clarum sibi repraesentare non poterant, et vel ideo a Jesu ubique miracula exspectabant, ad singula quorumvis eventuum adjuncta, quae naturalem eorundem indolem manifestassent, haud satis attendebant, et phantasia excitata delusi videre putabant, quae prorsus non, aut alio, ac quo narrant, et quidem ordinario naturalique acta erant modo.

*Resp.* Jesum ab Apostolis Messiam habitum esse, verum quidem est; ast tum demum fides eorum firma evasit, quum per manifestissima miracula se talem exhibuisset; imo ne dein quidem Apostolos miracula semper et ubique exspectasse, e pluribus N. T. locis patet. Quodsi enim hacce persuasione phantasia eorum adeo fuisset excitata, ut quavis occasione data a Christo miracula patrari cuperent: certe post primam illam 5000 virorum cibationem (Mt. 14, 15. seqq.), quum hominum praesentium turba eâdem cibi penuriâ laboraret, Jesum hortati essent, ut miraculum in panibus multiplicatis semel jam editum repeteret; tantum vero abest, ut ejusmodi uterentur monito, ut potius dubii haesitarent, unde in solitudine tot conquiri possent panes, qui tantae multitudini saturandae sufficerent. Quid? quod serius adhuc eidem sollicitudini indulserunt, cum (Mt. 16, 5. seqq.) lacu Genezareth trajecto ob verba Christi: „*Cavete vobis a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum* existimarent, se a magistro argui, quod panes secum sumere obliti hac re cibi penuriam sibi parassent. Miraculorum adeo avidi certe hanc non admisissent sollicitudinem, neque ad vanitatem ejusdem ostendendam necessitas orta esset Christo, duplicem populi cibationem miraculosam in memoriam revocandi. Iidem Apostoli noctu lacum Tiberiadis trajicientes ac periculosa navigatione utentes, quum quarta noctis vigilia quemdam undis inambulantem conspicerent, de spectro potius, quam de Jesu adveniente cogitarunt (Mt. 14, 23. seqq.), quod fieri vix potuisset, si semper et ubique miracula a Christo patranda exspectassent, idque eo minus, cum Jesu ipso auctore mare Galilaeae noctu trajicerent, et cum ante paucas horas 5000 virorum quinque panibus et duobus piscibus ab eo saturata esse vidissent. Id ipsum elucet e nota Apo-

stolorum, et in specie Thomae incredulitate, quam prodiderunt, quum de Christi resurrectione famam et nuntium audivissent, imo cum Dominus ipse eis appareret (Jo. 20, 19—29. Luc. 24, 13—43.).

## §. 102.

**Apostoli idonei erant b) characteri Jesu rite cognoscendo.**

Ad characterem hominis rite cognoscendum requiritur diuturna et familiaris cum eo conversatio, et accuratissima ejus in diversis adjunctis agentis observatio. Jam vero Apostoli per triennium familiarissimo Jesu fruebantur consortio, et evangelistae eum repraesentant in diversissimis adjunctis agentem patientemque; mox enim eum sistunt rudes docentem, mox cum eruditis publice et privatim disputantem; mox cum peccatoribus aut infimae plebis hominibus agentem, mox cum probis aut cum populi primoribus conversantem; mox ad regnum terrenum capessendum sollicitatum, mox calumniis et contumeliis laesum; nunc omnium laudibus celebratum, nunc vel ab uno e suis proditum, ab altero negatum, ab omnibus derelictum; nunc Judaeorum regem, Messiam, salutatum, solenniterque in metropolim introductum, nunc a malevolorum cohorte captum, ab injustis damnatum, ignominioso crucis supplicio affectum. Saepe etiam consilia, quae prosequebatur, et principia, quibus suam agendi rationem conformabat, diserte exponunt, et in his omnibus delineant characterem, qui ideis Judaeorum vulgaribus de Messia in pluribus non conveniebat. Qui jam ad tot momenta vitae Jesu attenti erant, et non obstantibus praeconceptis opinionibus suis judaicis tali modo eum repraesentare poterant: iidem dotibus, ad characterem Christi rite cognoscendum necessariis praediti dici debent; secus enim nemo plane characterem alterius cognoscendo idoneus haberi posset.

*Objectio.* Sed nimius, quo Apostoli Jesum prosequebantur, amor non poterat non efficere, ut ad alia plane non attendentes, alia vero justo benignius interpretantes impedirentur, quominus characterem magistri sui rite cognoscerent.

*Resp.* Apostoli tenerrimo quidem et summo amore addicti erant Christo, et sane talis magistri consortio, tantâ ejus amicitiâ et charitate, quantam eam delineant, minime fuissent digni, nisi sincerissimo amore eum essent amplexi; verum amorem hunc eos nequaquam ita obcoecasse, ut cuncta meliori in luce conspicerent, et generatim characterem magistri sui justo benignius dijudicarent: clare docent plures N. T. loci, e quibus discimus, ab Apostolis ea, quae Christus dicebat et agebat, nequaquam coece esse adprobata, imo ipsos saepe diversam sententiam tenuisse, eamque libere profiteri haud dubitasse. Sic Mt. 15, 12. Jesum monent, Pharisaeos ipsius verbis esse offensos, quod idem est, ac si dixissent: Non satis prudenter locutus es. Ibid. 16, 22. Petrus, quum Jesus passionem et mortem Hierosolymis sibi instantem praedixisset, ei hoc dissuadere non verebatur, quia ejusmodi sortem Messiae minime convenire opinabantur. Jo. 6, 60. discipuli aperte declarant, durum esse Christi sermonem de carne

ejus manducanda et de sanguine bibendo, et ipsos etiam Apostolos offensos fuisse, e Christi quaestione patet v. 67.: *„Numquid et vos vultis abire"?* Ibid. 11, 8. Apostoli Jesu consilium revertendi in Judaeam imprudens declarant, quia ibidem lapidationis periculum brevi antea vix effugisset. Mr. 5, 31. Jesu interroganti, quis eum tetigisset, respondent: *„Vides, te a turba undique premi, et quaeris, quis te tetigerit"?* quo quaestionem magistri ineptam sibi videri, sat claris profitebantur verbis. — Omnia haec ostendunt, amorem discipulorum erga Jesum summum quidem, attamen simul sobrium fuisse.

## §. 103.

**Apostoli idonei erant c) doctrinae Jesu Christi rite cognoscendae.**

Doctrina, quam in scriptis N. T. reperimus, sive theoreticam, sive practicam partem spectes, tam praestans, adeo sublimis invenitur, ut non tantum singulorum philosophorum, sed etiam omnium simul sumtorum placita, imo revelationem per Moysem et prophetas datam longe superet; praeterea haec doctrina universalis est, i. e. omni aetati ac regioni, omni, etiam summo culturae gradui attemperata, ab omni particularismo remotissima. Jam vero Apostoli, viri illiterati, nulla institutione erudita fruiti, variis insuper praejudiciis capti, hanc doctrinam non confingere, sed nonnisi edoceri poterant et probe cognitam conservare, praedicare literisque consignare. Cum vero eam revera traderent, eam rite intelligendi facultate praediti esse debebant.

Ast objici posset: Ipsa haec doctrinae Christi sublimitas et universalis indoles unâ, et particularismus judaicus ingeniique tarditas Apostolorum, cujus a Christo saepius arguebantur, alterâ ex parte non poterat non obstare, quominus doctrinam hanc in omnibus rite intelligerent; imo Christus ipse Jo. 16, 12. fatetur: *„Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo."*

*Resp.* 1. Licet doctrina Christi sublimis sit et universalis, ingenio tamen philosophica speculatione exculto opus non est, ut rite intelligatur; imo si talis esset, ob id ipsum universalis non foret; potius capitur a quovis, qui sana mente et aliquo veri honestique sensu praeditus est. Ita ipse Jesus de doctrina sua judicavit, dum Mt. 11, 25. hunc in modum ad Patrem precaretur: *„Confiteor tibi* (laudibus celebro te) *Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis."* Quodsi vero res ita se habet, etiam Apostoli doctrinae Christi rite cognoscendae idonei erant; nam sensu veri et honesti viridissimo praediti esse debebant, qui omnibus relictis virtutis magistrum sequebantur, et veritatem doctrinae ejus sanguine suo obsignabant. Locus citatus Jo. 16, 12. nostrae sententiae non obest; nam Christus addit v. 13. seqq.: *„Cum autem venerit ille, Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem"* etc. Apostoli itaque per immediatam Christi institutionem satis praeparati erant ad digne excipiendam illustrationem ex alto, qua singularum doctrinarum nexum tam inter se, quam cum

naturae humanae indigentiis, et in genere Christi consilium et integrum redemtionis opus plene perspicerent. — Quod autem attinet

2. ingenii tarditatem, observamus:

*a)* bene distinguendum est inter ingenium *tardum* et *hebes*. Tardum ingenium longiori quidem indiget cultura; attamen opera, quae in illud excolendum impenditur, non est perdita; quo difficilius enim rem quamdam capit, eo firmius eam cognitam tenet; atqui Apostoli per triennium usi sunt institutione magistri divini, quo ingenii tarditas omnino superari potuit ac debuit.

*b)* Ipsa illa Apostolorum tarditas non in defectu quodam ingenii, sed potius in praejudiciis eorum judaicis fontem suum habuit; nam dum ingenii tarditatis arguuntur, testantibus evangeliis fere semper hoc fit ideo, quia difficillime capiebant aut admittebant veritates, quae contrariae erant praejudiciis judaicis, praecipue de perpetuo legis antiquae valore, de Messia ejusque regno, animis eorum altissime insitis. Hac in re ergo eruditis Judaeis aevi sui vix aut parum inferiores erant, et repetita magistri monitione, aut severiori etiam, ubi opus erat increpatione a praejudiciis suis sanari, et errores eorum corrigi poterant (cfr. Mt. 15, 16. 16, 22—24. 20, 22. Luc. 24, 25.). Quodsi opponitur locus Mt. 16, 5—7., ubi Apostoli verba Christi, ut sibi caverent a fermento Pharisaeorum et Sadducaeorum, i. e. a perversis eorum principiis, sensu proprio interpretantes putabant, se a magistro argui, quod panes secum sumere obliti essent: erronea illa sententia facile explicatur; etenim Judaei minutissimo legalitatis studio ducti panes ab hominibus sibi inimicis emere verebantur. Jam vero Apostoli, qui et ipsi adhuc praejudiciis judaicis dediti erant, Pharisaeos aeque ac Sadducaeos inimicissimo in Jesum et ejus discipulos ferri animo, quotidiana experientia docti sciebant. Porro miraculum exspectare vel plane expetere a Domino eo magis dubitabant, ac repetita jam vice (Mt. 12, 39.) imo brevi antea (ibid. 16, 1—3.) Pharisaeos miraculum postulantes severe reprehenderat. Quare mirandum non est, Apostolos auditis Christi verbis putasse, se panes oblitos argui, quia negligentia sua necessitatem adduxissent, aut panes ab adversariis emendi, aut miraculum a Christo petendi.

*c)* Ingenio adeo tardos, ut ne diligenti quidem et diuturna magistri sapientissimi institutione et Spiritus s. illustratione doctrinae christianae rite percipiendae essent idonei, etiam ideo Apostolos sibi repraesentare non licet, quia secus a Jesu ad munus apostolicum, ad propagandam religionem ejus in universo mundo certe non essent vocati. Denique

*d)* Paulum Ap. satis ingeniosum fuisse, et doctrinam christianam pro universali indole sua ab eo praestantissime adumbratam, non est, qui neget. Jam vero omnes reliqui Apostoli cum eo in doctrinae hujus repraesentatione accuratissime consentiunt, quod certe non haberet locum, si illi doctrinae Jesu universali indoli rite cognoscendae non fuissent idonei.

## §. 104.

**Apostoli 3) severe examinarunt ea, quae referunt.**

Apostolos fuisse attentos ad omnia, quae Christus docuit fecitque, et quae subiit fata, partim jam ex praecedentibus elucet, partim e sequentibus patebit:

1. *Ratio et natura muneris,* quod a Christo vocati in se susceperunt, non permisit, ut negligentes essent in Jesu doctrina, factis fatisque cognoscendis. Probe enim sciebant, se ad id destinatos esse, ut essent sal terrae, lux mundi; ut docerent omnes gentes, ut testes agerent eorum, quae Christus docuit et fecit (Mt. 5, 12. 13. 10, 5—31. 28, 18. seqq. Jo. 15, 16. Act. 1, 8.). Neque ignorabant, sed quotidiana fere docebantur experientia, non paucos esse eosque vehementissimos Christi adversarios, qui cuncta ejus dicta factaque sinistre interpretari studerent, et non tantum miraculorum ejus indolem supernaturalem negare, sed ipsam quoque factorum veritatem suspectam reddere conarentur (v. g. Mt. 9, 2—6. Jo. 2, 19. coll. c. Mt. 26, 61. et Mr. 14, 58.; Mt. 9, 10. seqq. et 12, 1. seqq.; Mt. 9, 34. et 12, 22—24.; Mt. 12, 38. et Jo. 6, 30.; Jo. 9, 13. seqq.). Quodsi itaque Apostoli non levissimi animi erant homines, diligentissimam attentionem et severum judicium adhibere debebant ad omnia, quae sibi praedicanda fore sciebant, recte cognoscenda, ut cavillationibus et sinistris sententiis adversariorum reprimendis idonei essent.

2. *Diuturnae ejusmodi attentionis et accuratae cognitionis necessitatem ipsos etiam Apostolos agnovisse,* clare patet ex Act. 1, 21. 22., ubi in viro, qui in locum Judae proditoris eligendus esset, prae ceteris id requisivisse leguntur, ut a baptismo Joannis usque ad Christi in coelos ascensionem hujus fuerit comes. Quod certe non aliam ob causam postularunt, nisi quia persuasissimum habebant, eum, quem secum doctrinae, factorum et fatorum Jesu testem fieri volebant, accuratissima horum cognitione imbutum esse debere.

3. *Cognitionem, quam in alio postulabant, Apostolos sibi quoque comparare studuisse,* plures docent N. T. loci, in quibus eosdem tum a Jesu explicationem rerum sibi obscuriorum petiisse legimus (ut Mt. 13, 10. et Mr. 4, 10.; Mt. 13, 36.; Mr. 9, 10. 11. 28.; Mt. 15, 15. 24, 3. Mr. 10, 10. Jo. 9, 2. 14, 22.), tum severius judicium adhibuisse reperimus (Mt. 15, 12. Jo. 16, 18. 20, 4—8. 21, 20.). His adjungi merentur Luc. 1, 1—4. et Jo. 19, 35. 21, 24., ubi auctores loquuntur virorum instar, qui diligentiae, examinis ac judicii severioris de rebus, quas referunt, a se instituti sibi conscii sunt. Denique

4. *minimas factorum circumstantias saepe in scriptis suis commemorant,* quod nonnisi summa attentione in cognoscendo adhibita fieri potuit; etenim observator minus diligens vix tot facta, et multo minus tot et adeo diversa eorum adjuncta memoriae mandare, et per longam annorum seriem servare potest.

## Quoad dexteritatem II. in referendo

### §. 105.

**N. T. auctores 4) nullibi imperitia, negligentia aut quacunque ratione alia contra voluntatem suam rerum indolem mutarunt.**

S. Matthaeum, prius portitorem; s. Marcum, Petri Ap. hermeneutam; s. Lucam medicum; s. Joannem, opulenti piscatoris filium; s. Paulum, eruditum antea Pharisaeum, artis scribendi peritiores fuisse, ita ut, quae rite cognoverant, literis accurate mandare possent, neque ex imperitia scribendi rerum naturam immutarent, nemo est, qui in dubium vocet. Etsi vero documenta historica idem non diserte astruunt ss. Petro, Jacobo et Judae, eos tamen, utpote qui evangelium felicissimo cum successu praedicarunt, aut propria manu, aut ope cujusdam comitum suorum chartae quoque haec illave accurate tradere scivisse, recte tenemus. Neque hac ex parte adversariorum quis axiopistiam N. T. auctorum dubiam reddere conatur; potius dicunt: Cum auctores N. T. ejusmodi scriberent lectoribus, qui ex immediatorum testium relatione et institutione, viva voce facta, uberiorem vitae Christi notitiam prius jam hauserant: absque culpa ipsorum evenire potuit, ut in breviori, qua utebantur, rerum descriptione cum aliis ea quoque omitterent, quae, si essent adnotata, aliam rerum earundem faciem exhiberent.

Verum etsi non tantum concedimus, sed firmiter tenemus, neque historiam, nec doctrinam Jesu Christi in N. T. libris plene et ubique locorum sat clare esse depositam: inde tamen sequi negamus, quod adversarii colligunt; potius ne sic quidem N. T. auctores contra voluntatem suam aliam rerum indolem repraesentasse, defendimus. Etenim argumentatio adversariorum falsa nititur hypothesi supponendo: cunctos N. T. auctores ejusmodi scripsisse lectoribus, qui uberiorem dictorum, factorum et fatorum Christi notitiam aliunde jam hausissent; eos ubique locorum breviter res delineasse; et breviorem rerum delineationem in se spectatam immutationis essentialis factae esse suspectam.

Ast *a)* non omnes N. T. auctores ejusmodi lectoribus scripserunt, qui uberius jam fuissent instituti. Sic S. Lucas evangelium suum nequaquam in usum talis viri scripsit, qui uberius jam institutus erat; secus enim Theophilo suo 1, 1—4. nec certiorem, neque pleniorem vitae Christi promisisset notitiam; hanc autem promittens non potuit talia silentio praeterire, quae, si dicta essent, aliam rerum faciem exhiberent. Quia vero cum s. Luca in doctrina, factis fatisque Christi describendis reliqui N. T. auctores accurate consentiunt: dubium non est, quin etiam hi in relationibus suis non ea omiserint adjuncta, quae, si adessent, aliam nobis factorum et doctrinae naturam exhiberent.

*b)* N. T. auctores non ubique locorum breviter ac succincte scripserunt; nam saepe minimas rerum circumstantias referunt, quod

facere non solet, qui uberiorem sufficientemque omnium notitiam aliunde haustam in cunctis lectoribus suis supponit, et paucis tantum verbis singulorum eventuum recordationem excitare vult; potius ita agere solet, qui vel primus rei cujusdam gestae notitiam aliis suppeditare desiderat; vel eam, quae jam adest, cognitionem augere aut certiorem reddere adlaborat; vel facta dictave literis tradita conservare, et contra corruptionem praemunire studet. Quocunque vero horum consiliorum ducti N. T. auctores scripserint, ad illud assequendum ea ipsa omittere non poterant adjuncta, quibus adnotatis res prorsus alia repraesentaretur.

*c)* Brevis rerum delineatio, si in se ipsa spectetur, immutationis factae non est suspecta; quicunque enim factum quoddam vel doctrinam compendiose potius innuere, quam plene fuseque describere cupit, ante omnia cavere debet, ne, non obstante narrationis brevitate, aliud doceat, quam quod factum dictumve est. Hanc legem auctoribus quoque nostris notam et ab eis observatam, et etiam ex hac parte eorum in referendo dexteritatem vindicatam esse, sat superque cognoscitur, si ejusdem rei paucis tantum adumbratae narratio cum pleniori alterius relatione comparetur.[1]

## B) De sinceritate.

*Eo minus N. T. auctores* 5) *scientes volentesque aliam rerum indolem descripserunt.*

### §. 106.

**Dicendorum conspectus.**

Sinceritas quoque N. T. auctorum indubia erit, si demonstratum fuerit:

I. Nullum cogitari posse motivum, quo ad fidem laedendam essent seducti; eos potius
II. ad vera ubique dicenda gravissimis rationibus fuisse coactos, et
III. adesse in libris eorum clara sinceritatis auctorum criteria.

### §. 107.

**I. Nullum cogitari potest motivum, quo N. T. auctores ad fidem laedendam essent seducti.**

Cum nemo gratis mentiri aut fraudem committere soleat, certe etiam auctores N. T. nonnisi peculiari motivo ducti in relationibus suis fidem violassent. Motiva vero, quibus homines ad fidem laeden-

---

[1] Cfr. v. g. Mr. 1, 4—8. cum Mt. 3, 1—12. et Luc. 3, 1—17.; Mr. 1, 12. 13. coll. cum Mt. 4, 1—11. et Luc. 4, 1—13.; Mt. 8, 5—13. cum Luc. 7, 1—10.

dam communiter seducuntur, sunt vel lucri, honorum et dignitatum cupido, vel partium studium, vel alienae partis odium vel metus. Atqui nullum horum motivorum in auctoribus N. T. supponi potest; et quidem

1. *Non lucri, honorum dignitatumque cupido;* haec enim *a)* non potuit non esse alienissima a viris, qui alios aperte docebant, non terrena bona, sed coelestes thesauros esse quaerendos, quique parvulorum simplicitatem et modestiam requirebant in illis, qui regni divini participes fieri vellent; secus enim proprio exemplo destruentes, quae ore docebant et literis commendabant, in religione christiana propaganda parum profecissent. Praeterea *b)* si ejusmodi studio ad violandam fidem moti fuissent, profecto homines insipientissimi et judicio sano prorsus destituti dici deberent; nam non ignorabant, Judaeos signa petere et Graecos sapientiam quaerere, et ideo Christum crucifixum, quem Dei virtutem praedicabant et Dei sapientiam, Judaeis quidem scandalum esse, ethnicis vero stultitiam (I. Cor. 3, 22. 23.); sua ipsorum experientia cognoverant, doctrinâ, quam annuntiabant, maximum sibi excitari odium procerum praecipue et multorum sacerdotum judaicorum; minime eos latebat, libros suos displicere gentilibus, quum praeter scientiae dialecticae et philosophicae defectum etiam styli elegantioris commendatione destituerentur. In his rerum adjunctis non erat, unde lucrum, honores dignitatesve exspectarent ex doctrina et historia literis tradita, quae illorum potissimum votis et desideriis adversabatur, a quibus ornari potuissent praemiis. Si igitur auctores nostri violationi veritatis ex lucri studio ortae locum dedissent, certe longe alia in libris eorum inveniremus, ac quae revera legimus. Denique *γ)* N. T. auctores terras mareque percurrentes, sicut magister eorum non habebant, ubi caput reclinarent. Neque

2. *partium studio,* i. e. nimio Jesu, suorum aut causae suae amore ad fidem laedendam moti erant; nam tali motivo ducti ea tantum scripsissent, quae et Christo et sibi et ecclesiis christianis honorifica noverant, sedulo autem reticuissent, quidquid vel Christi, vel suae auctoritati derogare posse intelligebant, vel ecclesiis christianis revera dedecori esse perspiciebant. Cum vero nefarias Judaeorum contra Jesum criminationes et in genere tristia ejus fata sincere narrent; cum errores, vitia ac scelera in Christianis non minus, quam in Judaeis et ethnicis arguant, suosque etiam naevos pristinos ingenue fateantur: quis jam prudens affirmaverit, eos perverso partium studio ad fraudem committendam fuisse seductos. Denique

3. *nec alienae partis odium aut metus* ad fidem laedendam eos permovit; ipsi namque Christianos alienissimos esse jubent ab omni invidia et odio; injuriam potius ferendam, quam aliis inferendam, omnemque simulationem ac fraudulentiam fugiendam esse praecipiunt; amorem vero omnium omnino hominum non tantum commendant, sed quavis occasione data postulant. Non minus ab hominum metu remoti erant, utpote qui non tantum coram synedrio hierosolymitano declararunt (Act. 5, 29.), sed etiam exemplo suo, vita et morte ostenderunt, Deo magis, quam hominibus obediendum esse, nec

timendos eos, qui corpus quidem occidere, minime vero animam perdere valeant. Nullum itaque fraudis committendae motivum adest, quod cum eorum doctrina et charactere ex historia cognito conciliari posset; imo

## §. 108.

### II. Gravissimae aderant rationes, quibus N. T. auctores ad veritatem in referendo summopere colendam excitabantur.

Homines, quibuscum Apostolis praecipue res erat, duplicis fuere classis; alii nimirum pronos se exhibuerunt ad religionem christianam amplectendam; alii vero omni, quo poterant, modo eidem adversabantur. Tum horum, tum illorum ratio N. T. auctoribus vera ubique dicendi et scribendi summam imponebat necessitatem. Quod enim

1. *prioris classis homines attinet,* hi, sive ethnici, sive Judaei fuerint nati, paucissimis exceptis hucusque sensualitati penitus immersi non caeco quodam impetu abripi poterant aut natura sua impelli ad amplectendam doctrinam, quae cultoribus suis nullam bonorum temporalium consequendorum, imo ne conservandorum quidem spem faciebat, simulque omnibus studiis, quibus prius ducebantur, bellum inferens summam in illis perfectionem moralem postulabat, insuperque multa adversa et gravissimas calamitates perferendas annuntiabat, et constantibus asseclis suis bona quidem promittebat spiritualia et felicitatem in altera potissimum vita exspectandam, cujus tamen obtinendae spes in hominibus sensualibus nequaquam sufficere solet ad gravia et praesentia aut proxima mala patienter perferenda. Ut his non obstantibus jam Apostolorum aevo credentes non tantum quotidie numero crescerent, sed etiam religioni christianae constanter adhaererent: persuasissimum habere debebant, cuncta esse vera, quae Apostoli et N. T. auctores tum viva voce, tum scripto tradebant. Inde vero Apostolis summa orta erat necessitas, ubique vera tradendi; secus enim causam suam maximo exposuissent periculo, quia et illi, qui fidem christianam jam erant amplexi, ab ea citius seriusque defecissent, si eam non absque fraude propagari et commendari detexissent.

Neque asserere licet, primorum Christianorum plurimos vel rudes fuisse, et ideo tali examini instituendo impares, vel ob distantiam suam ab ipso factorum theatro fraudem detegere non potuisse. Nam magna illa sacerdotum turba, quae *„fidei obediebat“* (Act. 6, 7.); Corinthii, qui in Paulo Ap. offendebantur, quod *„sermo ejus et praedicatio non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis“* (I. Cor. 2, 4.); Beroeenses, qui *„susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, an haec ita se haberent“* (Act. 17, 11.); Ephesii illi, qui *„curiosa fuerant sectati,“* et contulerunt libros (magicos) et combusserunt coram omnibus (Act. 19, 19.); in specie Nicodemus et Josephus ab Arimathaea, magni synedrii membra; Timotheus, *„qui ab infantia sacras literas novit“* (II. Tim. 3, 15.); Titus, a quo *„Cretenses semper mendaces“* erant increpandi et corrigendi (Tit. 1, 12. 13.

coll. c. v. 5.); Apollo, *„vir eloquens, potens in scripturis"* (Act. 18, 24.); Manahen, *„qui erat Herodis tetrarchae collactaneus"* (Act. 13, 1.); Cornelius, *„centurio cohortis, quae dicitur Italica, religiosus ac timens Deum"* (Act. 10, 1. 2.); Sergius Paulus, in insula Cypro proconsul, *„vir prudens"* (Act. 13, 7.); Theophilus, cui s. Lucas scripta sua dedicavit (Luc. 1, 3. coll. cum Act. 1, 1.); Dionysius Areopagita (Act. 17, 34.): — hi omnes nequaquam inter pauperes ac rudes referendi, sed ut ditioribus, ita et cultioribus adnumerandi sunt. Praeterea vix quisquam existere potuit vel aliquo sensu veri praeditus, qui provocari non debuisset ad instituendum veritatis narratorum examen. Sicut autem ad talem indagationem suscipiendam primis Christianis nec facultas, nec voluntas: ita neque occasio sufficiens deerat; nam partim in ipso factorum, quae in N. T. narrantur, theatro degebant, partim cum illa regione arcto in nexu positi erant; permulti enim homines illis temporibus e terris remotissimis sive religionis, sive mercaturae causa in Palaestinam proficiscebantur, atque hac occasione vel ab immediatis rerum gestarum testibus, vel ab aliis, qui ab his instituti erant, discere poterant, quaenam evenerint, ita ut non possent non cognoscere, verane sint, an falsa, quae de dictis, factis fatisque Jesu in N. T. libris legerant. Non minus gravia incitamenta ad vera in omnibus scribenda N. T. auctoribus oriebantur

2. *ratione habita multorum, et quidem vehementissimorum adversariorum.* Pharisaeis nimirum, principibus sacerdotum judaicorum et in genere illis, qui Christum odio internecino ad mortem usque persecuti erant, nihil magis in votis esse debebat, nisi ut doctrina ejus supprimeretur, et memoria illius deleretur. Quod facillime effecissent, si demonstrare potuissent, historiam vitae Jesu Christi non esse veram, et Apostolos, ejusdem praecones, non esse, nisi mendaces impostoresque. Neque deerat illis et quicunque eis similes erant, occasio opportunissima, quis et qualis fuerit Jesus, quae docuerit, fecerit et subierit fata, accurate inquirendi; nam partim Palaestinenses erant, partim cum talibus arcto in nexu positi. Quae cum N. T. auctoribus optime nota essent (coll. Mt. 28, 11—15. Act. 4, 1. seqq. 5, 28. seqq.): non poterant non moveri, ut sibi ab omni veritatis laesione caverent.

## §. 109.

### III. Libris N. T. insunt clara sinceritatis auctorum criteria.

Auctores N. T. in omnibus veritatis fuisse studiosissimos, ipsi eorum libri testantur; nam hi notas, quibus sinceritas scriptorum quorumvis probatur, clarissimas continent. Etenim

1. *referunt res maximam partem publice, imo coram magna hominum turba gestas,* et hoc ipso examen relationum suarum nemini non facillimum reddunt. Ita agere non solet, qui fallere vult; talis potius ea solum refert, quae aut ejus ipsius fictioni, aut incertae famae originem debent, aut unius alteriusve tantum in fraude complicis testimonio nituntur. Auctores N. T.

2. *relationes suas permultis adjunctis diligenter notatis claras et determinatas exhibent,* cum non tantum tempus et locum, quo singula evenerunt, accurate definiant, sed etiam variarum personarum nomina commemorent. Neque hoc inveniri solet in eorum relationibus, qui aliis imponere intendunt; impostor callidus potius obscuritatem et ambiguitatem sectatur, ubi de factis tempore et loco parum remotis sermonem facit, ne ipse fraudis mox detegendae media suppeditet, et ut saltem credulis aliquamdiu fucum faciat, aut, si deprehensus fuerit, effugere possit. N. T. scriptores

3. *nemini adulantur;* potius tam regum, principum et sacerdotum, quam plebis placita, mores ac studia perversa eâdem severitate castigant; praeterea omnem sapientiam humanam Christo adversam stultitiam declarant, cunctosque errare asserunt, qui Christi doctrinam non sequuntur. Impostores autem moribus ac studiis hominum, et quidem vel plebis, vel procerum et eruditorum adulari solent, prout ad fines suos assequendos causae suae aut asseclarum turbâ, aut patronorum potentiâ se indigere intelligunt.

4. *Summâ in narrando utuntur simplicitate;* facta enim grandia et stupenda ordinariorum instar describunt, et popularem magis, quam ad eloquentiae et artis dialecticae regulas compositum sermonem adhibent, ita ut de aurium pruritu, de admiratione lectorum excitanda prorsus non solliciti appareant, et non aliam curam manifestent, nisi ut, quae evenerant, a Christo dicta aut facta erant, lectores edoceant, persuasum habentes, veritatem artificiis non indigere, sed sua ipsius vi impedimenta quaevis superaturam esse.— Impostor autem, quia plerumque personas certas per fraudem vel extollere, vel deprimere nititur, varias orationis artes minime spernit, et quod relationum veritati deest, ornatu quaesito, sublimiori dicendi genere, figuris et imaginibus splendidis compensare adlaborat. Denique

5. *non tantum suorum, sed etiam suos ipsorum naevos candide fatentur,* et inter hos tales, qui auctoritati eorum facile derogare potuissent, veluti dum se ingenio tardos, variis praejudiciis occupatos, honorum cupidos, incredulos timidosque dicunt. Quis jam, nisi veritatis studiosissimus sit, proprios defectus sponte fateatur? Impostor potius se suaeque partis homines praeclarissimis coloribus depingere conatur, reticendo, et ubi hoc fieri nequit, saltem mitigando et excusando, quaecunque sibi aut suae partis hominibus quodammodo derogare possint.

Quae cum ita se habeant, relationes N. T. auctorum omni fide dignae censendae sunt, et qui non obstantibus illis, quae ad vindicandam eorum axiopistiam allata sunt, argumentis fidem eis denegare vellet: non jam rationes, sed sententias suas praeoccupatas et pertinacia praejudicia sequi dicendus foret, idque eo magis, quia

## §. 110.

**Axiopistia N. T. auctorum interna narratorum probabilitate commendatur.**

Ad fidem testi cuidam habendam sufficit quidem, si demonstratum fuerit, res ab illo sic referri, prouti evenerant; attamen axiopistia illius non parum fulcitur, si interna narratorum probabilitas vel plane necessitas ostendi, seu si probari potest, ea, quae referuntur,

*a)* circumstantiis locorum, temporis et personarum non tantum non repugnare, sed accurate potius consentire; vel plane

*b)* ita cohaerere cum aliis eventibus manifestis ac certis, ut vel causae, vel effectus eorum haberi debeant; vel saltem

*c)* ita comparata esse, ut, nisi revera evenissent aut adfuissent, proprio marte fingi non potuissent.

*Ad a)* Consentire N. T. libros in circumstantiis locorum, temporis ac personarum cum aliorum fide dignorum relationibus, jam cap. I. hujus sectionis demonstratum est.

*Ad b)* Ut de factis ordinariis nihil dicamus, utpote quorum internam probabilitatem quisque concedit, ipsa etiam miracula hac ex parte sufficienter vindicari queunt. Etenim certum et manifestum est, magnum tam Judaeorum, quam ethnicorum numerum per Apostolos ad religionem christianam esse conversum. Eventus hic explicari nequit, nisi cum supernaturalibus illis Christi et Apostolorum factis in causarum nexu cogitetur. Longe plurimi namque illius aetatis homines sensualitati dediti vix tales erant, qui solâ internâ doctrinae Christi veritate ac praestantiâ agnitâ ad eam profitendam coeco quodam impetu acti convolassent, et mores suos suaque studia ejus praeceptis e diametro opposita ad ejus normam correxissent, praecipue cum nihil promitteret, quod sensui terreno arrideret. Eo minus ad bonorum quorumcunque terrestrium, imo vitae ipsius jacturam faciendam adeo parati fuissent, qui solum terrena appetebant, et voluptatum sensualium studiis dediti erant, nisi adfuissent ejusmodi eventus supernaturales (miracula), qui altioris potestatis operationes non poterant non agnosci, sensus hominum nondum plane obduratorum percellebant, originem coelestem doctrinae christianae luculenter probabant omnesque excitabant, quibus datum erat a Patre luminum, ut ad Deum, legis moralis auctorem justumque vindicem mentem elevarent, et ad animum in melius mutandum proni redderentur.

*Ad c)* Doctrina, quae in N. T. libris continetur, et Jesu character, qualis describitur, ab auctoribus nostris fingi non potuit. De doctrina conferantur, quae §. 103. diximus. — Quod attinet characterem Jesu, qualis in N. T. delineatur, et consilia totum genus humanum amplectentia, qualia Christo tribuuntur: haec a viris illiteratis, incultis Galilaeae piscatoribus, praejudiciis pluribus de Messia deditis, nequaquam inveniri poterant, idque eo minus, cum ne sapientissimi quidem antiquitatis legislatores et philosophi tam grandia unquam ceperint consilia; sed ad summum nationem suam respexe-

rint. N. T. auctores nonnisi ea, quae propriis oculis viderant, et ex diuturna observatione pedetentim bene cognoverant, vel ab aliis hujus rei probe gnaris didicerant, — nonnisi haec, inquam, delineando pares exstiterunt. Quare Jesus talis, qualem auctores nostri describunt, fuerit, ita egerit docueritque necesse est, quia secus sic eum describere, talem eique soli proprium characterem nullo modo delineare potuissent.[1]

[1] De pugnis apparentibus inter sacros N. T. auctores et quomodo solvendae sint cfr. Güntner: Hermeneutica bibl. 3. edit. p. 108. sequentibus.

# PARS II.

# INTRODUCTIO SPECIALIS.

## ARTICULUS I.

## SCRIPTA HISTORICA.

### I. Evangelium s. Matthaei.

### §. 111.

**De auctoris persona et vita.**

Evangeliorum nostrorum primum unanimi ecclesiae traditione adscribitur *Matthaeo Apostolo.*[1] Pauca vero de ejusdem historia innotuerunt. Judaeum natum eum fuisse, recte colligitur tum ex ejus familiari linguae hebraicae, librorum V. F. et rerum judaicarum cognitione, tum inde, quod a Christo in numerum Apostolorum est receptus (coll. 10, 3. cum v. 5.). Antequam ab ipso Jesu vocatus discipulus ejus factus esset, portitoris munere fungebatur Capharnaumi, alio nomine Levi appellatus (Mt. 9, 9. Mr. 2, 14., ubi Alphaei filius dicitur et Luc. 5, 27.). Matthaeum et Levi eundem fuisse virum, adjunctorum ostendit aequalitas. — Quum post suam vocationem Christum, ejus discipulos multosque alios lautioribus epulis excipere potuerit, opibus haud destitutus fuisse videtur. Praeter vocationem ejus et seriorem electionem in Apostolorum numerum, et praeter nomen in Apostolorum catalogis consignatum de factis et fatis Matthaei in N. T. nihil commemoratur, et jam inde colligere licet, ejusdem vocationem in tribus evangeliis narrari, quia evangelio scripto inter primos Christianos nomen sibi paravit.

Ex illis, quae antiqui his notitiis adjungunt, vero maxime similis est relatio Eusebii, qui consentientibus aliis pluribus dicit: „*Matthaeus quidem, quum primum Hebraeis praedicasset, illis, dum etiam ad exteros transgredi vellet, evangelium suum patrio sermone scriptum tradidit, et quod praesentiae suae deerat, illis, a quibus discedebat,*

[1] ***Ματθαῖος*** respondet hebr. מַתַּי, contracto e מַתְּנַי, donatus (Nah. 12, 19. Esr. 10, 33. 37.), et diversum est nomen a מַתַּנְיָה, donum Dei, et a מַתִּתְיָה. Terminatio ai in nominibus Hebraeorum propriis admodum frequens est, ut Bartholmai, Alphai, Lebbai, Bartimai.

*per scripturam compensavit.*"[1] Quo terrarum abierit, cum nonnisi recentiores et valde dissentientes adsint relationes, et vel ideo non satis fide dignae, definiri nequit. Alii ei populos assignant chaldaicos, alii Aethiopes. Juxta Clementem Al. Matthaeus ascesi austeriori deditus erat. Heracleon eum modo naturali diem obiisse dicit, alii in Arabia aut in Aethiopia martyrium passum esse tradunt.[2]

## §. 112.

### Ubi et quibus lectoribus Matthaeus evangelium suum scripsit?

A Matthaeo evangelium *in Palaestina*, et quidem proxime in usum *Judaeochristianorum* et *Judaeorum Palaestinensium* scriptum esse, praeter Eusebium l. c. plures antiquorum referunt. Quae relatio egregie confirmatur libri ipsius indole, sive spectetur ejus argumentum, sive lingua, sive scopus.

1. Si *argumentum libri* consideretur, invenitur genealogia Jesu, in qua Josephus e Davidis familia ortus esse ostenditur; in doctrina continuus adest respectus ad rabbinorum placita; sententiae inter sectas et scholas Judaeorum controversae crebro commemorantur, et Pharisaeorum mores frequenter severiusque castigantur; denique multi V. F. loci adferuntur. Quae omnia in libro lectoribus judaicis destinato opportunissime, in opere autem ethnico-christianis scripto minus apte allata erant. — Desunt praeterea in evangelio nostro ejusmodi geographicae et topographicae adnotationes, rituum rerumque judaicarum expositiones vel saltem designationes nominumque hebraicorum frequentiores explicationes, quales in reliquis evangeliis inveniuntur. Sic Marcus 7, 2. explicat, quid sit *„manibus communibus manducare"*; ibid. v. 11. quid sit *κορβᾶν;* 12, 42. quid *λεπτὰ δύο;* 15, 42. quid *παρασκευή.* Lucas observat 24, 13., quanto intervallo oppidum Emmaus, Act. 1, 12. mons Oliveti ab Hierosolymis distet; Nazareth et Capharnaum esse civitates Galilaeae 1, 26. 4, 31., Arimathaeam civitatem Judaeae 23, 51. et al. Joannes nominibus hebraicis vel notissimis graecam adjungit explicationem, ut rabbi, Messias Kephas 1, 39. 42. 43.; porro 11, 18. Bethaniae distantiam ab Hierosolymis definit; 2, 6. sex hydrias adpositas fuisse pro more purgationis Judaeorum animadvertit; 7, 37. festi encaeniorum diem octavum fuisse solennissimum innuit, et 19, 40. modum, quo Josephus ab Arimathaea et Nicodemus funus Christi pararunt, Judaeis usitatum fuisse dicit. Haec omnia tres reliqui evangelistae vix alia ex causa addiderunt, nisi quia lectoribus eorum proximis ignota erant. Cum

---

[1] *Ματθαῖος μὲν γὰρ πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἤμελλεν καὶ ἐφ᾽ ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ᾽ αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ τούτοις, ἀφ᾽ ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου.* Hist. eccl. III. 25. editionis Lämmer, Schaffhusiae 1861.

[2] Cfr. Apollonium ap. Eus. h. e. 5, 18.; Eus. h. e. 3, 24. Iren. adv. haer. 3, 1. 1. Rufin. h. eccl. 10, 9. Socrat. h. e. 1, 19. Clem. Al. strom. IV. 9. Paedag. II. 1.

jam s. Matthaeus talia omittat, ratio vix alia cogitari potest, quam fuisse ea lectoribus illius primis domestica ac proinde nota.

Paucissimae in evangelio nostro obviae hebraicorum nominum et verborum explicationes, veluti Immanuel 1, 23. et Eli, Eli lama sabachtani 27, 46. sententiam nostram non evertunt, cum addi potuerint a graeco Matthaei interprete, qui nomen illud, ut proprium, ab Isaia adhibitum servare voluit, et Christi in cruce pendentis verba, ne sequentia essent obscura, pandere eâ linguâ debuit, qua erant prolata, et tum illud tum haec in usum lectorum graecorum graece explicare opportunum censuit. Frustra etiam opponeretur, a Matthaeo 22, 23. adnotari, Sadducaeos negasse mortuorum resurrectionem; hoc enim omittere haud potuit, cum ipsis Palaestinensibus Sadducaeorum placita non ita cognita essent, ut sententiae Pharisaeorum. Neque Ἰησοῦς 1, 21. huc pertinet, quia addita verba: „*Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*" nominis Jesu rationem, non vero explicationem continent.

2. Si verum est, quod antiqui unanimi consensu tradunt, Matthaeum *hebraice* i. e. syro-chaldaice seu aramaice scripsisse, non alios lectores proximos supponere licet, nisi Palaestinenses, quibus haec dialectus vernacula erat et valde adamata (coll. Act. 21, 40—22, 2.).

3. Si Matthaeo non aliud erat consilium, nisi, ut mox probabitur, demonstrare, Jesum esse Messiam in V. F. promissum, idem nonnisi de lectoribus proximis originis judaicae cogitari permittit.

## §. 113.

### Consilium s. Matthaei in evangelio scribendo.

Evangelistae nostri non ad instar hodiernorum historicorum diplomatice accuratam adornant historiam; potius, dum doctrinam salutiferam a Christo praedicatam pro fine suo peculiari exponunt et mysteria regni divini pandunt, nonnisi picturae, imaginis vitae Jesu Christi adumbrationem exhibent. In specie vero *Matthaeus* ad finem illum communem assequendum *ea solum dicta, facta fataque Jesu insigniora consignare voluit, quae demonstrarent, Jesum esse Messiam per oracula V. F. promissum, neque alium esse exspectandum.* Non pure historicum, neque mere dogmaticum, sed historico-didacticum esse hoc opus, et ad scopum nominatum tendere, docet tum argumentum ejus, tum forma et occasio.

1. Quod *argumentum* attinet, auctor

*a*) Jesum sistit e Davidis familia ortum (c. 1.), miraculoso modo per Spiritum s. conceptum et a virgine Bethlehemi natum (ibid.), per stellam exteris annunciatum, ex Aegypto revocatum et Nazarethae educatum (c. 2.); per praecursorem prophetam in orbem introductum et eo ipso tempore publice progressum, quo Joannes B. maximam excitaverat Messiae exspectationem (c. 3.); quadraginta dierum jejunio ad munus praeparatum (c. 4.); in Galilaea ignorantiae et mortis tenebras luminis clarissimi instar pellentem (4, 12. seqq.); perspicuo, gravi et suavi docendi modo clarum et divina auctoritate

munitum (c. 5—7.); miraculorum patratorem (c. 8. al.); parabolico dicendi genere et solvendis quaestionibus difficillimis eminentem (c. 13. 19, 16. seqq. 22, 25. seqq.); futura praedicentem (c. 12. c. 16. c. 17. c. 24. c. 25. c. 27.); satanae quoad moralem et physicam potestatem devictorem (c. 4. c. 8. al.); Mose et Elia superiorem (c. 17.); regem, minime tamen politicum, sed spiritualem, qui morte sua vitam aeternam humano generi comparasset, judex vero aliquando cuilibet juxta opera esset redditurus, quemque nemo impune et sine gravissimâ aeternae beatitatis jactura contemnere possit. — Haec dum in evangelio suo collegit, Matthaeus clarissime docuit, nec ullum characterem messianum in V. F. annunciatum a Jesu Christo abfuisse. Scopum hunc operis sui historico-didacticum clarius adhuc manifestat

*b*) frequentibus ejusdem generis observationibus suo nomine additis, quibus lectores aperte monuit, cuncta, quae in Christo ab humanis ejusdem primordiis usque ad crucem evenerunt, esse prorsus talia, quae respondeant oraculis per prophetas de Messia editis. Ejusmodi adnotationes adsunt 1, 22. 2, 5. 15. 17. 3, 3. 4, 14. 8, 17. 12, 17. 13, 35. 21, 4. 26, 56. 27, 9. Neque sine ratione graviori

*c*) Matthaeus ab initio evangelii sui Christum vocavit *filium Davidis*, qui titulus inter solennes Messiae pertinet designationes.

2. Relate ad *formam* evangelii, Matthaeus partim neglecto ordine chronologico materias ratione habita internae similitudinis frequenter conjungit; partim ea momenta historiae Jesu Christi accuratius pertractat, e quibus singuli characteres messiani elucent et lectori conspiciendi praebentur. Illud e comparatione evangelii nostri cum illis Marci et Lucae,[1] hoc e sequentibus patet:

*a*) Orationem Christi montanam longiorem cc. 5. 6. et 7. accurate attulit; nam eandem integram eodem tempore esse habitam inde patescit, quod singulae fere partes praeclare cohaerent. Illud vix alio consilio ab auctore nostro factum est, nisi ut ampliori Christi sermone allato ostenderet, eum non tantum perspicuo, gravi simulque suavi docendi modo, qualis Messiam, prophetarum maximum decebat, insigni modo excelluisse, sed etiam divinâ auctoritate praecepisse ac decrevisse (cfr. 7, 28.).

*b*) Apostolorum instructionem 10, 1—42. accuratius consignavit, quam Marcus 6, 7—11. et Lucas 9, 3—5., ut doceret, Christum pro scientia suâ divinâ fata discipulorum suorum futura habuisse perspecta, eosque ad destinationem suam sortemque brevi secuturam jam tum temporis attentos reddere voluisse, et eis dedisse praecepta legatis divinis omnino digna.

*c*) Parabolas plures a Christo eâdem occasione propositas c. 13. literis mandavit, ut pateret, Jesum hoc dicendi genere eminentem vaticinio prophetico respondisse (cfr. 13, 35.).

*d*) Severiorem Pharisaeorum ac legisperitorum increpationem

---

[1] Cfr. v. g. Mt. 8, 14. 15. cum Mr. 1, 29. 30. et Luc. 1, 38. 39.; Mt. 12, 1. seqq. cum Mr. 2, 23. seqq. et Luc. 6, 1. seqq.; Mt. 21, 12. seqq. cum Mr. 11, 11. 15.; Mt. 21, 18—22. cum Mr. 11, 12. 28.

c. 23. multo uberius quam Lucas nobis servavit, ut ostenderet, Christum jure suo messiano absque ullo hominum respectu et ab omni timore alienissimum esse usum. . Denique

*e*) vaticinium de Hierosolymorum excidio et mundi fine c. 24. et 25. adeo diligenter enarravit, ut doceret, Christum utrumque terribilem eventum, judicii messiani manifestationem et consummationem, cum circumstantiis suis accuratissime habuisse cognitum.

3. Sententia de auctoris nostri consilio mox exposita multum roboris nanciscitur, si *adjuncta quoque temporis*, quo evangelium scripsit, respiciantur. Tempore, quod Hierosolymorum eversioni propius erat, testibus Tacito, Suetonio et Josepho Fl. maxima vigebat inter Judaeos exspectatio Messiae', qui eos a Romanorum jugo esset liberaturus. Etiam pseudoprophetae surrexerant, qui hanc spem in populo fovebant, eumque credulum maximis calamitatibus exposuerant, ita ut quisque prudens non posset non praevidere, actum esse de Judaeorum natione, nisi quis insanae, fanaticae et simul contagiosae huic exspectationi mederetur. Quod fieri potuit firmiter et evidenter demonstrando, Messiam a prophetis annunciatum in Jesu Christo jam advenisse, neque alium esse exspectandum, et quicunque se Messiam profiteretur aut spem venturi faceret, non esse, nisi populi seductorem. Cum jam scriptorum prudentium quisque adjuncta et indigentias proximorum lectorum suorum respicere soleat: s. Matthaeus ipso illo tempore scribens non poterat non provocari ad tale opus exarandum, quo populares suos, vanis eorum opinionibus refutatis, ad meliorem mentem reduceret, et a malis gravissimis praeservaret. *Idem ergo consilium, quod argumentum et forma evangelii docet, adjuncta quoque temporis flagitabant.*

## §. 114.

### Dispositio evangelii et argumentum.

S. Matthaeus chronologiam in momentis tantum principalibus sequitur, plura vero partim omittit, partim nullâ temporis ratione habitâ ob internam similitudinem conjungit. Hinc etsi historiam infantiae Jesu excipit munus ejus publicum, dein ultimum iter hierosolymitanum, passio, mors, sepultura et resurrectio: termini tamen chronologici desunt, et formulis *καὶ ἐγένετο*, *ἐγένετο δέ*, *τότε*, *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ*, *ὥρᾳ*, *ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ* scena scenae, actio actioni adjungitur. Attamen in formula *ἀπὸ τότε* bis occurrente: 4, 17. et 16, 21. innuitur divisio evangelii primaria ab ipso auctore spectata. Quare

I. pars 1, 1—4, 16. complectitur *proëmium*, et quidem
 1) c. 1. et 2. evangelium infantiae,
 2) c. 3—4, 11. historiam inaugurationis Christi,
 3) 4, 12—16. sedis electionem Capharnaumi,

II. pars 4, 17—16, 20. *munus Jesu publicum* qua doctoris, thaumaturgi et fundatoris ecclesiae suae per electionem,

instructionem et ablegationem Apostolorum primam primatisque promissionem.

III. pars 16, 21—28, 20. passionem, mortem et resurrectionem Christi, et quidem

*a*) 16, 21—26, 35. praeparationem Apostolorum ad passionem, iter ultimum hierosolymitanum et facta dictaque in metropoli.

*b*) 26, 36. — fin. historiam ipsius passionis, mortis et resurrectionis Domini.

I. *In proëmio* (1, 1—4, 16.) narratur: c. 1. Christi genealogia, conceptio supernaturalis Josepho revelata; c. 2. Magorum adventus, fuga Josephi cum infante et matre in Aegyptum, infanticidium bethlehemiticum, sanctae familiae reditus in civitatem Nazareth; c. 3. praecursoris Joannis proditus et praedicatio, Christi solennis per baptismum inauguratio; c. 4. discessio in desertum et tentatio devicta, denique sedis electio Capharnaumi.

*In parte II.* (4, 17—16, 20.) sistitur Jesus vocatis quatuor discipulis totam Galilaeam peragrans, docendoque et sanando tantam famam sibi parans (4, 17—25.), ut magna undique confluens adesset turba, cum orationem montanam haberet (cc. 5—7.). Finita hac oratione et homine leproso in via sanato Jesus Capharnaumum redit, ibi centurionis servum paralyticum, Petri socrum febricitantem multosque daemoniacos et alios aegrotos sanat; trajiciens lacum procellam maris tranquillat; restitutis in regione Gadarenorum duobus daemoniacis (c. 8.) iterum venit Capharnaumum, ubi paralytico sanato Matthaeum portitorem vocat, Pharisaeorum criminationem, quod cum peccatoribus conversetur, reprimit, Joannis discipulis ad quaestionem de jejunio respondet; mulierem sanguinis profluvio laborantem sanat, Jairi filiam mortuam resuscitat, duobus caecis et daemoniaco muto sanatis civitates Galilaeae pertransiens populum discendi cupidum magistris idoneis et sufficientibus destitui conqueritur (c. 9.); refertur prima duodecim Apostolorum emissio eorumque instructio (c. 10.); responsum Joannis B. legatis datum illiusque laudes adduntur; Jesus conqueritur ob incredulitatem quarumdam Galilaeae civitatum et Patrem celebrat (c. 11.); defendit discipulos ob spicas sabbato vulsas; manu arida sabbato sanata Pharisaeorum odium in se auget; caeco mutoque homine daemoniaco sanato a Pharisaeis unionis cum Beelzebul accusatus causam suam defendit; petentibus signum denegat, attamen promittit futurum; mater ejus et fratres adveniunt (c. 12.); ad lacum Gennesareth parabolas proponit, ad quaestionem discipulorum respondet et nonnullas illarum explicat; in patriam suam venit et ibi contemnitur (c. 13.); cum famam suam ad Herodem Joanne jam occiso pervenisse cognoscit, in desertum abit et magnam hominum turbam miraculoso modo cibat; discipulis suis navigantibus super undas ambulans opem fert (c. 14.); Pharisaeorum accusantium traditiones perstringit; in confiniis Tyri et Sidonis daemoniacam, ad lacum Galilaeae multos aegrotos sanat et aliam populi multitudinem saturat (c. 15.); Pharisaeis signum denegat, discipulos suos de cavendo Pharisaeorum et Sadducaeorum fermento monet (— 16, 20.).

*In parte III. sectione 1.* (16, 21—26, 35.) Jesus in regione Caesareae Philippi commorans ad quaestionem suam a Petro Messias, Dei Filius, declaratur, Petro in ecclesia sua primatus dignitatem promittit et passionem suam ac mortem praedicit (16, 21—); sequitur transfiguratio, pueri lunatici sanatio, altera mortis et resurrectionis Jesu praedictio, didrachma solvitur (c. 17.); discipuli de ambitione et de scandalis monentur; parabola de ove perdita proponitur; correctionis fraternae modus ostenditur, indulgentia continuata commendatur et parabolâ de servo conservi sui non miserto illustratur (c. 18.); Jesus e Galilaea in Judaeam profectus propositam a Pharisaeis quaestionem de divortio solvit; parvulis benedicit, divitem juvenem edocet; asseclis suis praemia promittit (c. 19.), idque parabolâ de operariis in vinea illustrat; Hierosolymam petens Apostolis mortem suam praedicit; ad vanam filiorum Zebedaei petitionem respondet; ad urbem Jericho duos coecos sanat (c. 20.); Hierosolymis proximus asinam cum pullo sibi adduci jubet; solenniter Hierosolymam ingreditur, templi profanatores expellit; Pharisaeis indignantibus respondet; Bethaniam abit; altera die mane Hierosolymam revertens ficui in via maledicit; in urbe quaestioni principum sacerdotum et seniorum populi aliam opponit; parabolam de duobus filiis et de vinitoribus perfidis proponit; principes sacerdotum et Pharisaei offensi eum comprehendere non audent (c. 21.); Jesus addit aliam parabolam de invitatis ad nuptias; ad interrogationem de censu solvendo et ad quaestionem Sadducaeorum de vitae futurae conditione respondet; quod mandatum legis sit maximum legis doctori ostendit, et de Messia Davidis filio quaestionem proponit (c. 22.); severiori oratione Pharisaeorum ac legisperitorum indolem et mores castigat (c. 23.); sedens in monte Olivarum de templi excidio, de mundi fine et de judicio extremo loquitur (c. 24. et 25.). Synedrium consilia init de Jesu perdendo; Jesus Bethaniae in domo Simonis a muliere ungitur ejusque factum laudat; Judas synedrorum consilia se adjuturum promittit; Christus sacram coenam celebrat (26, 1—35.)

*In sectione 2.* (26, 36—fin.) Jesus ex urbe egressus in horto a Juda adversariis proditur, inde ad Caipham, postea ad Pilatum ducitur, et ab eo mortis sententiâ confirmatâ in crucem agitur mortuusque a Nicodemo et Josepho sepelitur, sepulchrum obsignatur et custoditur (c. 27.); prima die hebdomadis angelus lapidem ab ostio monumenti revolvit, et resurrectionem ejus mulieribus ad sepulchrum annunciat, illae discedentes a Domino redivivo salutantur; in Galilaea undecim Apostolis se praebet conspiciendum, eosque in universum terrarum orbem evangelii praecones abire jubet (c. 28.).

S. Matthaei evangelium, licet historiae non accuratius teneat filum, magnâ arte dispositum et compositum invenitur; nam dum in proëmio nonnisi ea narrantur, quae ratione habita lectorum originis judaicae opportuna videbantur: c. 5. et 6. Jesu ostenditur sapientia in docendo; c. 8. 9. potentia in operando; c. 10. providentia in instruendo legatos; c. 11. 12. prudentia in respondendo; c. 13. dexteritas in proponendo

parabolas; c. 14. 15. dominium in rerum naturam; c. 16. 17. natura divina in profitendo et apparendo etc.

## §. 115.

### De authentia evangelii s. Matthaei.

Evangelii nostri auctorem esse Matthaeum Apostolum, testimonia antiquitate, numero et fide gravissima ostendunt. Sic, ut de aliis taceamus, evangelium hoc in omnibus antiquis sacrorum librorum catalogis primum nominatur, et in omnibus antiquis versionibus primum legitur. Testimoniorum externorum pondus sentientes rationalistarum plures nostra aetate[1] argumentis internis innixi dubia diversa de authentia evangelii hujus moverunt, aut genuinitatem ejus plane negarunt. Et quidem

1. dicunt: Apostolo, perpetuo Jesu comiti, non conveniunt relationes justo simpliciores, nimis generales, circumstantiis non determinatae, vividitate destitutae, quibus evangelium primum longe inferius est secundo et tertio; produnt potius auctorem, qui, cum non esset testis rerum gestarum, e seriori hausit traditione, in qua narratio plenior et vividior transiit in simpliciorem, quia adjuncta singula oblivioni jam erant tradita. (Cfr. v. g. Mt. 8, 5—13. cum Luc. 7, 1—10.; Mt. 8, 28. seqq. cum Mr. 5, 1—20. et Luc. 8, 26—39.; Mt. 9, 18—26. cum Mr. 5, 22—43. et Luc. 8, 41—56.)

2. Sermones breviores, quos Jesus diversis occasionibus habuit, ab auctore congeruntur in orationes longiores, v. g. c. 5—7.; c. 10.; c. 13.; c. 23., hocque errorem commissum supponit, qualis adscribi nequit Apostolo.

3. Etiam facta auctor alieno loco inserit, sicque ignorantiam suam prodit; v. g. templi purgationem c. 21., ultimam coenam Jesu c. 26.

4. Auctor primi evangelii ignarum se manifestat rerum memoratu dignissimarum, quas Apostolus scire debebat; non refert v. g. Lazari resuscitationem, apparitiones Jesu Hierosolymis factas, ascensionem Christi in coelum; imo, quod magni momenti est, itinera Jesu Hierosolymam ad festa diversa omittit, et ejus activitatem usque ad pascha ultimum ad Galilaeam restringit. Si igitur Joannis relatio de priore Jesu Hierosolymis activitate vera est, narratio evangelii primi falsa invenitur, ejusque auctor esse nequit Apostolus.

5. Auctorem plurium eventuum accuratiorem non habuisse cognitionem, inde quoque probatur, quod propriis combinationibus historicis indulget, haud raro seductus V. T. locis. Sic 21, 2. asellum, quo solo Jesus uti potuit, ob Zach. 9, 9. mutat in asinam et pullum.

6. In primo evangelio plures eventus mythice exornati sunt, facta aut dicta duplicata, varia assimilata. Sic v. g. quod attinet primum, 27, 52. 53. narratio occurrit, quae indole sua apocryphorum

[1] V. g. Schulz, Schleiermacher, Sieffert, Schneckenburger, de Wette, Bauer etc.

relationes longe superat; relate ad alterum auctor contra Marcum et Lucam 8, 28. seqq. duos nominat daemoniacos Gadarenos, 20, 30. duos coecos Jerichuntinos; praeterea facta aut dicta bis refert, ut 14, 13. seqq. 15, 32. seqq. cibationem turbae miraculosam; 5, 32. et 19, 9.: *„Quicunque dimiserit uxorem suam"* etc.; 5, 29. 30. et 18, 8. 9.: *„Si oculus tuus te scandalizat"* rel. etc. etc.

*Respondemus*

Ad 1. Simplicitas narrandi in nostro evangelio facile explicatur ex auctoris consilio et e lectorum primorum indole. Qui in libro suo consilium non pure historicum, sed historico-didacticum prosequitur, facta ipsa potius curat, quam singula adjuncta locorum et temporis, personarum munera et conditionem. Praeterea illa erat Judaeorum et etiam Judaeochristianorum palaestinensium indoles, ut, testibus scriptis apocryphis, adjunctis minus essentialibus maximum tribuerent momentum, sicque a rei essentia animum averterent; quare s. Matthaeus omnia adjuncta ad veram factorum naturam rite cognoscendam non necessaria silentio praetermisit, ut omnis lectorum attentio ad rerum essentiam converteretur. Denique lectoribus palaestinensibus personam nominare saepe idem erat, ac munus aut conditionem uberius exponere, v. g. Barabbas, Joseph ab Arimathaea 27, 16. 57.

Ad 2. Matthaeum breviores Jesu sermones diversis occasionibus prolatos in longiores copulasse orationes, asseritur quidem, non autem probatur; nam si longiorum ejusmodi orationum partes apud Marcum et Lucam aliis occasionibus referuntur, id solum sequitur, eas a Jesu, qui non semper et ubique nova promere debuit, ob gravitatem suam esse repetitas. Praeterea ipse illae orationes longiores, quales nonnisi in nostro et in Joannis evangelio leguntur, characterem auctoris nostri apostolicum manifestant; etenim nonnisi Apostolus, perpetuus Jesu comes et intimâ ejus familiaritate usus par erat illas ita memoriae mandando, ut eas post longius tempus accuratius chartae mandare posset.

Ad 3. Auctor evangelii nostri facta alieno loco ibi inserit, ubi consilium ejus ordinem chronologicum negligere, et eum materiarum similitudinis praeferre suadebat; ast eum in narranda templi purgatione et in determinando tempore ultimae coenae non tale committere hysteron-proteron, quale si obtruditur, sexcenties jam argumentis firmissimis demonstratum est. Verum rationalistae inter alia artificia etiam in deliciis habent, contradictiones aucupare, ubi re accuratius consideratâ nullae adsunt, et hunc in finem locos evangelistarum similes declarare parallelos, sique illi non consentiunt nec consentire possunt, de pugnis evangelistarum conclamare, ut habeant, quo ss. librorum vel authentiam vel axiopistiam in dubium vocent.

Ad 4. Posse etiam immediatum rerum gestarum testem quaedam vel plane omittere, vel paucis duntaxat verbis proponere, jure dubitari nequit. Ita scripsit Joannes, qui pleraque omisit eorum, quae a reliquis evangelistis erant narrata; ita etiam scriptores profani egerunt et agunt. Quare etiam Matthaeus omittere potuit plura, quibus non inerant messiana criteria. Quod in specie attinet Lazari resuscitationem, haec extra sphaeram historiae a Matthaeo narratae

posita erat, et eam referre illi eo magis superfluum videbatur, cum jam historiam resuscitatae filiae Jairi c. 9. retulisset. Praeterea quibusdam apparitionibus Christi redivivi narratis ostendere sufficiebat, eum, ut Messiae conveniebat et ut ipse praedixerat, revera resurrexisse a mortuis. Jesum die 40. post resurrectionem in coelum ascendisse Christianis palaestinensibus asserere plane supervacaneum fuisset, cum omnes scirent, eum neque in sepulchro custodito esse inventum, neque serius a quodam in terra Israël visum, neque denuo mortuum. — Matthaeum activitatem Jesu maximam partem ad Galilaeam restringit, quia coll. 4, 13. seqq. ostendere voluit, Jesum respondisse vaticinio Is. 8, 23. — Messiam ad festa diversa Hierosolymam esse profecturum, a prophetis non erat praedictum; hinc s. Matthaeus itinera illa eodem jure silentio praetermisit, quo reticuit Jesu circumcisionem et oblationem in templo. Denique quamvis Matthaeus activitatem Jesu praecedentem in Judaea non descripsit, eam tamen coll. 4, 12. non exclusit, ita ut relationibus s. Joannis c. 1—4. omnino sit locus.

Ad 5. Etiam hic asseritur, quod non probatur. Combinationibus Matthaeus indulsit quidem eatenus, quatenus facta similia conjungit, et ex iis Jesum criterio messiano respondisse ostendit, non vero quatenus eventus ipsos et facta juxta prophetarum vaticinia confinxisset. Quodsi reliqui evangelistae solum asellum nominant, quo Jesus vectus Hierosolymam solenniter intravit, Matthaeus vero et asinam et pullum adductos esse scribit: hoc solum sequitur, eum ut testem oculatum rem narrasse, ut evenerat, non autem historiae veritatem in favorem loci Zach. 9, 9. laesisse.

Ad 6. Narrationem Matthaei: moriente Christo monumenta esse aperta, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexisse, et egressos de monumentis post resurrectionem Domini venisse in sanctam civitatem et apparuisse multis; — narrationem, inquam, hanc mythum nonnisi ille habere potest, qui aut crasso materialismo immersus, aut vesano pantheismo obcoecatus omni sensu religionis mysteriorum caret; qui autem scit, quis et qualis fuerit ille, ad cujus mortem lugendam et ad cujus resurrectionem contestandam illa miracula evenerunt: haec non tantum possibilia agnoscet et Jesu Christo digna, sed etiam Matthaeo asserenti et in usum Palaestinensium scribenti fidem firmam habebit. — Matthaeus duos daemoniacos Gadarenos et duos coecos Jerichuntinos a Jesu sanatos nominat, quia revera duo erant daemoniaci, quorum autem Marcus et Lucas ob peculiarem scopum nonnisi unum commemorant, utpote memoratu digniorem;[1] eâdem ex causâ Marcus unius tantum caeci Jerichuntini

[1] Teste Matthaeo duo daemoniaci e sepulchris egressi valde erant feroces et proinde periculosi; ast, ut Marcus et Lucas referunt, nonnisi unus longiori jam tempore a multis daemonibus erat obsessus, ita ut saepe ab iis correptus manicas et pedicas, quibus eum ligaverant, confringeret comminueretque, nudus ageretur in loca deserta, diu noctuque in sepulchris et in montibus commoraretur, se lapidibus contunderet, clamaret et nunquam domari posset, daemonibus vero in porcos ingressis vestitus et sanae mentis ad pedes Jesu sederet, eum comitari desideraret, ab eo vero jussus, quae sibi evenerint, in tota illa regione annunciaret, sicque

sanationem refert, Lucae autem relatio, ut loci diversitas ostendit, ad factum Jesu plane diversum spectat. Quod attinet reliquos locos, ubi idem dictum aut factum per auctoris errorem duplicatum esse dicitur, observamus: *a)* plures eorum esse similes quidem, non autem ob plurium adjunctorum discrepantiam parallelos, quo pertinent 9, 32. *(obtulerunt hominem mutum)* et 12, 22. *(obtulerunt hominem, qui erat coecus et mutus)*; 12, 38. *(quidam de legisperitis et Pharisaeis dixerunt: Volumus a te signum videre)*, et 16, 1. *(Pharisaei et Sadducaei rogaverunt, ut signum de coelo ostenderet eis)*; 14, 13. seqq. (cibatio 5000 virorum quinque panibus et duobus piscibus, — duodecim cophini residuis fragmentis pleni) et 15, 32. seqq. (saturatio 4000 virorum septem panibus et paucis pisciculis — septem sportae fragmentis plenae); 16, 19. *(quodcunque ligaveris etc.* ad solum Petrum dictum), et 18, 18. *(quaecunque ligaveritis etc.* omnibus Apostolis promissum); 24, 14. *(et praedicabitur hoc evangelium regni in universo mundo in testimonium omnibus gentibus)*, et 26, 13. *(ubicunque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur etiam, quid haec fecerit, in memoriam ejus)*. *b)* In aliis locis eadem repetuntur quidem, attamen non ob auctoris ignorantiam aut errorem, sed quia ipse Christus binâ occasione oblatâ de eadem re bis verba fecit, et proverbiali dicto aut V. F. effato suam expressit sententiam, quo altius auditorum animis infigeretur; v. g. *„Quicunque dimiserit uxorem suam etc.* 5, 32. in oratione montana sponte, et 19, 9. a Pharisaeis interrogatus dixit Jesus; *„si oculus tuus te scandalizat“ etc.* 5, 29. 30. et 18, 8. 9.; *„misericordiam volo, et non sacrificium“* 9, 13. et 12, 7.; *„qui enim habet, dabitur ei, qui autem non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo“* 13, 12. et 25, 29.; *„a fructibus eorum cognoscetis eos“* 7, 16., et: *„aut facile arborem bonam et fructum ejus bonum — — siquidem e fructu cognoscitur arbor“* 12, 33. — Denique *c)* alia, veluti praedictio calamitatum discipulis imminentium 10, 19. 22. et 24, 9. 13. a Christo repeti debebant, ne improviso irruentes animos eorum frangerent.

## §. 116.

### De lingua evangelii s. Matthaei originali.

*S. Matthaeum evangelium suum hebraice scripsisse, argumenta gravissima probant,* et quidem

---

quodammodo praecursoris munere fungeretur. — Cum jam Judaeis et Judaeo-christianis in Palaestina degentibus esset persuasio, homines existere a daemonibus obsessos: Matthaeus, qui in illorum usum scripsit, duos nominare potuit daemoniacos paucis designatos, quin ullum in lectoribus dubium esset timendum; ast ethnicis et ethnicochristianis illa non erat fides; hinc occasione data exemplo singulari Marco et Lucae probare necessarium videbatur, daemoniacos revera exstitisse, et a Jesu daemones reapse esse ejectos. Quum vero hoc nonnisi in uno daemoniacorum Gadarenorum evidente modo probari posset et ostendi, eum non naturali laborasse malo, sed tali, quod a daemonibus, entibus potentioribus, erat effectum: scientes volentesque unius tantum sanationem narrarunt. Procul dubio etiam Apostoli, in specie Petrus et Paulus, in exteris regionibus praedicantes ob finem superius indicatum solum de uno illo daemoniaco Gadarensi narrarunt.

1. Multi iique antiquissimi Patres ac scriptores ecclesiastici hoc contestantur, veluti Papias, Pantaenus, s. Irenaeus, Origenes, Eusebius, Cyrillus Hieros., s. Epiphanius, s. Hieronymus.

*a) Papias*, episcopus Hierapolitanus in Phrygia, immediatis Apostolorum discipulis coaevus, multas de Jesu et Apostolis collegit et scripto consignavit relationes, quarum fragmenta a s. Irenaeo et ab Eusebio servata sunt. Dicit vero (apud Euseb. h. e. III. 39.): *„Matthaeus quidem hebraica dialecto sermones conscripsit, interpretatus vero est eos, quemadmodum poterat quisque.“* [1]

*b) Pantaenus* referente Eusebio (h. e. V. 10.) saeculo II. ad Indos usque (in Arabia meridionali) pervenit, ibiqne apud quosdam Christianos evangelinm Matthaei invenit literis hebraicis conscriptum, a Bartholomaeo Ap. illis traditum.

*c) S. Irenaeus* idem dicit de lingua libri nostri in opere adv. haereses III. 1. et apud Euseb. h. e. V. 8.[2]

*d) Origenes* e traditione se didicisse scribit, evangelium Matthaei, prius portitoris, dein Apostoli Christi, hebraico sermone conscriptum esse et publicatum Judaeochristianis[3] (Eus. h. e. VI. 25.).

*e)* Ipse *Eusebius* eandem tuetur sententiam (h. e. III. 14. cfr. §. 111.).[4] Cum nominatis viris consentiunt:

*f) s. Cyrillus* Hieros. catechesi 14,[5]

*g) s. Epiphanius* haeres. 29. 30.[6] et

*h) s. Hieronymus* de viris illustr. c. 3.[7]

*i) s. Augustinus* de cons. evang. I. 4.[8]

2. Non tantum Nazaraei et Ebionitae apocryphum suum evangelium hebraicum s. Matthaei authenticum venditarunt, sed idem etiam nonnulli orthodoxorum tenuerunt. Jam vero haec opinio enasci non potuit, nisi e firmissima persuasione communi, s. Matthaeum hebraice scripsisse.

---

[1] *Ματθαῖος μὲν οὖν ἑβραΐδι διαλέκτῳ τὰ λόγια συνεγράψατοι, ἡρμήνευσε δ' αὐτὰ ὡς ἠδύνατο ἕκαστος.*

[2] *Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν.*

[3] *Πρῶτον μὲν γέγραπται τὸ κατὰ τὸν ποτὲ τελώνην, ὕστερον δὲ ἀπόστολον Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐκδεδωκότα αὐτὸ τοῖς ἀπὸ Ἰουδαϊσμου πιστεύσασι, γράμμασι ἑβραϊκοῖς συντεταγμένον.*

[4] *Ματθαῖος μὲν γὰρ πρότερον Ἑβραίοις κηρύξας, ὡς ἔμελλε καὶ ἐφ' ἑτέρους ἰέναι, πατρίῳ γλώττῃ γραφῇ παραδοὺς τὸ κατ' αὐτὸν εὐαγγέλιον, τὸ λεῖπον τῇ αὐτοῦ παρουσίᾳ τούτοις, ἀφ' ὧν ἐστέλλετο, διὰ τῆς γραφῆς ἀπεπλήρου.*

[5] *Ματθαῖος, ὁ γράψας τὸ εὐαγγέλιον, ἑβραΐδι γλώσσῃ τοῦτο ἔγραψεν.*

[6] *Ματθαῖος ἑβραϊστὶ καὶ ἑβραϊκοῖς γράμμασι ἐν τῇ καινῇ διαθήκῃ ἐποιήσατο τὴν τοῦ εὐαγγελίου ἔκθεσιν τε καὶ κήρυγμα.*

Haeres. 51.: *Οὗτος μὲν οὖν Ματθαῖος ἑβραϊκοῖς γράμμασι γράφει τὸ εὐαγγέλιον καὶ κηρύττει.*

[7] Matthaeus, qui et Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judaea propter eos, qui ex circumcisione crediderant, evangelium Christi hebraicis literis verbisque composuit, quod quis postea in graecum transtulit, non satis certum est. In praef. in 4 evv. ad Damasum Papam: De novo nunc loquor testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in Judaea evangelium Christi hebraicis literis edidit.

[8] Horum sane quatuor solus Matthaeus hebraico scripsisse perhibetur eloquio, ceteri graeco.

3. Quamvis Palaestinenses linguae graecae gnari essent, eos tamen linguâ suâ patriâ valde delectatos esse, ex Act. 21, 40—22, 3. edocemur; unde licet non certo colligi possit, admodum tamen probabile redditur, s. Matthaeum, quo majorem popularium suorum excitaret attentionem, quo facilius animos eorum moveret sibique et causae suae pronos redderet, sermone eorum vernaculo evangelium suum scripsisse.

Non obstantibus tamen argumentis allatis evangelium Matthaei non hebraice, sed graece exaratum esse, plures eruditorum contenderunt, ut *Erasmus Rot.*, *Wetstein*, *Clericus*, *Mai*, *Schröter*, *Frid. Fritzsche*, *Schubert* et alii, inter Catholicos *Leon. Hug*, et sequentibus argumentis sententiam priorem impugnarunt:

1. Omnes Patres et scriptores eccl. nominati ex unico hauserunt fonte, nimirum e Papia, ita ut non sint plures testes, sed nonnisi unus; Papiae autem, quem ipse Eusebius virum ingenii admodum mediocris fuisse fatetur,[1] fucum fecerant Ebionitae, qui, ut evangelio suo hebraico auctoritatem apostolici operis vindicarent, Matthaeo Apostolo illud adscribebant.

2. Si Matthaeus hebraice scripsisset, versione hujus evangelii syriacâ opus non fuisset; sunt enim dialecti hae cognatae et fere aequales; necessaria autem erat versio, si Matthaeus graece scripsit, cumque translatio illa revera facta sit, Apostolum graece scripsisse sequitur.

3. Nemo veterum dicit, se vidisse evangelium Matthaei hebraicum, neque cogitari potest causa, ob quam originale hebraicum tam mature interiisset, quum liber apostolicus primis Christianis certe summi haberetur.

4. In graeco Matthaei textu eadem invenitur linguae indoles, ut in illo Marci et in quibusdam partibus Lucae; quare textum nostrum graecum ex originali hebraico versum supponere non cogimur.

5. Denique occurrunt in textu nostro interpretationes graecae, nominibus et sententiis hebraicis adpositae, quod facile fieri poterat, si Matthaeus graece, minime vero, si hebraice scripsit.

Attamen argumenta allata vi probandi carent; etenim sequentia recte opponuntur:

Ad 1. *a)* Etiamsi verum esset, omnes testes nominatos a Papia dependisse, inde tamen hujus sententiam falsam esse nondum sequeretur; etenim viri vel ingenii debilioris auctoritas sufficere potest, ubi de rebus agitur, quae non tam ab ingenii acumine et a judicii vi eximia, quam potius a fide in referendo dependent. Atqui fidem Papiae abjudicare nefas est, quamdiu contrarium non fuerit probatum. Neque *b)* quod supponitur verum est; nam ipse Eusebius, qui Papiae minime favet, cum eodem hac in re consentit, quod ostendit, Eusebium non e solo Papia, sed potius e constanti traditione, quae etiam Papiae relationis fons erat, suam de originali evangelii nostri linguâ sententiam hausisse. Praeterea Origenes non is erat, qui

[1] H. e. 3, 40. *Σφόδρα γάρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡσὰν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν, φαίνεται.*

coece secutus esset Papiam; hinc potius, quod in itineribus suis, quae per varias regiones suscepit, de lingua evangelii nostri e constanti et universali traditione didicerat, referre dicendus est. S. Irenaeus cultor quidem Papiae, non tamen in omnibus pedisequus ejus erat coecus, quod etiam in nostra re valet; nam de lingua hebraica evangelii Matthaei originali ita loquitur, ut aliis occasionibus disserere solet, ubi refert, quod communi omnium consensu creditur; neque Papiam fontem suum nominat, quod alias, privatam viri cujusdam sententiam referens, facere solet. — Testes hi nominati eo magis fide digni habendi sunt, quia, dum Matthaei evangelium hebraice scriptum assererent, magna illis oriebatur difficultas, nominandi nimirum auctorem versionis graecae hujusque fidem demonstrandi; hanc vero difficultatem facillime expedire potuissent asserendo, Matthaeum graece scripsisse, quod tamen, utpote persuasioni suae contrarium recusarunt.

Ad 2. Etiam libri V. F. et in specie Danielis atque Esrae partes chaldaicae in linguam syriacam translatae sunt. Eo magis autem necessaria erat versio evangelii nostri syriaca, si eo tempore, quo primae versiones syriacae sunt ortae, nonnisi graecus hujus evangelii textus in usu fuit.

Ad 3. *Pantaenus* excipiendus est, si Eusebio fides habenda. Praematurus vero evangelii hebraici interitus haud difficulter explicatur. Mature nimirum orta erat versio graeca, et eâ solâ utebantur Christiani extra Palaestinam degentes; originale hebraicum non profuit, nisi Palaestinensibus; imo ipsi orthodoxi Palaestinenses post reipublicae judaicae eversionem partim in regiones exteras dispersi usu versionis graecae semet reliquis accommodare debebant, partim in Palaestina remanentes et in vicinia heterodoxorum Nazaraeorum et Ebionitarum viventes ab hisce, versionem graecam adoptando, distingui voluerunt, utpote qui de evangelio suo apocrypho multum gloriabantur. Ebionitae vero et Nazaraei vel ideo, quia opere suo apocrypho delectabantur, genuinum Matthaei evangelium hebraicum haudquaquam curabant, hocque in illis adjunctis facile interire potuit et quodammodo debuit.

Ad 4. Ob linguae indolem nequaquam textum originalem graecum evangelii nostri supponere cogimur; nam etiam Symmachi versio V. F. et nonnullae partes versionis Sept. tali linguâ exaratae sunt, qua libri quidam deuterocanonici V. F. exstant, qui ab origine graece scripti erant, et tamen nemo est, qui neget, Symmachi et 70 virorum translationes veri nominis esse versiones.

Ad 5. Conferantur ea, quae §. 112. nro. 1. dicta sunt.

## §. 117.

### Quando, a quo et qua fide confecta sit graeca evang. Matth. versio.

*De aetate et auctore versionis graecae, qua evangelium Matthaei ad nos pervenit, non adest testimonium fide dignum. Theophylactus,* qui Jacobum Apostolum et *auctor synopseos Athanasianae,* qui Joan-

nem Apost. nominant, recentiores sunt, quam ut eis plena fides haberi possit, praesertim cum *s. Hieronymus*, imo multo antiquior *Papias* auctorem ignorent. Attamen in epistola *s. Ignatii* ad Smyrnenses c. 1., dein ad Polycarpum c. 2., ad Philadelphienses c. 5. dicta occurrunt, quae cum nostro textu graeco, et quidem cum 3, 15. 10, 16. 6, 19. 20. 5, 48. 13, 17. non tantum in singulis, sed in rarioribus etiam vocabulis accurate concordant, ita ut non e textu hebraico ope versoris, neque ex traditione desumta censenda sint. Idem locum habet in epistola *s. Polycarpi* ad Philippenses. Quare Patribus illis jam versio graeca evangelii nostri praesto fuerit necesse est. Cum porro sacrarum scripturarum divulgatio illâ aetate lentius procederet, ex ipso frequentiori textus nostri usu, qui saec. II. fiebat, colligere fas est, versionem graecam brevi post hebraici textus editionem, et fors ab aliquo Apostolorum discipulo, vel sub ipsius Matthaei directione esse confectam; nam s. Matthaeus procul dubio non minorem exterorum Judaeochristianorum graecâ linguâ utentium habuit curam, quam Palaestinensium, quibus ante discessum in testimonium amoris sui et in compensationem suae praesentiae evangelium hebraice scriptum reliquit. Quodsi autem versio haec ab aliquo Apostolorum discipulo vel plane sub ipsius Matthaei directione confecta est, ut ex universali ejus receptione colligere licet: de fide ejus dubitari nequit. Etiamsi vero Matthaeus nullas hac in re habuisset partes, versio tamen ei facile innotescere potuit, certeque Joanni Apostolo Ephesi degenti innotuit, qui, si quid in ea deprehendisset a genuina Jesu Christi doctrina aut historia alienum, non tacuisset, sed errorem correxisset. Id autem unquam factum esse, nullibi legimus. Quare tuto utimur textu nostro graeco.

## II. Evangelium s. Marci.

### §. 118.

**De Marci persona et vita.**

Inscriptione et continuâ ecclesiae traditione evangelium nostrum secundum tribuitur *Marco*, qui inter primos evangelii praecones insignem tenuit locum. Nomen ejus proprium erat Joannes, cognomen Marcus (Act. 12, 12.); quare mox Joannes Marcus (Act. 12, 25. 15, 37.), mox Joannes (Act. 13, 3. 13.), mox Marcus (Act. 15, 39. Col. 4, 10. Philem. 24. II. Tim. 4, 11. I. Pet. 5, 13.) vocatur, et nulla adest ratio, duôs aut plane tres distinguendi viros[1], idque eo minus, quum virum, quem Lucas Act. 15, 37. *Ἰωάννην τὸν καλούμενον Μάρκον* dicit, statim sequente v. 39. Marcum simpliciter nominet, et quum Joannes Marcus, quem cum Barnaba multum conversatum esse ex Act. 12, 25—13, 14. 15, 36. edocemur, a s. Paulo simpliciter appel-

---

[1] Cfr. Coteller ad constit. Apostol. II. 1. p. 262. Not. 36. et Patritius in comment. in Marcum.

letur Marcus additis verbis: ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα Col. 4, 10. Marcus procul dubio cognominatus est propter Graecos et Romanos, quorum consortio multum utebatur, et quibus nomina judaica ut barbara displicebant.

Marcus erat filius Mariae cujusdam, quae Hierosolymis habitabat, et in cujus aedibus Christiani cultus divini causa convenire solebant. Primum comes fuit Pauli et Barnabae in itinere Hierosolymis Antiochiam, dein in insulam Cyprum et in Pamphiliam suscepto; relicto autem Pergae Apostolo Hierosolymam reversus est, quod Paulus aegerrime tulit; nam cum alterâ vice Antiochiâ cum Barnaba ad ethnicos proficisci, hicque denuo Marcum comitem habere desideraret: Paulus eum non admisit, sed electo Silâ iter hoc suscepit, Barnabas vero cum Marco in insulam Cyprum navigavit (Act. 12, 25. 13, 13. 15, 36. seqq.). Cum tamen Paulus serius Romae captivus versaretur, praeter alios etiam Marcus ei aderat adjutor, brevi post ad Colossenses missus (Col. 4, 10.), et dum Apostolus altera vice Romae esset in vinculis, ut Marcum, utilem sibi ad ministerium secum adduceret, Timotheum monuit (II. Tim. 4, 11.).

Etiam cum Petro arctiorem Marci relationem actus Apostolorum innuunt 12, 12.; nam Apostolus e carcere per angelum liberatus ante omnia venisse legitur ad domum Mariae, matris Joannis Marci, ubi erant multi congregati et orantes; quare Petrus eum procul dubio ad Christum convertit, et ideo in I. ep. 5, 13. eodem significatu filium suum dicit, quo Paulus Timotheo, Tito et Onesimo hoc praedicatum tribuit (I. Cor. 4, 17. Tit. 1, 4. Philem. 10.).

Praeter haec, quae de Marco e N. T. libris discimus, scriptores eccl. plura notarunt. Teste Eusebio (h. e. III. 39.) Papias se a Joanne presbytero accepisse refert, Marcum Dominum neque audivisse, nec secutum esse unquam; quare relatio s. Epiphanii, qui serius vixit, et Marcum e numero 72 discipulorum fuisse dixit, probari non potest. Marcum etiam Petri comitem fuisse, praeter alios jam Joannes presbyter et Papias, et cum eodem Romae versatum esse, Clemens Alex., Eusebius et alii commemorant, quod aliâ confirmatur antiquorum traditione, qui Marcum Petri hermeneutam dicunt; jam vero tali Petrus vix opus habuit inter Aramaeos praedicans aut inter Graecos, sed inter Romanos, quorum certe plures linguae graecae erant ignari, ut Petrus latinae. Inde Marcus in Aegyptum transiisse, ecclesiam Alexandrinam fundasse, rexisse ibique, quum Annianum designasset successorem, mortuus ac sepultus esse traditur.[1] Quo anno in Aegyptum transierit,[2] quando et num morte naturali an martyrio diem obierit, definiri nequit.[3]

[1] S. Hieronymus de viris illustr. c. 8. dicit: „Assumto itaque evangelio, quod ipse confecerat, perrexit ad Aegyptum, et primus Alexandriae Christum annuncians constituit ecclesiam." — Dorotheus de vita et morte prophetarum ait, Marcum evangelistam et primum Alexandriae episcopum Alexandrinis et omni regioni circumjacenti praedicasse evangelium ab Aegypto usque in Pentapolim. Cfr. Eus. h. e. II. 16., Chronic. ad annum 43., Epiphan. haeres. 51. 6.

[2] Eutychius, patriarcha Alex., annum 9. Claudii nominat.

[3] S. Hieronym. l. c.: „Mortuus est autem octavo Neronis anno et sepultus est Alexandriae succedente sibi Anniano."

Majorem adhuc famam, quam familiari consortio cum Petro et Paulo Apostolis et activitate sua seriori Marcus sibi paravit evangelio suo scripto, quod ab omnibus ecclesiis statim ab initio inter scripturas canonicas receptum esse, ex historia Canonis scimus.

## §. 119.

### Occasio et consilium s. Marci in evangelio conscribendo.

Occasionem evangelii nostri edocemur *a Clemente Alex.*, qui apud Eusebium (h. e. VI. 14.) haec refert: *„Cum Petrus Romae verbum Dei publice praedicasset et Spiritu s. afflatus evangelium promulgasset: multi, qui aderant, Marcum exhortati sunt, utpote qui Petrum jam dudum esset sectatus et dicta ejus memoriâ teneret, ut, quae ab Apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur evangelium composuit, iisque, qui illud ab ipso rogabant, impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit directe rem fieri, nec, ut fieret, incitavit.“* Porro idem Eusebius h. e. II. 15. narrat: *„Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant (Romae) ut parum haberent semel audivisse, nec contenti essent coelestis verbi doctrinam vivâ voce, nullis traditam scriptis accepisse, sed Marcum Petri sectatorem, cujus hodiedum exstat evangelium, rogarent, ut doctrinae illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius, quod secundum Marcum dicitur, evangelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem s. Spiritus cognovisset, delectatus ardente hominum studio librum istum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Clemens in sexto hypotyposeon libro retulit hanc historiam.“* — In utroque loco, quem Eusebius e Clemente Alexand. se referre dicit, hic sibi repugnare videtur; attamen pugna evanescit statuendo, in priore loco Clementem respicere tempus, quo Marcus evangelium suum scribebat et Petrus ejusdem motivum adhuc ignorabat; in altero autem tempus, quo Petrus evangelii jam conscripti occasionem per Spiritum s. erat edoctus.

Exinde jam cognoscitur evangelistae consilium, nimirum Romanis Christianis in memoriam revocandi ea, quae a Petro viva voce erant praedicata. Consilium itaque ejus proxime erat historicum, attamen non mere historicum, sed historico-didacticum, ut jam patet e 1, 1.: *„Initium evangelii Jesu Christi, Filii Dei.“* S. Marcus itaque Jesum Christum Dei Filium repraesentare voluit; ast hoc consilium in ejus historiam scribendam non tantum exseruit influxum, ut hunc in finem peculiares partes seligeret, quemadmodum a Joanne, aut ut propriis adnotationibus ad veritatem sententiae suae probandam lectores suos attentos redderet, prout a Matthaeo factum est; sed potius lectores ex historia sua divinam Jesu Christi naturam cognoscere voluit.

## §. 120.

**Quibus lectoribus et ubi Marcus evangelium suum scripsit?**

Evangelium Marci proxime scriptum esse in usum *Christianorum Romanorum* et quidem *Romae,* non tantum e testimoniis praecedentibus edocemur, sed etiam ipsius libri indole confirmatur. Etenim

*a*) si excipiamus 1, 2. 3. et 15, 28., desunt V. F. loci ab auctore citati, quales, ut evangelium Matthaei docet, Judaeorum institutioni apprime conveniebant.

*b*) Non inveniuntur Jesu doctrinae statutis pharisaicis contrariae, quae nonnisi in opere Judaeis natis destinato opportunae erant et magni momenti.

*c*) Ad vocabula hebraica et aramaica adjicitur interpretatio graeca, ut 3, 17. ad *βοανεργές*; 5, 41. ad *ταλιθὰ κοῦμι*; 7, 11. ad *κορβᾶν*; 7, 34. ad *ἐφφαθά*; 10, 46. ad *Βαρτίμαιος*; 15, 22. ad Golgotha.

*d*) Ritus et instituta judaica explicantur, ut 7, 3.: *„Pharisaei enim et omnes Judaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum, et a foro, nisi baptizentur, non comedunt" etc.*

*e*) Quaedam omittuntur, quibus male intellectis ethnico-christiani offendi potuissent, ut 6, 8. coll. c. Mt. 10, 5.: *„In viam ethnicorum et Samaritanorum ne abeatis".*

Quodsi e nominatis indiciis evangelium Marci in gratiam ethnico-christianorum potissimum scriptum esse colligere licet; lectores Romani in specie innuuntur 12, 42., ubi *λεπτὰ δύο* explicatur per nummum Romanum: *κοδράντης* (quadrans); porro, ut de vocibus latinis, quae huic evangelio cum reliquis sunt communes, nihil dicamus (v. g. *δηνάριον, κῆνσος, κράββατος, λεγέων, πραιτώριον, φραγελλοῦν*): Marcus solus utitur latino nomine *κεντυρίων* 15, 39. 44. 45., cujus loco alii evangelistae adhibent *ἑκατοντάρχης*.

## §. 121.

**De fontibus evangelii Marci ejusque auctoritate canonica.**

Una est antiquorum sententia, Marcum notitias suas evangelicas potissimum hausisse *e praedicationibus Petri Apostoli.* Quotiescunque evangelium hoc commemoratur, simul non deest adnotatio, Marcum fuisse discipulum, comitem, interpretem Petri, et hoc titulo nixae evangelium nostrum ecclesiae absque ulla haesitatione inter scripta canonica receperunt; nam nonnisi Apostolis jus competere historiam et doctrinam Jesu Christi infallibili auctoritate praedicandi et scribendi, omnibus persuasissimum erat. [1] — Testis antiquissimus est

[1] Tertull. c. Marc. IV. 2.: „Constituimus inprimis evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus evangelii praedicandi ab ipso Domino sit impositum; si apostolicos, non tamen solos, sed cum Apostolis et post Apostolos, quoniam praedicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriae studio, si

*Papias*, quem Eusebius in h. e. III. 39. loquentum inducit,[1] et sicut hoc Papiae effatum gravissimum continet de authentia evangelii nostri testimonium: ita et ejusdem fontem clare indicat. — Eandem fuisse sententiam Clementis Alex. a Papia plane independentis, e §. 119. scimus. Idem tenuerunt s. Irenaeus,[2] Origenes,[3] Eusebius[4] et omnes subsequentes Patres ac scriptores ecclesiae; imo Patres antiqui Petrum evangelium Marci sua auctoritate confirmasse testantur,[5] et illud simpliciter dicunt Petri evangelium[6] Haec relatio in se spectata vero admodum similis est; nam ipse Petrus Marcum filium vocat et itinerum habuit comitem. S. Marco itaque, qui procul dubio jam Hierosolymis in domo matris primâ institutione christianâ fruitus erat, postea vero Pauli et Barnabae et demum Petri praedicationes publicas saepe audiebat, optima erat occasio, historiae et doctrinae Christi cognitionem perficiendi. Imo privatis etiam Petri colloquiis et institutionibus uti potuit ad cognitionem earum rerum christianarum sibi parandam augendamque, quae ipsi ut evangelistae et Apostolorum adjutori necessariae erant; hinc in evangelio nostro alia adsunt, quae ad Petrum spectant et in reliquis evangeliis non leguntur, ut 1, 36. 37. 13, 3. 16, 7., alia vero desunt, quae in Mt. Luca et Joanne inveniuntur v. g. Mt. 16, 17—19. Luc. 5, 1—11. Jo. 21, 1—23., quia Petrus modestiâ ductus in publicis praedicationibus suis et in colloquiis privatis talia reticuit, quae ipsi honorifica videbantur.

S. Marcus autem a Romanis rogatus, ut, quae a Petro pradicata erant Romae, literis consignaret, ex abundante suo rerum christianarum thesauro nonnisi ea depromsit et in libro deposuit, quae ex Apostoli illius praedicationibus didicerat, ut cum hisce evangelium ejus accurate consonaret.

---

non adsistat illis auctoritas magistrorum, imo Christi, qui magistros Apostolos fecit."

[1] „Ajebat etiam presbyter ille (Joannes), Marcum, Petri interpretem, quaecunque memoriae mandaverat, diligenter perscripsisse, non tamen ordine pertexuisse, quae a Domino aut dicta aut gesta erant; neque enim ipsum Dominum audierat aut sectatus erat unquam; sed cum Petro postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, evangelium praedicabat. Quocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse e memoria repetebat. Id quippe unum studebat, ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret. Haec de Marco Papias narrat."

[2] *Μάρκος, ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παρέδωκε* (adv. haeres. III. 1.).

[3] Apud Eus. h. e. VI. 25.: *Δεύτερον δὲ εὐαγγέλιον τὸ κατὰ Μάρκον, ὡς Πέτρος ὑφηγήσατο αὐτῷ, ποιήσαντα.*

[4] Cfr. §. 119.

[5] S. Hieronym. de viris illust. c. 9.: „Quod cum Petrus audisset, probavit (ev. Marci), et ecclesiis legendum sua auctoritate edidit."

[6] Justinus Martyr evangelium Marci *ἀπομνημονεύματα τοῦ Πέτρου* dicit (dial. cum Tryph. §. 106.). — Tertullianus contra Marc. IV. 2. ait: „Licet et Marcus, quod edidit (evangelium) Petri affirmetur, cujus interpres Marcus. — — Capit magistrorum videri, quod discipuli promulgaverint." — S. Hieronymus de viris illust. c. 1.: „Sed et evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus (Petri) et interpres fuit, hujus dicitur."

Recentiorum plures[1] evangelium Marci ex illis Matthaei et Lucae compositum esse censent ob similitudinem magnam, quae inter libros istos intercedit. Etiam s. Augustinus huic sententiae favere videtur, de consensu evangelistarum dicens: *„Marcus Matthaeum subsecutus pedisequus et breviator ejus videtur.“* Attamen etiamsi poneremus, Marco evangelium Matthaei hebraicum fuisse cognitum, idem tamen asserere non liceret de evangelio Lucae serius edito; praeterea evangelium nostrum haud raro dictione et majore res repraesentandi vividitate ab illo Matthaei longe discedit, et ordine, quem in narrationibus copulandis observat, ad illud Lucae propius accedit. Consonantia frequens inter Matthaeum et Marcum vel in iisdem vocibus earumque ordine potius inte derivandus est, quod graecus Matthaei interpres evangelium Marci novit et adhibuit, quam vice versâ.

## §. 122.

### De evangelii argumento, dispositione et de scribendi modo s. Marci.

1. Marcus omissâ historiâ conceptionis et nativitatis Jesu Christi evangelium suum exorditur a publico Joannis B. proditu et usque ad Domini ascensionem in coelum prosequitur. Quod explicatur ex auctoris relatione ad Petrum Apostolum; nam, ut e brevi patet historiae delineatione, quam Petrus et Paulus Act. c. 10. et c. 13. exhibent, Apostoli et primi evangelii praecones praedicationem suam publicam ad terminos illos restringere solebant; quare etiam Act. 1, 21. 22. Apostoli in viro, quem in locum Judae proditoris secum resurrectionis Christi testem eligerent, id postularunt, ut cum ipsis conversatus sit omni tempore, quo intravit et exivit inter eos Dominus Jesus a baptismate Joannis usque in diem, qua assumtus est. E publicâ vero Jesu Christi vitâ Marcus ut Matthaeus ea tantum refert, quae a Joannis B. captivitate in Galilaea, dein in ultimo itinere Hierosolymitano et in metropoli evenerunt. Ratio, cur evangelistae tres priores evitaverint facta et dicta Jesu tum priora tum seriora hierosolymitana diversorum festorum occasione, sita erat in sermonum, quos Jesus illis temporibus habuit, indole mysticâ; nam hos sermones adeo sublimes nonnisi ille memoriae, et post longam annorum seriem chartae accurate mandare potuit, qui in sinu Jesu recubuit, et provectiores tantum in religione christianâ, non vero tirones, neophyti et in genere minus culti capiendo pares erant. Praeterea publicam Jesu activitatem Marcus ita describit, ut praevaleant facta, quae cum Matthaeo habet communia, si excipias sanationem surdi et muti 7, 31—37. et coeci 8, 22—26.; attamen doctrinae quoque tantam praebet cognitionem, quae institutioni solidiori sufficiat, imo duae breviores parabolae 4, 26—29. et 13, 32—36. ei peculiares sunt.

2. Publicae Jesu Christi activitatis descriptioni Marcus praemisit *proëmium* 1, 1—13., in quo Joannem Bapt. sistit Messiae adventum annunciantem, resipiscentiam praedicantem, poenitentes et dein

[1] Griesbach, Rosenmüller, Frid. Fritzsche alii.

Jesum ipsum baptizantem, et denique narrat Christi, ut tentaretur, in solitudinem discessum.

Ipsa historia vitae Jesu publicae e duabus constat partibus; in parte primâ delineatur activitas Jesu in Galilaea ab eo tempore, quo Joannes B. in carcerem erat conjectus, usque ad discessum ultimum e Galilaea a 1, 14—9. fin.; in parte secunda refertur ultimum Jesu iter in Judaeam et Hierosolymam, ab eo ibidem dicta et facta, coenae paschalis celebratio, captivitas, passio, mors et resurrectio, apparitiones quaedam redivivi Domini, praecepta ultima Apostolis data et assumtio in coelos a 10, 1—16, 20.

3. In singulis factis conjungendis Marcus *ordinem chronologicum accuratius sequitur*, quam Matthaeus, ideoque propius accedit ad Lucam; in commemorandis autem factorum adjunctis adeo diligens invenitur, ut non solum Matthaeum, sed saepe etiam Lucam superet (cfr. v. g. cum locis parallelis Mr. 5, 1. seqq. descriptionem daemoniaci Gadareni, mulieris sanguinis profluvio laborantis; 9, 14. seqq. sanationem pueri lunatici); praeterea determinatione temporis, loci et personarum, usu temporis praesentis loco praeteriti et particulae εὐθέως, qua ad sequentia fit transitus, narrationes Marci tantam repraesentant vividitatem et adeo clare facta prae oculis ponuntur, acsi a teste immediato essent relata.

## §. 123.

### De evangelii Marci linguâ originali et de ejus dictione.

A s. Marco evangelium *graece* scriptum esse, in antiqua ecclesia adeo certum erat, ut nemo aliam ejus linguam originalem commemoraret. Sic Papias, s. Irenaeus, Origenes, Euseb., Cyrillus hieros. s. Epiphanius, dum nonnisi Matthaeum hebraice scripsisse testantur, reliquis evangelistis linguam graecam indirecte vindicant, s. Hieronym. vero et s. Augustinus idem directe edicunt.[1] Seriori demum tempore enata est sententia et per Baronium (Annal. ecc. ad ann. 45. n. 37. seqq.) aliosque propugnata de lingua originali Marci latinâ sequentibus rationibus:

1. Subscriptio versionis Peschito, Philoxenianae et plurium codicum graecorum evangelium hoc Romae latine conscriptum esse testatur; quod confirmat
2. antiquorum traditio, quae Marcum Petri hermeneutam nominat;
3. Romanis lectoribus christianis, quibus hoc evangelium proxime destinatum, lingua latina vernacula erat;
4. codex Venetus et fragmentum Pragense, s. Marci autographum, latine scripta sunt.

[1] S. Hieronym. in praef. ad 4 evv. ad Damasum P.: „De novo nunc loquor testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto Matthaeo Apostolo, qui primum in Judaea evangelium Christi hebraicis literis edidit."

S. Aug. de cons. evangel. I. 4.: „Horum sane quatuor solus Matthaeus hebraico scripsisse perhibetur eloquio, ceteri graeco."

Verum argumenta allata nullius plane esse ponderis, facile probatur; cteuim

Ad 1. Subscriptio versionis Peschito et Philoxenianae Marcum latine quidem praedicasse, non autem latine scripsisse edicit; codices autem 9. 10. 160. 161. aliique, qui subscriptionem continent: *Τὸ κατὰ Μάρκον εὐαγγέλιον ἐγράφη ῥωμαϊστὶ ἐν Ῥώμῃ μετὰ ἔτη ιβ τῆς ἀναλήψεως τοῦ κυρίου*; codices, inquam, illi recentioris originis sunt, inde a saec. XII. scripti, ideoque testes fide digni haberi nequeunt.

Ad 2. Marcus Petri hermenenta dictus est non ideo, quod praedicationes Petri graecas latine scripsit, sed quia vel illa, quae Petrus Romae graece praedicavit, Christianis graecae ignaris latine exposuit, vel Petri praedicationes literis consignavit.

Ad 3. Longe majori Romanorum parti linguam graecam aetate Apostolorum cognitam fuisse, historice certum est;[1] quare evangelium Christianis Romanis destinatum graece scribi potuit, quem admodum s. Paulus et serius s. Ignatius M. graecam ad eos miserunt epistolam.

Ad. 4. Codicem Venetum et fragmentum Pragense non esse Marci autographon, in introd. gen. part. hist. §. 14. 4. ostendimus.

Quod attinet dictionem, i. e. vocum electionem grammaticae regulis respondentem et sententiarum compositionem ad disciplinae rhetoricae praecepta factam, Marcus Matthaeo inferior est; nam saepe adeo concise scribit, ut mentem ejus non facile perspicias, nisi jam cognitis reliquis evangeliis, v. g. 1, 12. 13. 3, 23. 3, 21. 22. 4, 11. al. Porro particularum inopiâ prae ceteris laborat, et frequentissime occurrunt voces *καί*, *πάλιν*, *εὐθέως*; praeterea utitur vocibus parum usitatis, uti *ἀπέχει* 7, 6. in significatione: longe abest; *ἐξάπινα* 9, 8. subito; *εὐσχήμων* 15, 43. nobilis; *πιστική* genuinus 14, 3.; *νουνεχῶς* sapienter 12, 34; *ἤφιε* sinebat 1, 34.; structuras rariores sequitur, ut *προςκαρτερεῖν* de re adhibitum 3, 9.; *προλαμβάνειν* cum infinitivo conjunctum 14, 8. aliaque. Etiam *ἅπαξ λεγόμενα* occurrunt, ut *παιδιόθεν* 9, 21., *ὁμοιάζει* 14, 7., *σμυρίζειν* 15, 23. aliaque.

## §. 124.

### De evangelii Marci integritate.

Pericopa 16, 9—20. pluribus criticis non Marcum auctorem habere videtur; nam

1. deest in codice B., in Sinaitico, in manuscriptis versionis armenicae Venetis, versionis arabicae Vaticanis, in uno codice Italae, in codd. 137. 138. asterisco notatur.

2. Eusebius edicit, evangelium Marci fere in omnibus exemplaribus finiri verbis: *ἐφοβοῦντο γαρ*,[2] et canones ejus in codice A, U

[1] Cfr. introd. gener. §. 9. ab initio.

[2] Euseb. ad Marin. quaest. I. (collect. nova vol. I. p. 31.): *Τὰ γοῦν ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων τὸ τέλος περιγγράφει ——: ἐφοβοῦντο γάρ. Ἐν τούτῳ γὰρ σχέ-*

et in multis minusculis non pertingunt, nisi usque ad v. 8.; sectionem illam s. Hieronymus *„in omnibus Graeciae libris paene“*,[1] s. Gregorius Nyss. et alii in multis codicibus defuisse testantur; Justinus M. et Clemens Al. ejus non faciunt mentionem.

3. Testante versione Philoxeniana in margine, codice L et 274. in pluribus codicibus evangelium Marci alium habebat finem.[2] Accedunt

4. criteria interna; nam *a*) a v. 9. dicta aliam exhibent indolem, compilationem ex aliis evangeliis factam, brevitatem et obscuritatem a vivida scribendi ratione Marci alienam, plura *ἅπαξ λεγόμενα*; *b*) v. 9. de Maria Magdalena affertur notitia, quae, si a Marco descenderet, jam 15, 40. 47. aut 16, 1. aptius esset allata; *c*) apparitionis Jesu in Galilaea v. 7. promissae non fit mentio; *d*) versus 18. (*ὄφεις — βλάψῃ*) apocrypham continet relationem.

His tamen non obstantibus *pericopa nostra authentica est, et proinde evangelium Marci integrum.* Etenim v. 8. non aptum libri contineri finem, re in se spectatâ manifestum est, neque perspiceretur, quomodo Apostoli resurrectionem Christi cognoverint. Causa vero evangelii adeo repente abrupti vix alia cogitari posset, nisi aut mors Marci aut suppositio, finem evangelii in protographo jam interiisse. Ast illi sententiae obstat antiquorum traditio, Marcum evangelio suo scripto in Aegyptum esse profectum, et huic hypothesi obest, quod evangelium Marci non in regionem longinquam et per manus plurium est missum, sed ab auctore immediate traditum ecclesiae Romanae, cujus certe intererat, librum tantopere desideratum integrum servare, aut ut finis fors casu deperditus per s. auctorem restitueretur, precibus impetrare.

Quae cum ita se habeant, argumenta allata accuratius examinanda sunt et indagandum, an non pericopae hujus omittendae adfuerit ratio. Jam vero

1. testes, qui sectionem hanc continent, tum numero, tum antiquitate haud inferiores sunt illis, qui eam omittunt; nam omnia monumenta critica, exceptis supra nominatis, i. e. omnes codices graeci, etiam evangelistaria et synaxaria, omnes versiones Orientis et Occidentis hanc pericopam habent, et si codices superstites recentiores sunt illis, quos Eusebius, s. Gregorius Nyss. et s. Hieronymus commemorant: versiones antiquissimae aetatem illam transcendunt.

2. Pericopam hanc non in omnibus defuisse exemplaribus, ipse

---

*δον ἐν ἅπασι τοῖς ἀντιγράφοις τοῦ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίου περιγέγραπται τὸ τέλος· τὰ δὲ ἑξῆς σπανίως ἔν τισιν, ἀλλ᾽ οὐκ ἐν πᾶσιν φερόμενα περιττὰ ἂν εἴη καὶ μάλιστα εἴπερ ἔχοιεν ἀντιλογίαν τῇ τῶν λοιπῶν εὐαγγελιστῶν μαρτυρίᾳ.*

[1] Epist. ad Hedib. q. III.: „Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur evangeliis, omnis Graeciae libris paene hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum diversa atque contraria evangelistis ceteris narrare videatur.“

[2] Cod. L. post Marci 16, 8. sequentia exhibet: *Φέρεταί που καὶ ταῦτα· πάντα δὲ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι᾽ αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας.*

Eusebius, s. Gregor. Nyss. et s. Hieronym. contestantur, Victor autem Antioch. sub finem saec. IV. eam in accuratis apographis, in specie in Palaestinensibus inveniri affirmat;[1] s. Irenaeus adv. haer. III. 11. locum Mr. 16, 19., Hippolytus de chrysmat. Mr. 16, 18. citant. Idem fit in constitutionibus Apost.

3. Ratio pericopae hujus in pluribus textus monumentis omissae procul dubio sita erat in festi paschalis celebratione.[2] Jejunium quadragesimale, quod ultimis diebus severissime observabatur, finem habuit in vigilia festi paschalis, et quidem ab eo momento, quo resurrectio Christi a populo in ecclesia celebrabatur. Jam vero ecclesia latina, innixa verbis Mr. 16, 9.: *ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτων λ.*, resurrectionis Christi celebrationem differebat usque ad gallicinium ultimum, Alexandrina autem ecclesia provocando ad Mt. 28, 1.: *ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων*, jejunium cum liturgia sacra statim post mediam noctem terminabat.[3] Interpretatio itaque illorum locorum mature praebuit controversiae occasionem,[4] et qui praxin suam cum verbis Marci non conciliari posse credebant, totam pericopam primo in praelectionibus publicis, dein vero etiam in libris ecclesiasticis omiserunt, quo facto omissio haec in alios etiam codices transiit.

4. Quod criteria interna attinet, haec minoris sunt momenti. Non enim est, quod brevitate et repraesentationis vividioris defectu offendamur, siquidem talia etiam in reliquo evangelio inveniuntur, v. g. c. 1. de Joanne B. et de Jesu tentatione in deserto; praeterea *ἅπαξ λεγόμενα* in omnibus N. T. libris occurrunt, et in pericopa nostra occurrere debent, quia sermo est de rebus, quae alias non commemorantur, ut v. 17. et 18. *παρακολουθεῖν, γλώσσαις λαλεῖν καιναῖς, ὄφεις αἴρειν, θανάσιμον πίνειν.* E voce *πρώτῃ* v. 9. loco *μία* v. 2. positâ id solum sequitur, Marco hebraicam et graecam hebdomadis dies numerandi rationem fuisse cognitam; e Maria Magd. Jesum septem daemonia ejecisse, v. 9. demum adnotatur, quia hic Mariae Magd. peculiaria evenisse narrantur, et haec notitia a seriore manu addita verbis Lucae 8, 3. accurate esset conformata. Praedictionem Jesu v. 7. adimpletam ostendere in breviore quarumdam apparitionum descriptione superfluum erat; denique dicta v. 18. apocrypha habere plane arbitrarium est.

---

[1] Victor Ant. comment. in Mr. 16, 9. seqq.: *Παρὰ πλείστοις ἀντιγράφοις οὐκ ἦν δὲ ταῦτα τὰ ἐπιφερόμενα ἐν τῷ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίῳ· ὡς νόθα γάρ τινες ἐνόμισαν αὐτὰ εἶναι· ἡμεῖς δὲ ἐξ ἀκριβῶν ἀντιγράφων ὡς ἐν πλείστοις εὑρόντες αὐτὰ κατὰ τὸ Παλαιστιναῖον εὐαγγέλιον Μάρκου, ὡς ἔχει ἡ ἀλήθεια, συντεθείκαμεν.* Idem edicunt scholia antiqua.

[2] Cfr. Euseb. q. II. ad Marinum.

[3] Cfr. Chrysost. hom. 88. n. 1. in Mt. — Dionys. Al. epist. can. ad Basilid. ap. Harduin. Collect. concil. II. p. 185.

[4] Eus. ad Marin. q. II. et s. Hieronym. ad Hedib. q. III.

## III. Evangelium Lucae et Actus Apostolorum.

### §. 125.

**De auctoris persona et vita.**

Evangelium nostrum tertium et actus Apostolorum juxta constantem ecclesiae traditionem auctorem habent Lucam eundem, qui Act. 16, 10. seqq. 20, 5. 27, 2. semet ipse sistit comitem Pauli Apostoli, quique in epistolis ad Col. 4, 14., Philem. v. 24. II. Tim. 4, 11. commemoratur. Eum fuisse gente Antiochenum, Eusebius tradit,[1] arte medicum s. Paulus docet Col. 4, 14., quod scripta ejus confirmant. Utrum auctor noster Judaeus, an ethnicus fuerit natus, disputatur; vero tamen simillima est sententia, eum ethnicis quidem parentibus natum, mature vero, antequam Christum profiteretur, judaicam religionem esse amplexum. Haec sententia sequentibus commendatur:

1. Accurata institutorum, rituum et rerum judaicarum cognitio prodit virum a longiore jam tempore religioni judaicae initiatum; cognitio autem non mediocris linguae purioris et scribendi rationis graecae haud obscure manifestat ethnicum, literas graecas edoctum.

2. Act. 21, 27. 28. legimus, Judaeos Asianos excitasse tumultum contra Paulum Apost., quod homines ethnicos in templum induxisset, et v. 29. illustrationis causa additur: *„Viderant enim Trophimum Ephesium in civitate cum ipso, quem a Paulo in templum introductum esse existimaverunt;“* Lucae autem, qui etiam cum Paulo erat, nulla fit mentio, adnumerabatur itaque Judaeis. In ep. ad Coloss. 4, 10. Paulus, cum nomine Aristarchi, Marci et Jesu cognomine Justi lectores salutasset, addit: *„Qui sunt ex circumcisione; hi soli sunt adjutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio,“* et v. 14. pergit: *„Salutat vos Lucas, medicus dilectus, et Demas.“* Cum Apostolus Lucam et Demam, qui revera ejus fuerunt adjutores, a Judaeis natis distinguat: Lucam parentibus ethnicis fuisse natum, haud temere colligitur.

Lucam fuisse e 70 discipulorum numero, tradit quidem s. Epiphanius cum aliis recentioribus; imo Theophylactus ad Luc. 24, 13. 18. suspicatur, eum fuisse unum e duobus discipulis, quibus oppidum Emmaus petentibus Christus ipsâ resurrectionis die apparuit; attamen in evangelii proœmio ipse Lucas a testibus oculatis semet eximit. Probabiliter a s. Paulo Antiochiae ad Christum erat conversus, unde arctior ejus nexus cum Apostolo inde a secunda hujus missione explicatur. Cum nimirum Paulus in secundo itinere suo per Syriam et Asiae minoris provincias cum Sila et Timotheo venisset Troadem, hic invenit Lucam et eum assumsit per Samothracem et Nicopolim Philippos proficiscens (Act. 16, 10. seq.). Philippis Lucas remansit, dum Paulus cum Sila et Timotheo abiret Thessalonicam etc., et demum post annos circiter quatuor Paulo in tertio itinere ex Achaja

[1] Euseb. h. e. III. 4. *Λουκᾶς δὲ τὸ γένος ὢν τῶν ἀπ᾽ Ἀντιοχείας.*

per Macedoniam reduci Philippis denuo se associavit, cum eo Hierosolymam est profectus et cum aliis in domo Jacobi praesentatus (Act. 20, 5—21, 15. seqq.). Cum Paulus brevi post Caesaream abduceretur captivus, per integrum biennium Lucas ei aderat, sponte eum in itinere maritimo comitatus est Romam (Act. 27, 1. seqq.), et hic denuo per biennium eum non dereliquit; imo in secunda quoque captivitate Romana non obstantibus periculis variis Lucas solus apud Apostolum remansit (II. Tim. 4, 8. seqq.).

Sunt, qui Lucam evangelistam flexione nominis graecâ in latinam mutatâ eundem fuisse arbitrentur virum, qui Act. 13, 1. Lucius vocatur, et qui probabiliter idem erat cum illo, quem Paulus Rom. 16, 21. cognatum suum dicit. Verum uterque perperam confunditur; etenim *a)* non liquet, cur Paulus eundem virum mox Lucam, mox Lucium appellasset; *b)* Lucas eo tempore, quo Paulus Lucii nomine Romanos salutabat, non Corinthi, ubi epistola ad Romanos scripta est, sed Philippis morabatur; *c)* s. Paulus ad Romanos l. c. Lucium cognatum suum, non vero ut Lucam in ep. ad Philem. v. 24. cooperatorem dicit; denique *d)* si Lucas in ep. ad Coloss. 4, 14. commemoratus unus idemque esset cum Lucio, Pauli cognato, Apostolus, qui illum Colossensibus accuratius designare et commendare voluit, procul dubio potius scripsisset: cognatus meus, quam: medicus dilectus.

Antiqui hisce relationibus biblicis de Luca plura addunt, quae autem partim recentiora et dubia sunt, partim sibi contradicunt. Evangelium praedicasse legitur in Dalmatia, in Macedonia, Graecia, Italia, Gallia, etiam in Lybia et in Aegypto, et diem obiisse traditur aut Thebis Boeotiae, aut Ephesi, aut in Bithynia, et quidem vel morte naturali vel martyrio. *Sedulius* Lucam senem 74 annorum coelibem in Achaia mortuum, et *s. Hieronymus* corpus ejus sub Constantio anno 357. Constantinopolim translatum esse dicunt. *Nicephorus* primus eum pictorem fuisse scribit.

## a) Evangelium Lucae.

### §. 126.

#### Evangelii dedicatio.

S. Lucas evangelium suum hujusque continuationem, actus Apostolorum, dedicavit *Theophilo* cuidam, qui quidem institutione viva in doctrina et historia Jesu Christi fruitus jam erat, nondum vero adeo perfecte edoctus, ut de omnibus eâ gauderet certitudine, quam auctor ei suppeditare desideravit (1, 1—4. Act. 1, 1.). *Quis autem fuerit Theophilus* hic, neque Lucas innuit, neque antiquorum quis tradit. Quare alii ex epitheto κράτιστε 1, 3. colligunt, Theophilum fuisse magistratum insigniorem, senatorem aut praesidem provinciae, quum de Judaeae procuratoribus Felice Tertullus orator, Claudius Lysias tribunus, et de Festo ipse Paulus vocem illam adhibeant (Act. 23, 26. 24, 3. 26, 25.). Cum autem historia illius temporis nullum senatorem hujus nominis, praesidem ad magistratum

commemoret: alii provocantes ad antiquorum morem, etiam amicos voce *κράτιστος* compellandi, et ad Act. 1, 1., ubi simpliciter legitur: *ὦ Θεόφιλε*, Theophilum Lucae amicum fuisse suspicantur. Minime autem probanda est sententia eorum, qui nomen Theophili non proprium viri cujusdam, sed fictum habent, ita ut designetur quicunque religioni christianae addictus ideoque Dei amicus.

Eadem incertitudo adest, si quaeritur, *ubinam locorum Theophilus vixerit, et ubi proinde Lucae scripta edita sint?* Theophilum fuisse Alexandrinum, aut Antiochensem, aut pontificem judaicum, teste Josepho Fl. ab Agrippa depositum,[1] aut Atheniensem illum, de quo Tacitus mentionem facit,[2] non tantum merae conjecturae sunt nullo argumento historico subnixae, sed etiam aperte falsae. Nam si Theophilus fuisset Alexandrinus, id Patres hujus ecclesiae, in colligendis notitiis historicis omnium fere diligentissimi, referre vix neglexissent; adnotationes Lucae topographicae (ev. 1, 26. 2, 4. 4, 31. 8, 26. 23, 51. 24, 13. Act. 1, 12. 18. etc.) excludunt Palaestinam et vicinam Antiochiam, ubi Theophilus vixisset; neque cogitare licet de Athenis, quum Lucas Act. 17, 21. Atheniensium nova audiendi et dicendi cupidinem describere necessarium duceret. — *Eutychius*, patriarcha Alexandrinus, Theophilum Romae aut in Italia vixisse refert, et haec sententia confirmari videtur, quod Lucas in describendo itinere Pauli Romam facto plures adnotationes geographicas addit (Act. 27, 8. 12. 16.); ast de Siciliae et Italiae locis licet minoribus, praeter nomina nihil commemorat. Attamen horum locorum situs et conditio Theophilo e propria experientia, ex itineribus ejus Romam factis nota esse poterant, et Lucas eodem modo iter Apostoli in insulam Cyprum describens locorum situm et conditionem (Act. 13.) non illustrat. Quare Theophilus probabiliter erat vir nobilis et cultior in illa regione degens, in qua Lucas per longius tempus versatus erat, nimirum Philippis aut in Macedonia generatim, aut in vicina Achaia.

Si Theophilus non erat Palaestinensis, inde jam, eum ethnico-christianum fuisse colligere licet, quod confirmatur, quia Lucas Pauli, gentium doctoris discipulus, scripta sua ei dedicavit, et 2, 23. Jesu oblationem in templo juxta legis praeceptum factam esse observavit.

Quamvis vero Lucas evangelium suum proxime dedicaret Theophilo, et ejus indigentiis accommodaret: non tamen eidem soli, sed omnibus ethnico-christianis destinavit, sicque ad magistri sui exemplum ut prius praedicans, ita et scribens gentium doctor evasit, quod antiquis adeo certum erat, ut Origenes nulla ratione habita Theophili affirmaret: tertium, secundum Lucam evangelium, a Paulo praedicatum, iis qui ex ethnicis erant, esse scriptum, et ut s. Hieronymus idem de Graecis assereret.[3]

---

[1] Jos. Ant. 20, 5, 2.

[2] Tacit. Annal. II. 55.

[3] Cfr. Eus. h. e. VI. 25. ubi Origenes dicens sistitur: *Τρίτον τὸ κατὰ Λουκᾶν, τὸ ὑπὸ Παύλου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν πεποιηκότα.*
S. Hieronymus ad Damas. P.: „Lucas, qui evangelium suum Graecis scripsit.“

## §. 127.

### Authentia evangelii et canonica auctoritas.

De authentia hujus evangelii ecclesiis antiquis adeo persuasum erat, ut nemo ullum moveret dubium. Sic *Justinus M.* frequenter citat ejusmodi locos, qui nostro evangelio peculiares sunt;[1] *Clemens Alexandrinus* et *Origenes* fidem Alexandrinorum, *Eusebius Caes.* Palaestinensium contestantur; inter Latinos *auctorem anonymum catalogi Romani, Tertullianum et s. Hieronymum* testes nominare sufficit. Non minor ecclesiae universalis de canonica auctoritate libri semper viguit persuasio, quod jam receptione ejus in Canonem et publicâ praelectione inter scripta apostolica probatur. Ratio autem sita erat in arctiori nexu, in quo Lucas inprimis cum Paulo Apostolo erat positus; quare antiqui, quoties Lucae mentionem faciunt, eum sectatorem, discipulum Pauli fuisse adnotant, et Tertullianus Paulum Lucae magistrum, illuminatorem nominat.[2] Praeterea ipse Paulus eum *συνεργόν* suum vocat (Philem. 24.), sicque evangelii praedicandi jus eidem tribuit et praedicationis ejus veritatem indirecte confirmat.. Porro ob diuturnam Lucae cum Paulo conversationem familiarissimam veteres integrum evangelii argumentum Paulo tribuerunt;[3] imo haec persuasio adeo firma erat, ut s. Paulum, quotiescunque evangelii sui mentionem facit (Rom. 2, 16. 16, 25. II. Tim. 2, 8. al.), discipuli sui opus designare, antiqui asserere non haesitarent.[4]

## §. 128.

### Occasio hujus evangelii et auctoris consilium.

Ut e prologo 1, 1—4. edocemur, Lucas non precibus Theophili motus est ad evangelium suum scribendum, sed potius quoniam multi, licet non essent testes oculati, historiam evangelicam scribere conati sint, sibi etiam, quum assecutus esset omnia a principio accurate, visum esse dicit, ex ordine Theophilo scribere; quare opus suum potius excusat, quam roganti Theophilo dedicat. Promittit itaque historiam tum pleniorem (*ἄνωθεν*), tum chronologice dispositam (*καθ᾽ ἑξῆς*), et quidem eum in finem, ut (coll. v. 4.) Theophilus

---

[1] Apol. I. 31. 33. Dialog. c. Tryph. 100. al., et 103. respiciens ad Luc. 22, 42. 43. ait: haec scripta esse *ἐν ταῖς ὑπομνημονεύμασι, ἅ φημι ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνοις παρακολουθησάντων συντετάχθαι.*

[2] Tertull. c. Marc. IV. 2.: Si ipse illuminator Lucae auctoritatem antecessorum et fidei et praedicationi suae optavit (Gal. 2, 2. seqq.): quanto magis eam evangelio Lucae expostulem, quae evangelio magistri fuit necessaria.

[3] S. Iren. adv. haer. III. 1. *Καὶ ὁ Λουκᾶς δὲ, ὁ ἀκόλουθος Παύλου, τὸ ὑπ᾽ ἐκείνου κηρυσσόμενον εὐαγγέλιον ἐν βιβλίῳ κατέθετο.* Cfr. Tertull. contra Marc. IV. 5.

[4] S. Hieronym. de viris illust. III. 7. Euseb. h. e. III. 4. s. Chrysost. hom. I. 1. in act. app. Orig. hom. I. in Lucam.

cognoscat certitudinem earum doctrinarum cum historia arctissime connexarum, de quibus oretenus erat edoctus; hinc augere ac perficere voluit eam historiae ac doctrinae Christi cognitionem, quam Theophilus et in genere ethnico-christiani ex institutione catechetica primorum evangelii praeconum haustam jam tenebant. Hunc jam in finem non suffecisse illa multorum scripta (v. 1.), quamvis juxta praedicationem eorum composita, qui ab initio testes oculati et ministri fuerunt verbi, Lucas indirecte innuit promittens historiam pleniorem et chronologicam, qualem primi evangelii praecones, proximis auditorum indigentiis satisfacturi, exhibere non poterant, ut evangelium Matthaei et Marci docet. Neque illum in finem Theophilo commendare potuit ipsa haec Matthaei et Marci scripta, etiamsi Lucae jam innotuisse credantur; nam in hoc praeter alia desiderabatur historiae evangelicae initium, cui auctor noster magnum tribuit momentum; illud autem hebraice erat scriptum et alii consilio originem debebat.

Si brevior vitae Jesu Christi historia, ut Marci, et juxta materiarum similitudinem disposita, ut Matthaei, certorum lectorum indigentiis satisfaciebat: cultiorum tamen Graecorum votis non respondebat. Sic v. g. Matthaeus 1, 1. Jesum Christum dicit Davidis filium; ast in sequentibus genealogiam adfert Josephi, quem tamen in conceptione Jesu nullas plane habuisse partes ipse profitetur 1, 18. seqq.; quare in cultioribus ethnico-christianis non poterat non oriri quaestio, quomodo Jesus spectata etiam matre e Davidis familia natus sit? (Cfr. Luc. 3, 23. seqq.) Matthaeus refert, Mariam desponsatam Josepho, antequam convenirent, inventam esse in utero habentem e Spiritu s. 1, 18.; quomodo autem Maria conceperit, accuratius non narrat, et tamen hoc cognoscendi votum cuicunque fidei suae certitudinem desideranti sese necessario obtrudebat (cfr. Luc. 1, 26—56.). Baptista publice prodiit Messiae praeco, a Jesu Christo laudibus celebratur et Elias dicitur (Mt. Mr.); unde vero fuerit, qui ejus parentes etc., neque a Matthaeo, neque a Marco innuitur (cfr. Luc. 1, 5—25. 67—80.). Coll. Matthaei 4, 12. Jesus relicta Nazareth Capharnaumi sedem sibi elegit; qua e causa vero id factum sit, non exponitur (cfr. Luc. 4, 16—30.). Matthaeus et Marcus nonnisi ultimum Jesu iter Hierosolymitanum et pauciores Domini redivivi apparitiones brevissime narrant, et tamen nemo non paratus ad reddendam rationem de ea, quae in nobis est spe, desiderare debuit cognoscere, an Jesus metropolim tamdiu plane neglexerit, et quibus documentis resurrectio ejus nitatur.

Haec et alia similia Lucam ad accuratum moverunt examen de omnibus ab initio vitae Jesu humanae, ut partim ipse sibi pararet firmissimam certitudinem de veritate omnium, quae erat edoctus, partim Theophilo et aliis in evangelio suo eandem persuasionem suppeditaret.

## §. 129.

### De fontibus, e quibus Lucas hausit.

Ut jam §. 127. dictum est, antiqui fontem primum et praecipuum, unde Lucas notitias suas evangelicas hauserit, nominant Paulum Apost., cujus discipulus et comes per longius tempus erat. Idem evangelii nostri argumento confirmatur; nam

1. eas ipsas doctrinas, de quibus Paulus prae ceteris agit: de universali salutis christianae destinatione, de gratia justificante per fidem absque operibus etc., Lucas prae ceteris selegit tractandas, illustrandas et confirmandas. Sic v. g. Jesu Christi genealogiam 3, 23. seqq. non ut Matthaeus ab Abrahamo exorditur, sed ad Adamum usque et ad Deum reducit (v. 38.), ut ostendat: sicut Adamus terrestris et Deus coelestis est omnium hominum pater: ita etiam Jesum Adami et Dei filium totius generis humani esse Salvatorem. 2, 31. 32. Simeonem pium celebrantem sistit salutem a Deo in Jesu paratam *„ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam populi Israël;“* 4, 25—27. Jesum Nazarethae Judaeorum indignorum rejectionem jam in V. T. typice annunciatam et assumtionem ethnicorum praedicentem sistit; 9, 52—56. et 17, 11—19. Jesum non abhorruisse docet a Samaritanorum consortio, eorum etiam Salvatorem se declarasse et leprosum mundasse; 14, 16—24. in parabola de coena magna Christum dicentem repraesentat, patremfamilias exclusis prius invitatis (Judaeis) postremo in viis et sepibus versantes (ethnicos) adduci jussisse; 7, 36—50. Jesum mulieri peccatrici ob poenitentiae lacrymas, ob fidem et dilectionis documenta peccatorum remissionem annunciasse refert verbis: *„Fides tua te salvam fecit;“* in parabola de filio perdito 15, 13—30. poenitentem et confidenter ad patrem reversum invenisse culparum remissionem et benignam in domum paternam receptionem narrat; 17, 7—10. in similitudine de servo, qui officiis suis satisfecit, Jesus adnotat: *„Sic et vos, cum feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.“* Idem latet 18, 9—14. in parabola de Pharisaeo et portitore orantibus in templo, quorum prior ob humilitatem suam et poenitentiam, non vero alter de justitia sua glorians justificatus discessisse legitur; 23, 40—43. solus Lucas adnotat, unum latronum, qui cum Jesu crucifixi sunt, hujus implorasse misericordiam et paradisi promissionem accepisse (cfr. etiam 13, 1—5. 19, 1—10.).

2. Voces *χάρις*, *ἔλεος*, *πίστις* et *ταπείνωσις*, quae cum peculiaribus suis notionibus Paulo usitatae sunt et adamatae, in evangelio quoque Lucae frequenter occurrunt, et jam in annunciatione conceptionis Mariae, in verbis Elisabethae, in cantico Mariae et Zachariae praecipuum occupant locum (1, 26—38. 42—55. 68—79.). Aliae etiam expressiones Paulo familiares in evangelio nostro et in actibus App. leguntur, ut *τάξις* 1, 8., *ἄμεμπτος* 1, 16., *ἀπειθής* 1, 17. Act. 26, 19., *χαριτοῦν* 1, 28., *μεγαλύνειν* (celebrare) 1, 46. 58. Act. 5, 13. al., *δυνάστης* 1, 52., *ἀντιλαμβάνεσθαι* 1, 54. Act. 20, 35., *λύτρωσις* 1, 68.

2, 38., *κατευδύνειν* 1, 79., *κραταιοῦσθαι* 1, 80. 2, 40., *δόγμα* 2, 1., *σωτήριον* 2, 30. Act. 28, 28., *μεταδιδόναι* 3, 11., *ὀψονία* 3, 14., *σωματικός* 3, 22., *συγκλείειν* 5, 6., *χαρίζεσθαι* 7, 21. etc.

3. Memoratu dignissimus est modus, quo Lucas 22, 17. seqq. cum Paulo I. Cor. 11, 23. accurate consentiens, a Matthaeo autem et Marco discedens ss. Eucharistiae institutionem narrat, quique dependentiam discipuli a magistro clarissime ostendit. — In aliis quoque locis occurrunt propositiones, quae non tantum sententias, sed etiam expressiones Paulinas continent, ut v. g. 10, 7. 8. coll. cum I. Cor. 10, 27.; 12, 35. coll. c. Eph. 6, 14.; 18, 1. coll. c. II. Thess. 1, 11. Rom. 1, 10.; 20, 38. coll. c. Rom. 14, 7. 8.; 21, 24. coll. c. Rom. 11, 25.; 21, 34. coll. c. Rom. 13, 1—14.

Huic vero sententiae de Paulo historiae evangelicae fonte ipse Lucas contradicere videtur in proëmio, ubi 1, 3. dicit, se omnia accurate perscrutatum esse ab initio, et proinde alios fontes indicare videtur. Cum Lucas ipse fontes suos non nominet, eos ex historia ejusdem indagare oportet. Haec autem ostendit Barnabam, ecclesiae Antiochenae cum Paulo fundatorem et probabiliter unum e 72 Jesu discipulis, dein Petrum, qui post concilium Hierosolymitanum Antiochiam venit, praecipue vero Jacobum, fratrem Domini, sacrae familiae sodalem, cui Lucas a Paulo cum aliis comitibus praesentatus est (Act. 11, 19—26. Gal. 2, 11. Act. 21, 18.). Jam vero cum iisdem etiam Paulus Ap. arctissimo erat in nexu; etenim a Barnaba primo Hierosolymam veniens ductus est ad Apostolos (Act. 9, 27. 28.), et cum eodem primum iter suum apostolicum suscepit (Act. 13.); ad Petrum videndum post tres annos a conversione sua venit Hierosolymam et apud eum 15 diebus mansit, et hac occasione neminem Apostolorum vidit, nisi Jacobum fratrem Domini (Gal. 1, 18. 19.); cum iisdem et cum Joanne, qui erant *„columnae ecclesiae“*, evangelium suum contulit inter gentiles praedicatum (Gal. 2, 2. seqq.). Cum vero Lucas diutius et familiarius cum Paulo, quam cum Barnaba, Petro et Jacobo esset conversatus: utique conveniens erat, Paulum praecipue nominare fontem evangelistae nostri, licet hic historiam conceptionis et nativitatis Joannis B. et Jesu, hujus genealogiam, nec non narrationum evangelicarum ordinem ab aliis Apostolis, inprimis a Jacobo suppeditatis etiam monumentis scriptis esset edoctus. Quare iidem Patres, qui dependentiam Lucae a Paulo testantur, illius consortium cum aliis quoque Apostolis commemorarunt, et contrà haereticos de evangelii nostri authentia, integritate aut axiopistia disputantes huic rei magnum tribuerunt momentum.[1]

---

[1] S. Irenaeus adv. haeres. III. 10.: „Lucas, sectator et discipulus Apostolorum.“ S. Hieronym. de viris illustr. c. 7.: „Quidam suspicantur — — Lucam non solum ab Apostolo Paulo didicisse evangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed et a ceteris Apostolis.“ Cfr. Eus. h. e. III. 4. s. Chrysost. hom. I. in Matth.

§. 130.

**De scribendi modo s. Lucae in evangelio.**[1]

Cum Lucas omnia accurate perscrutatus esset a principio, historiam tum ambitu et ordine perfectiorem, tum singulis adjunctis accuratius determinatam scribere potuit, et talem non tantum Theophilo promisit, sed etiam revera concinnavit. Nam

1. ascendit usque ad annunciationem nativitatis Joannis B. et eventus prosequitur usque ad Christi in coelum ascensionem, dum Matthaeus evangelium suum a conceptione Jesu exorditur, Marcus a Joannis B. proditu; hic quidem assumtione Christi in coelum finit, ille vero praecepto Domini Apostolis dato abeundi in universum terrarum orbem.

2. Lucas non tantum multa facta, sed etiam plures doctrinas Jesu peculiares habet. Ad illa v. g. praeter historiam infantiae accuratiorem pertinent: Jesu commoratio Nazarethae 4, 16—30.; miraculosa piscium captura Petro concessa 5, 1—11.; resuscitatio juvenis Nainitici 7, 11—17.; unctio Jesu a peccatrice peracta 7, 36—50.; fere cuncta, quae a 9, 51—18, 14. leguntur; narratio de Zachaeo Jerichunte 19, 1. seqq.; plura de passione et de apparitionibus Jesu. Inter doctrinas Jesu Lucae proprias referendae sunt praeter orationem campestrem 6, 20. seqq. plures parabolae praeclarae: de Samaritano misericorde 10, 25. seqq., de ficu fructus non ferente 13, 6—9., de filio perdito 15, 11. seqq., de villico iniquo 16, 1. seqq., de divite et paupere 16, 19—31., de judice duro 18, 1—8., de Pharisaeo et portitore orantibus in templo 18, 9—14., de decem minis 19, 11—27. — Omissio plurium, quae a Matthaeo et Marco narrantur, inde explicatur, quod Lucas partim similia narrare evitat (v. g. altera cibatio turbae, altera Jesu commoratio Nazarethae et altera unctio), partim Pauli praedicationem potissimum secutus est, partim ethnico-christianorum ratione habita ea scribere non necessarium duxit, quae ad Judaeos natos maxime spectabant (v. g. oratio montana Mt. 5—7., severior Pharisaeorum et legisperitorum increpatio Mt. c. 23.).

3. In factis copulandis *ordinem chronologicum* sequitur, attamen, ut jam e praecedentibus patet, non strictiorem, sed nonnisi latiorem; nam illum exhibere tum solum potuisset, si plene exhaustam vitae Jesu Christi historiam scripsisset; talem vero nec sibi proposuit (Act. 1, 1. *περὶ πάντων*), nec scribendo par fuisset (coll. Jo. 21, 25.). Studium chronologicum Lucas manifestat non solum tempus accurate determinando, quo Joannes B. et brevi post Jesus publice prodiit (3, 1. 2. 23.), sed etiam diversa Jesu itinera Hierosolymitana commemorando, ut 7, 11. seqq. coll. cum Jo. 5, 1. seqq.; dein 9, 51. seqq. coll. c. Jo. 7, 1. seqq.; porro 13, 22. seqq. coll. c. Jo. 10, 22., et denique 17, 11. et 18, 31. coll. c. Jo. 12, 1. seqq. Statuere, Lucam in omnibus locis citatis de uno eodemque Jesu itinere, et quidem de

[1] Cfr.: Die Einheit des Lucas-Evangeliums von Joseph Grimm. Regensburg 1863. Opusculi hujus nuperrime publicati usus fieri non potuit.

ultimo agere, mere arbitrarium est. Cur Lucas, quae diversis occasionibus in metropoli evenerint, aeque ac Matthaeus et Marcus non referat, jam prius dictum est.

4. In commemorandis singulorum factorum adjunctis Lucas Matthaeo multo accuratior est, et hoc respectu nonnisi a Marco subinde vincitur (cfr. v. g. narrationem de servo centurionis sanato 7, 1—10., de daemoniaco Gadareno 5, 26—39., de resuscitatione filiae Jairi et sanatione mulieris sanguinis profluvio laborantis 8, 40—56. et alia cum locis parallelis).

## §. 131.

### De integritate evangelii Lucae.

Marcion haereticus utebatur evangelio, quod, ut e fragmentis a Tertulliano et a s. Epiphanio nobis servatis colligere licet, tum in rebus, tum in verbis similitudinem quamdam referebat cum nostro Lucae evangelio, addendo autem, demendo aut immutando multis in locis corrupto;[1] quare recentiori aetate non defuerunt, qui defenderent, Marcionis evangelium fuisse Lucae genuinum, nostrum vero librum ex interpolationibus illius esse ortum.[2]

Verum jam *Tertullianus,* quin ei contradiceretur, ad majorem evangelii nostri antiquitatem provocavit, hocce ecclesiae traditione usque ad Apostolos pertingente commendari testatur, dum Marcionis opus nonnisi in paucis ecclesiis esset notum, et a nemine, nisi a Marcionitis agnitum.[3] Praeterea ne ipse quidem Marcion evangelium suum traditum accepisse, sed emendatum Lucae esse asserebat; genuinum Lucae evangelium cum reliquis canonicis prius ipse receperat,[4] et a se partes quasdam e sacris scripturis eliminatas esse profitebatur.[5]

---

[1] Irenaeus adv. haeres. I. 20. „Id, quod est secundum Lucam evangelium circumcidens (Marcion) et omnia, quae sunt de generatione Domini conscripta, et de doctrina Domini multa auferens — — semet ipsum veraciorem, quam sunt hi, qui evangelium tradiderunt Apostoli suasit discipulis suis."

[2] Corrodi: Beleuchtung des jüdischen n. christl. Bibelcanons. Halle 1792. II. 172. Eichhorn Einleitung I. 40. seqq. 67. seqq. Berthold Einleitung p. 1294. seqq. Chr. Schmidt: Das echte Evang. Lucae in Henke's Magazin V. 3. p. 468. seqq. Schwegler: Nachapostol. Zeitalter I. p. 260. seqq. Ritschl: Das Evang. Marcion's u. das canonische Evang. des Lucas. Tübingeu 1846. Bauer: Kritische Untersuchungen über die canon. Evv. p. 393. seqq. Zeller: Theologische Jahrbücher 1848. 4. Heft I.

[3] Tertull. adv. Marc. IV. 4.: „Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei praescribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, et ei praejudicans vitiositatem, quod posterius revincetur. In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum praecedat necesse est veritas falsum." Cfr. c. 5.

[4] Tertull. l. c.: „Adeo antiquins est Marcione, qnod est secundum nos, ut et ipse illi Marcion aliquando crediderit."

[5] Tertull. de carne Christi c. 2.: „Eo magis mortuus es, quo magis non es Christianus; qui cum fuisses, excidisti, sicut et ipse confiteris in quadam epistola, et tui non negant et nostri probant."

Quae cum ita sint, operae pretium non est argumenta interna in favorem illius hypotheseos vanae allata commemorare et refutare, cum ejusmodi commenta deleat dies.[1]

## §. 132.

### Argumentum evangelii s. Lucae ejusque dispositio.

Evangelium hoc e tribus partibus constat:

1. *Ex historia infantiae Jesu Christi ejusque publici proditus,* in qua parte auctor praemisso proëmio, quo operis exarati rationem, fontes et scopum nominat (1, 1—4.), annunciationem conceptionis Joannis Baptistae et Jesu, dein utriusque nativitatem, Christi circumcisionem, in templo oblationem et Simeonis vaticinium narrat; praeterea Jesum annorum duodecim puerum Hierosolymam ad festum paschae profectum et ibidem singularis sapientiae documentis datis Nazaretham reversum et parentibus subditum sistit; praecursoris tandem activitatem, Christi baptismum, genealogiam et tentationem in deserto describit (1, 5—4, 13.). Sequitur

2. *descriptio publicae Jesu Christi activitatis in Galilaea et in itineribus diversis Hierosolymam factis.* Christus primo Nazarethae docet, et ibi repudiatus Capharnaumum abit; daemoniaco in synagoga, Petri socru aliisque multis sanatis in varias Galilaeae civitates docendi causa abit (4, 14—fin.).

C. 5. Jesus miraculosam piscium capturam Petro concedit; sanato in quadam civitate homine leproso in desertum discedit; paralytico Capharnaumi sanitatem restituit; portitorem Levi vocat, et ab eo convivio exceptus cum portitoribus ad mensam accumbit, et Pharisaeis exprobrantibus respondet.

C. 6. Discipulos sabbato spicas vellentes defendit; alio sabbato in synagoga manum aridam sanat; oratione nocturna in monte praemissa duodecim Apostolos eligit et orationem campestrem habet.

C. 7. Sanato centurionis servo juvenem ad oppidum Nain a mortuis suscitat; Joannis B. legatis respondet ejusque laudes celebrat; incredulos suae aetatis homines reprehendit; apud Simonem Pharisaeum accumbens mulieri poenitenti peccata remittit.

C. 8. Parabola de seminante; sedatur procella in mari orta; daemoniacus Gadarenus sanatur; sanata in via muliere sanguinis profluvio laborante Jairi filia mortua in vitam revocatur.

C. 9. Apostoli moniti emittuntur eisque reversis trans mare Galilaeum populi turba cibatur; discipulis Christi passio et mors praedicitur illique ad constantiam excitantur. Christi transfiguratio, sanatio pueri daemoniaci; discipulis modestia commendatur. Jesus per Samariam proficiscitur Hierosolymam.

C. 10. Septuaginta discipuli bini ablegantur et reversi cum Christo colloquuntur; Jesus cum legisperito de charitatis lege disserit, in domo Marthae et Mariae excipitur.

[1] Cfr. Ad. Maier: Einleitung p. 109. seqq.

C. 11. Jesus discipulos precandi formulam docet eosque ad orandum excitat; Pharisaeos consortii cum Beelzebul eum arguentes refutat; apud Pharisaeum invitatus de vasorum lotionibus loquitur et mores illorum perstringit.

C. 12. Jesus discipulis varia dat monita; arbitrum litis esse recusat; avaritiam fugere additâ parabolâ praecipit; fiduciam in Deum, benignitatem et vigilantiam suis commendat et monita ad populum addit.

C. 13. Dominus poenitentiam postulat; sanationem sabbato factam defendit; in parabolis regnum Dei delineat; de extremo judicio loquitur; Hierosolymorum sortem plangit.

C. 14. Sanato sabbati die hydropico superbiam perstringit; parabolam de coena magna proponit suique abnegationem postulat.

C. 15. Parabola de centum ovibus et de drachma, de filio prodigo.

C. 16. Parabola de villico iniquo, objurgatio Pharisaeorum; parabola de epulone divite et de Lazaro mendico.

C. 17. Monita Apostolis data, decem leprosorum sanatio, sermo de regno divino ad Pharisaeos et ad discipulos.

C. 18. Parabola de judice malo, de duobus in templo orantibus; Jesus infantibus benedicit; de divitibus regnum Dei difficillime intrantibus et de passione sua Hierosolymam proficiscens loquitur, ad urbem Jericho coecum sanat.

C. 19. Jesus Jerichunte apud Zachaeum divertit, parabolam de talentis proponit, Hierosolymam solenniter ingreditur, ementes et vendentes e templo ejicit.

C. 20. Jesus in templo cum Pharisaeis et Sadducaeis colloquens varias solvit quaestiones, et

c. 21. Hierosolymorum excidium atque mundi hujus interitum praedicit.

3. *Historia transitus Domini ex hac vita* a 22, 1—24, 53. Judas sacerdotibus Christi traditionem promittit; Jesus sacrâ coenâ celebratâ in hortum cum Apostolis abit et ibi a turba per Judam adducta comprehenditur, primo ad sacerdotum principem, dein ad Pilatum ducitur, a quo urgentibus Judaeis capitis damnatus educitur, cum duobus maleficis crucifigitur; sepultus tertia die resurgit, a duobus discipulis in oppidum Emmaus proficiscentibus cognoscitur; Apostolis congregatis sese ostendit, tandem in vicinia Bethaniae in coelum ascendit.

## b) Actus Apostolorum.

### §. 133.

#### Operis auctor et canonica auctoritas.

Operis hujus auctorem eundem esse Lucam, cui evangelium tertium debemus, (ut de dedicatione utriusque operis eidem Theophilo factâ nihil dicamus), manifeste patet ex eadem dictione et stylo et

ex Actuum initio comparato cum evangelii fine. Quemadmodum enim dictio in primis evangelii capitibus ob fontes adhibitos hebraizat, in reliquis autem generatim est purior: ita idem in Actibus App. invenitur. Praeterea Act. 1, 1. 2. auctor dicit, se primum sermonem fecisse *„de omnibus, quae coepit Jesus facere et dicere usque in diem, qua assumtus est“*, quod soli convenit tertio evangelio, cujus itaque continuatio seu altera pars Apostolorum actus considerantur.

Quod autem e criteriis internis colligitur, ad certitudinem evehitur per constantem ecclesiae traditionem, qua liber hic semper et ubique Lucae adscribebatur, et in Canonem relatus cum reliquis libris divinis publice praelegebatur. Testes antiquissimos nominare sufficit *Tertullianum*,[1] *Clementem Alex.*,[2] *s. Irenaeum*,[3] *canonem Muratorii, Origenis et Eusebii, antiquissimas versiones ecclesiasticas.*

Actus App. rejecti quidem sunt *a Marcionitis, Manichaeis, Ebionitis et Severianis*, attamen non e causis historicis, ob certae traditionis defectum; sed quia liber hic placitis eorum peculiaribus adversabatur. Quodsi *s. Chrysostomus* App. actus suâ aetate multis incognitos esse conqueritur,[4] hoc solum innuit, opus hoc argumenti gravitate et utilitate summopere commendandum a fidelibus non pro merito aestimari ac legi, ideoque multis vix notum esse; nam ipse homil. 66. actus App. in multis ecclesiis post festum paschalis publice legi testatur.

## §. 134.

### Occasio, scopus et fontes operis.

1. Ut jam *s. Chrysostomus* observavit, omnia, quibus Lucas 1, 1—4. rationem reddit evangelii a se scripti, etiam de altero ejus opere valent. Quemadmodum multi rei gravitate et utilitate moti in ordinem redigere conati sunt narrationem rerum a Christo gestarum et certissimarum, sicut tradiderunt, qui ab initio testes oculati et ministri verbi facti sunt: ita certe non deerant, qui opus Christi per Apostolos continuatum juxta narrationes testium literis consignare studerent. Quod confirmant multa hujus generis opera serius exarata, v. g. *periodi Petri, praedicatio Petri, periodi, acta Pauli et Theclae etc.* Ejusmodi scripta antiquiora pro diversitate fontium jam majoris, jam minoris fuisse ambitus, et ordinem chronologicum non accurate servasse, rei natura docet. De his quoque certitudinem assequi cujuscunque Christiani cultioris non poterat non plurimum interesse; etenim *a*) modus, quo religio Christi non obstantibus impedimentis internis et externis gravissimis per Apostolos inter Judaeos et ethnicos propagata est et confirmata, simul erat documentum originis ejus divinae et veritatis infallibilis; quare quae in uno loco evenerunt,

---

[1] De jejun. c. 10., de praescript. haeret. c. 22.

[2] Adumbrat. in I. Petr. ep.

[3] Adv. haeres. VI. 14.

[4] Homil. I. in princip. Act. *Πολλοῖς γοῦν τὸ βίβλιον τοῦτο οὐδὲ γνώριμόν ἐστι, πολλοῖς δὲ δοκοῦν σαφὲς εἶναι, πάλιν παρορᾶται καὶ γίνεται τοῖς μὲν ἡ γνῶσις, τοῖς δὲ ἡ ἄγνοια ῥαθυμίας ὑπόθεσις.*

in altero ad credentes confirmandos et ad alios lucrifaciendos inserviebant (cfr. Rom. 15, 18. I. Thess. 1, 6. 7. 2, 14—16.). *b*) Genuinâ expositione eorum, quae ab Apostolis acta erant, opex ponebatur efficacissima conatibus multorum pseudoapostolorum, qui e Judaea progressi absque vocatione et missione altiori (Act. 15, 24.) magnorum Apostolorum, quin eorum sequerentur doctrinam, auctoritatem venditarunt et ecclesias perturbarunt (II. Cor. 11, 5. 12, 11. Gal. 2, 6. seqq.). *c*) Quaestiones plures, v. g. de receptione ethnicorum in ecclesiam per baptismum absque circumcisione, de legalium observatione et al. nonnisi e genuinâ historia solvi poterant. Ut itaque Lucas, assecutus omnia a principio accurate, Theophilo suo et mediate ecclesiae christianae etiam hoc respectu suppeditaret τὴν ἀσφάλειαν, alterum hunc librum exaravit, in quo ostendit, qua ratione ecclesia, ab ipso Jesu Christo fundata, post missionem Spiritus s. per Apostolos primo in Palaestina, dein vero Pauli praecipue laboribus in exteris quoque regionibus sit dilatata. Hinc titulus perantiquus: πράξεις τῶν ἀποστόλων operi huic, cum revera actus Apostolorum contineat, non inepte est inscriptus.

Quorumdam sententia, Lucam historiam aut ecclesiae universalis, aut Apostolorum scribere voluisse, inde refutatur, quod v. g. ecclesiae Romanae, quae tamen in epistola ad Romanos jam florens sistitur, ne mentio quidem facta est; praeter Petrum et Paulum de Joanne et Jacobo utroque paucissima, de reliquis autem Apostolis, exceptis nominibus, nihil commemoratur. Imo quod illos Apostolorum principes attinet, multa silentio praetermissa sunt. Sic de s. Petro post concilium Hierosolymit. Act. 15. nulla plane amplius fit mentio; etiam de s. Paulo plura omittuntur; sic v. g. Apostolus hic post conversionem suam Damasco abiit in Arabiam (Gal. 1, 17.), ter naufragium fecit (II. Cor. 11, 25.), intra triennium commorationis suae Ephesinae iter suscepit per Macedoniam in Achaiam (coll. utrâque ad Corinth., I. Tim. ep. et illa ad Tit.) etc., de quibus omnibus in actibus App. nihil refertur. — Eodem modo aliorum commento, Lucam in hoc libro id solum habuisse propositum, ut vel characterem et destinationem religionis christianae ostenderet universalem, vel Paulo dignitatem vindicaret apostolicam, totius operis tenor adversatur.

2. *Fontes*, e quibus Lucas relationes hujus libri hausit, erant:

*a*) *Propria experientia;* nam quae 16, 10—24. et a 20, 4. usque ad finem narrat, comes Pauli ipse viderat audieratque.

*b*) Quae sive Saulus „*spirans minarum et caedis in discipulos Domini*“ ad hujus nomen extinguendum, sive Paulus Apostolus ad ecclesiam Christi tuendam ac dilatandam suscepit pertulitque, et quorum testis Lucas non erat praesens, aut *ex illius ipsius ore hausit*, aut a comitibus ejus, a *Barnaba praecipue*, *Sila et Timotheo* cognovit.

*c*) Quod denique prima octo attinet capita, Lucas fontes adhibere vix potuit puriores, quam relationes ejusdem *Barnabae*, porro *Jacobi Min. et amicorum Hierosolymit.;* imo eum etiam *fontes scriptos* consuluisse, oratio Stephani c. 7. haud obscure prodit.

Nonnullorum sententia, Lucam aut Apostolorum quemdam Actus in primis capitibus usque ad initium c. 15. e biographia Petri et Barnabae compilasse, illas vero partes, ubi in prima persona plurali est sermo, e scriptis Timothei aut Silae repetiisse, vana est hypothesis.

## §. 135.

### Dispositio libri et argumentum.

1. *Opus hoc in duas dilabitur partes.* In parte prima, quae illud novem circiter annorum complectitur tempus, quo Apostoli in Palaestina commorabautur uniti, evangelii narrantur progressus et infestationes usque ad illud tempus, quo persecutionibus in Judaea exortis Antiochiae prima Christianorum ab ethnicismo conversorum ecclesia erat euata. In hac sectione inter omnes Apostolos *Petrus* ejusque activitas eminet, dum ecclesiae Hierosolymitanae cura *Jacobo Minori* esset concredita. — In altera parte, quae ab eo incipit tempore, quo Petrus mirabili modo e carcere liberatus Palaestinam reliquit, s. Lucas sese convertit *ad Paulum* ejusque activitatem in diversis ethnicorum regionibus: in insula Cypro, in Asia minori, in Macedonia et Achaia; cum autem Apostolus libertate esset privatus, sola ejusdem fata uberius exponuutur. Ut in evangelio, ita etiam in actibus App. s. Lucas ordinem chronologicum observat.

2. *Argumentum* est sequeus: Praemissa repetitione brevi historiae de Jesu in coelum ascensione Lusas narrat, in Apostolos, electo in locum Judae proditoris Matthia, festo pentecostes Spiritum s. descendisse, quo facto Petrus tanto cum effectu Christum et poenitentiae necessitatem praedicavit, ut tria millia fidelium gregi baptismo sint associata et aucta miraculo a Petro et Joanne patrato in claudo a nativitate ad speciosam templi portam. Quicquid Judaeorum synedrium contra Apostolos moliatur, nihil efficere valet, nisi ut eorum in doctrina Christi praedicanda augeretur fervor, et fidelium in eadem profitenda cresceret zelus ac numerus; multiplicata Apostolorum miracula (in specie mors Ananiae et Saphirae repentina), et vitae Christianorum sanctitas tanto replet incredulos timore, ut nemo illis sese adjungere audeat (c. 1—5.)

Ecclesiae augmentum ad pauperum servitium et alia ministeria uecessariam reddit electionem septem diaconorum, inter quos Spiritus s. donis et eloquentiâ eminet *Stephanus;* crescit vero etiam Judaeorum odium, quo acti in Stephanum insurgunt eumque lapidant, dum Saulus testium vestimenta custodit (c. 6. 7.). *Philippus* diaconus ad fidem Christi convertit Samaritanos et eunuchum Candacis, Aethiopum reginae; illis Petrus et Joannes ablegati manuum impositione dona Spiritus s. conferunt, et Petrus Simonem Magum severius increpat (c. 8.). *Saulus* odio Christianorum ardens literis commeudatitiis a pontifice instructus proficiscitur *Damascum*, ubi Christianos inventos comprehendat vinctosque Hierosolymam ducat puniendos; in ipsa autem via a Christo ei apparente convertitur ad fidem, Damasci baptizatur, serius Hierosolymam reversus *a Barnaba*

ad Apostolos ducitur, docendo Judaeorum odium in se convertit et *Tarsum* abire cogitur (c. 9.). Post Sauli conversionem ecclesia per Judaeam, Galilaeam et Samariam habet pacem, et Petrus omnes visitans, a Spiritu s. edoctus, absque circumcisione praemissâ primus convertit *Cornelium centurionem*, hominem ethnicum, cum tota ejus familia, et Hierosolymam reversus res gestas exponit defenditque; quare brevi post Antiochiae oritur ecclesia e gentibus potissimum collecta et per Barnabam Saulumque confirmata et aucta (c. 10. 11.). Jam vero *Herodes Agrippa*, ut Judaeorum sibi conciliet favorem, *Jacobum Majorem* gladio interficit, etiam Petrum in vincula conjicit, ut post dies azymorum occidatur, qui vero ab angelo liberatus in alium abit locum. Saulus cum Barnaba ab Antiochensibus mittitur Hierosolymam, ut eleemosynas perferat (c. 12.). Antiochiam reversus divinâ missione acceptâ primum cum Barnaba et Marco iter majus suscipit in ethnicorum regiones, et quidem in insulam Cyprum, in Pamphiliam, Pisidiam, Lycaoniam, et non obstante Judaeorum renitentiâ ubique locorum ecclesiarum ponit fundamenta (c. 13. 14.). Antiochiae longiori tempore commoratus ob litem in ecclesia de circumcisione ethnico-christianorum ortam cum Barnaba ablegatur Hierosolymam ad Apostolos, a quibus cum senioribus congregatis liberior Pauli doctrina confirmatur (c. 15.). Comite *Sila* Paulus per Syriam et Ciliciam revertitur ad ecclesias a se fundatas, posthac autem activitatem suam per Phrygiam et Galatiam extendit usque in Europam orientalem, et in Macedonia atque in Achaia Christo ecclesias colligit (c. 16—18.). Per Hierosolymam reversus Antiochiam tertiam aggreditur missionem, et Ephesi fere per triennium praedicat, ita ut tota Asia audiat verbum Dei, et propositum capit, ecclesiis Macedoniae atque Achaiae visitatis per Hierosolymam proficiscendi Romam et in Hispaniam (c. 18. 19.). Ast cum adversa sibi imminere praesciens Hierosolymis advenisset, a Judaeis asiaticis in templo comprehenditur et fere occiditur, a militum tribuno e furientium manibus eripitur, ob Judaeorum conjurationem noctu Caesaream abducitur, ubi per biennium sub Felice procuratore commoratus, sub Festo illius successore ad periculum evitandum ad Caesarem appellat (c. 21—25.). Cum coram Agrippa et Berenice disseruisset (c. 26.), comitibus Luca et Aristarcho mittitur Romam, ubi in custodia militari denuo per biennium retinetur (c. 27. 28.).

## De ordine evangeliorum canonicorum chronologico, et de tempore, quo tria priora et Actus Apostolorum sint editi.

§. 136.

### I. Ordo evangeliorum canonicorum chronologicus.

*In antiquis sacrorum N. T. librorum monumentis triplex invenitur ordo, quo evangelia nostra sese excipiunt:* Matthaei, Marci, Lucae, Joannis; — Matthaei, Joannis, Lucae, Marci; — Joannis, Matth. Mr. Lucae.

*Prima series* in omnibus occurrit antiquis Asiae et Africae versionibus, in omnibus canonicorum librorum catalogis, nec non in omnibus codicibus graecis, exceptis Cantabrigiensi D et 29., qui a Latinis sunt exarati.

*Altera* deprehenditur in cod. D et 29., in versionibus latinis, quas exhibet cod. Vindobon. et Corbeian. 2., in multis codicibus latinis bibliothecae Parisiensis, Vaticanae, Sangalensis et Monacensis.

*Tertia* denique invenitur in cod. 19., in versionibus latinis codicis Brixiensis, Vercellensis et Veronensis, in versione Gothica, apud Tertullianum adv. Marc. IV. 2., in constitutionibus apostolorum II. 57. et in synaxario ecclesiae graecae.[1]

Secundus et tertius, quo evangelia sacra sese excipiunt, ordo institutus est ratione habitâ auctorum dignitatis munerisque, ita ut praecedant ab Apostolis elucubrata illa, quae ab Apostolorum comitibus et adjutoribus sunt profecta; in prima autem eâque antiquissimâ ac vulgatissimâ serie veteres Asiae, Africae et Graeciae ecclesiae nonnisi rationem habuerunt temporis, quo singula evangelia edita esse e traditione noverunt. Et reverâ evangelia eodem ordine esse edita, quo in Canone nostro leguntur, Patres et scriptores eccl. primorum saeculorum docent. Sic testis antiquissimus e saec. II. *s. Irenaeus* adv. haeres. III. 1., dein *Origenes* coll. Eus. h. e. VI. 25. et homil. 7. in Isaiam, *s. Epiphanius* haeres. 51. et ipse *Eusebius* h. e. III. 24. hac in re consentiunt; imo ne Latini quidem, quamvis ratione habitâ auctorum dignitatis ordinarint evangelia, ignari erant ordinis, quo respectu temporis sese excipiunt, ut docet *fragmentum catalogi Romani apud Muratorium*, *s. Hieronymus ad Damascum P.* al. atque *s. Augustinus de consensu evang.* I. 3.

*Clemens Alex.* quidem, se ab antiquis presbyteris edoctum esse profitetur, evangelia, quae genealogias continent, prius esse scripta, ita ut illud Lucae non tertium, sed secundum occuparet locum aut primum (Euseb. h. e. 6, 14.); ast verba ejus[2] non de tempore evangeliorum editorum, sed scriptorum intelligi possunt. Et profecto! Lucam mature jam praecipuas evangelii partes chartae mandasse, re in se spectatâ admodum probabile est.

Ad tempus vero, quo tria evangelia priora et acta App. sint edita, magna saltem cum probabilitate determinandum, consulenda sunt criteria interna et antiquorum testimonia.

---

[1] Cfr. Scholz: N. T. graece, proleg. XXXIV., Hug: Einleitung Part. II. pag. 1. seqq.

[2] Προγεγράφθαι τῶν εὐαγγελίων τὰ περιέχοντα τὰς γενεαλογίας.

## II. De tempore, quo tria evangelia priora et actus App. editi sint.

### §. 137.

#### A) Criteria interna.

1. *In genere:* Tres priores evangelistae, se ante Hierosolymorum exeidium scripsisse produnt; nam Matthaeus c. 24., Marcus c. 13. et Lucas c. 21. vaticinium Domini de Hierosolymorum eversione adferentes, de eadem verba faciunt ut de re adhuc futurâ, et nemo eorum, vaticinium hoc — eventu jam esse comprobatum, ullo manifestat nutu. Nonnulli quidem e Lucae 21, 20. 24. concluserunt, evangelium hoc scriptum esse demum post Hierosolymorum exeidium; ast e locis illis hoc solum sequitur, Lucam nonnisi clariora Christi retulisse verba, Matthaeum autem et Marcum, ne ut eventuum abominabilium prophetae Judaeorum in se augerent odia, obscuriora tantum Jesu dicta, Danielis prophetiae subnixa, literis consignasse.

2. *In specie: a) E Matthaei 27, 8. et 28, 15.* recte colligitur, evangelium hoc longiori temporis intervallo post eventus narratos jam elapso esse conscriptum; quanto autem temporis spatio praeterito id factum sit, inde non patet. Neque cum Hugio[1] provocare licet ad Mt. 23, 35. et 24, 15. ut ad locos, e quibus Matthaeum immediate ante Hierosolymorum exeidium scripsisse clarius pateret; nam quod attinet primum locum, *per Zachariam, filium Barachiae*, intelligi nequit Zacharias, Baruchi filius, quem ultimis reipublicae judaicae temporibus a zelotis in templo necatum scribit Josephus Fl. bell. j. 4, 5, 4.; sed designatur Zacharias, *Jojadae, cognomine Barachiae* (benedicti Dei) *filius*, qui jussu Joasi regis ἐν αὐλῇ οἴκου κυρίου lapidibus obrutus perhibetur II. Chron. 24, 20. seqq. Nam α) haec verba sunt Christi comminantis, non vero Matthaei ad certum eventum sui temporis respicientis, ut patet e Lucae 11, 52.; β) coll. v. 32. hoc facinus ad τὸ μέτρον τῶν πατέρων refertur a Christo, qui igitur de illis tantum justis agere potuit, quorum caedes in ss. literis esset consignatus, inter quos autem ut Abel primus, ita Zacharias, Jojadae filius, ultimus commemoratur; γ) ipsi Judaei hujus Zachariae necem ut foedissimam ac perniciosissimam vehementer detestantur; denique δ) in Josephi Fl. l. c. non constat sibi lectio, cum pro Βαρούχου etiam legant Βαρισκαίου. — Altero in loco Mt. 24, 15. voces: ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, quae etiam Mr. 13, 14. leguntur, non sunt evangelistae ad fugam excitantis, sed Christi e Danielis 9, 25. allegata: καὶ γνώσῃ καὶ διανοηθήσῃ.

*b) E Marci 16, 20.* elucet, evangelium hoc scriptum esse, postquam religio christiana per Apostolos etiam in exteris regionibus jam longe lateque erat propagata. Paulus quidem inde ab anno 42. in exteris regionibus Christum praedicavit; quo autem tempore reli-

[1] Einleitung II. 9. seqq.

qui Apostoli in alienas abierint terras, non liquet. Eusebius quidem refert *ex Apollonio*, qui hoc ex antiquorum traditione didicisse dicit,[1] Apostolis a Domino esse mandatum, ne ante 12 annos elapsos Hierosolymam desererent. Etiamsi vero huic relationi auctoritas esset tribuenda (cfr. Act. 1, 4.), inde tamen non constaret, num omnes simul et in perpetuum anno 45. metropolim reliquerint; neutrum habuisse locum, ex Act. 15, 6. patet, ubi concilio Hierosol. Apostolorum saltem plures intererant (cfr. Gal. c. 2.).

*c) Lucas in proëmio evangelii 1, 1—4.* edicit, ante se jam plures conatos esse ordinare narrationes evangelicas. Lucam his conatibus non adnumerasse evangelia a Matthaeo Apostolo et a Marco Petri comite elucubrata, etiamsi haec eidem jam prius innotuisse supponatur, ex iis, quae prius hac de re dicta sunt, cognoscitur.

*d) Clarius de tempore scripti a s. Luca evangelii indicium invenitur Act. 28, 30. 31.* Mutua nimirum, quae inter actus Apostolorum et evangelium Lucae intercedit, relatio docet, evangelium prius esse exaratum, quam illas. Hic autem actuum liber scriptus est ante Pauli mortem, cum eventus hujus memoratu dignissimi nulla plane fiat mentio; imo cum Lucas 28, 30. adnotet, Paulum mansisse per biennium in suo conducto Romae, durante ipsa hac captivitate, actus Apostolorum scripsisse et ad exitum illius finivisse censendus est; si enim serius scripsisset, liberationem Apostoli et facta fataque ejus ulteriora delineare haud omisisset. Quodsi autem eo tempore actus Apostolorum scripti sunt (ann. 61—63.), prius scribi debuit *ὁ πρῶτος λόγος* (Act. 1, 1.), i. e. evangelium, et probabiliter dum Paulus per biennium Caesareae in vinculis detinebatur, vel, ut aliis placet, in eadem captivitate Pauli Romanâ.

Objectio. Lucas etiam serius scribens actus App. ita finire potuit, si habuit consilium, *τρίτον λόγον*, tertium historiae librum exarandi. Eum autem revera tale habuisse propositum, e conclusione actuum App. patet cum evangelii fine collatâ; prouti hic deest apta conclusio, quia narrationis filum in actibus App. resumitur: ita etiam ibi, quia eventum series continuanda erat in tertio volumine, quod aut revera exaratum mature periit, aut variis e causis vel non est conscriptum, vel non editum.[2]

Resp. Etiamsi Lucae evangelium abruptum habeat finem, inde tamen, auctorem alteram historiae partem conscribere voluisse, nemo concluderet, nisi haec revera adesset; quare et actuum App. conclusio abrupta nonnisi tum eâdem ex causâ esset derivanda, si, quod locum non habet, tertia historiae pars revera adesset aut unquam adfuisset. Quare illa sententia est mera conjectura, ad amplum possibilium campum ablegenda, cui omnis veritatis species deest. Praeterea in actibus App. adest conclusio, tempori, quo eos scriptos et

---

[1] Euseb. h. e. V. 21. dicit: *ἔτι δὲ ὡς ἐκ παραδόσεως τὸν σωτῆρά φησι προστεταχέναι τοῖς αὐτοῦ ἀποστόλοις, ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ.*

[2] Cfr. Henrici Heinrichs introductio in acta App. p. 48. 49., Dr. Mack: Commentar über die Pastoralbriefe Pauli p. 167.

finitos esse diximus, plane conveniens, quae deest in evangelio, cujus finis, nisi auctor secundam historiae adjunxisset partem, tempori ejusdem scripti minus conveniret (cfr. finem ev. Matthaei et Marci). Denique etiamsi constaret, Lucam tertii commentarii exarandi habuisse propositum, nihilominus tamen tempore superius designato secundus liber scribi potuisset.

## §. 138.

### B) Testimonia externa.

1. *S. Irenaeus*, natus probabiliter Smyrnae circa ann. 110., ab anno 177—202. Lugduni in Gallia episcopus, in opere adv. haeres. III. 1. coll. Euseb. h. e. V. 8. de tempore exaratorum evangeliorum nostrorum dicit: Matthaeum inter Hebraeos propriâ eorum dialecto scripturam edidisse evangelii, dum Petrus et Paulus Romae praedicarent et ecclesiam fundarent; post eorum exitum etiam Marcum et Lucam, Petri et Pauli discipulos, evangelia sua scripto nobis tradidisse.[1]

2. *Clemens Alex.* apud Eus. h. e. VI. 14. et II. 15. narrat, evangelium Marci Romae superstite adhuc Petro ad preces Christianorum Romanorum esse scriptum.[2]

3. *Eusebius* de occasione et tempore exaratorum evangeliorum nostrorum disserens scribit: Matthaeum, Hebraeis primum praedicasse, quum vero etiam ad alias gentes transgredi vellet, evangelium suum patrio sermone scriptum tradidisse. — Postea autem, quum Marcus jam et Lucas evangelia sua edidissent, Joannem —— tandem ad scribendum se contulisse.[3]

S. Irenaeus itaque refert, a Matthaeo evangelium exaratum esse tempore, quo Petrus et Paulus Romae praedicarunt et ecclesiam fundarunt, quin tamen adnotet, num illud factum sit, cum uterque Apostolus simul, an cum successive Romae praedicaret et ecclesiam fundaret; Marci vero et Lucae evangelia edita esse post illorum Apostolorum exitum (ἔξοδον), quin apertius indicet, utrum exitum eorum e vita intellexerit, an ex orbis metropoli. Porro Clemens Alex. evangelium Marci superstite Petro exaratum et ab hoc approbatum esse tradit, et Eusebius idem de tempore scripti a Marco evangelii cum pluribus aliis credidit, et Matthaeum evangelium suum edidisse dicit, cum e Palaestina in alias etiam regiones transgredi vellet. — In eo itaque Clemens Alex., testis antiquissimus, atque Eusebius, traditionum antiquarum scrutator, concordant, evangelium Marci scriptum esse secundum praedicationem Petri, cum hic Romae

[1] Cfr. §. 117.
[2] Cfr. §. 119.
[3] Cfr. hist. eccl. III. 25., ubi auctor, cum de Matthaeo disseruisset (§. 111.), prosequitur: *Ἤδη δὲ Μάρκου καὶ Λουκᾶ τῶν κατ' αὐτοὺς εὐαγγελίων τὴν ἔκδοσιν πεποιημένων, Ἰωάννην φασὶ, τὸν πάντα χρόνον ἀγράφῳ κεχρημένον κηρύγματι, τέλος καὶ ἐπὶ τὴν γραφὴν ἐλθεῖν.*

doceret. Quum non sit, quod hisce testibus fides denegetur, quaeritur jam, quonam tempore Petrus Romam venerit, et quoties ibi praedicaverit?

Fuerunt et sunt inter Acatholicos, qui, quo facilius pontificis Romani primatum negare possent, asserere non haesitarent: Petrum Apostolum nunquam vidisse Romam. Demonstrabimus itaque:

I. S. Petrum revera fuisse Romae, et una cum s. Paulo, quum hic altera vice ibidem esset captivus, martyrium subiisse; imo

II. Petrum ter evangelium praedicasse Romae;

III. Evangelium Marci scriptum esse, dum Petrus secunda vice Romae moraretur, evangelium Matthaei paulo prius et illud Lucae paulo serius.

## §. 139.

### I. S. Petrus revera Romae fuit, et una cum s. Paulo ibidem martyrium subiit.

Factum hoc tot ac tantis antiquorum testimoniis nititur, ut nonnisi praejudiciis tenacissimis, scepsi de antiquorum fide nefaria atque crisi impia in dubium vocari possit. Sic praeter testes superius allatos

1. *Clemens Rom.* epist. I. ad Corinthios c. 5. martyrium utriusque Apostoli Romae notissimum supponens dicit: Petrum exantlatis pluribus calamitatibus martyrium passum, abiisse in debitum locum gloriae; Paulum, cum docuisset universum mundum et ad fines Occidentis venisset, martyrium subiisse sub principibus.[1]

2. *S. Ignatius* in sua ad Romanos epistola Petrum et Paulum Romae praedicasse supponit; dicit namque: *„Non ut Petrus et Paulus praecipio vobis; illi erant Apostoli, ego condemnatus; illi liberi, ego vero usque nunc servus.“*[2] — Ut de opere antiquissimo, *κήρυγμα Πέτρου* inscripto, Origeni, Clementi Alex. noto et a Lactantio magni habito, de Ursino et aliis nihil dicamus:

3. *Dionysius Corinth. episcopus*, circa ann. 170. coll. Euseb. h. e. II. 25. de Petro et Paulo testatur: *„Ambo illi in urbem nostram Corinthum ingressi sparso doctrinae evangelicae semine nos instituerunt, et in Italiam similiter ingressi simul docuerunt, et eodem tempore martyrium pertulerunt.“*[3]

4. *Tertullianus* (Scorpiace 15.) ait: *„Orientem fidem Romae primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, quum cruci adstringitur; tunc Paulus civitatis Romanae consequitur nativitatem,*

[1] *Πέτρος — οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης. — — Ὁ Παῦλος — δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων οὕτως ἀπαλλάγη τοῦ κόσμου λ.*

[2] *Οὐχ ὡς Πέτρος καὶ Παῦλος διατάσσομαι ὑμῖν· ἐκεῖνοι ἀπόστολοι, ἐγὼ κατάκριτος· ἐκεῖνοι ἐλεύθεροι, ἐγὼ δὲ μέχρι νῦν δοῦλος.*

[3] *Καὶ γὰρ ἄμφω καὶ εἰς τὴν ἡμετέραν Κόρινθον φυτεύσαντες ἡμᾶς, ὁμοίως ἐδίδαξαν, ὁμοίως δὲ καὶ εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν καιρόν.*

*quum illic martyrii renascitur generositate.*“ De praescriptione haer. 36.: „*Habes Romam — — ubi Petrus passioni dominicae adaequatur, Paulus Joannis* (Baptistae) *exitu coronatur.*“

5. *Cajus*, presbyter Rom. ad finem saec. II. p. Chr., se monumenta utriusque Apostoli Romae ostendere posse dicit. „*Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophaea eorum, qui ecclesiam illam firmaverunt.*“ [1]

6. *Origenes* secundum traditionem in tertio libro comment. in Genesin refert: Petrum, quum postremo Romam venisset, cruci affixum esse capite inverso, quia ipse sic pati voluit; et Paulum tandem Romae sub Nerone martyrium subiisse. [2]

Ex hisce igitur antiquorum testimoniis luculenter probatur, s. Petrum Romae fuisse, ibique una cum s. Paulo martyrii palmâ esse coronatum. Hac testium nube moti nullo non tempore fuerunt inter ipsos Acatholicos, qui nobiscum hac in re consentiant. [3]

Quaeritur autem

## §. 140.

### II. An non s. Petrus prius jam Romae fuerit ibique praedicaverit et ecclesiam Romanam fundaverit?

Ad hanc quaestionem respondemus:

1. Petrus ante annum 42. Romam venire vix potuit;
2. Romam abire potuit post liberationem suam e carcere anno 42. aerae vulg. coll. Act. c. 12.;

---

[1] *Ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ὑδρισαμένον τὴν ἐκκλησίαν.*

[2] *Πέτρος — — καὶ ἐπὶ τέλει ἐν Ῥώμῃ γενόμενος ἀνεσκολπίσθη κατὰ κεφαλῆς, οὕτω αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. Τὶ δεῖ περὶ Παύλου λέγειν — — ὕστερον ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος μεμαρτυρηκότος. — Ταῦτα Ὠριγένης κατὰ λέξιν ἐν τρίτῳ τόμῳ τῶν εἰς τὴν γένεσιν ἐξηγητικῶν εἴρηται.* Euseb. h. e. III. 1.

[3] Hugo Grotius in adnot. in I. Petri 5, 13. neminem vere Christianum esse dicit, qui Petrum Romae fuisse neget. E receutissimis Olshausen in introd. in ep. ad Rom. pag. 39. ait: „Die Anwesenheit Petri in Rom in späterer Zeit und sein Martertod daselbst sind historisch so beglaubigte Facta, dass sie niemals hätten in Zweifel gezogen werden sollen. Zuvörderst nämlich berichtet der bekannte römische Presbyter Gajus, der heftige Gegner der Montanisten, dass zu seiner Zeit (gegen Ende des II. Jahrhunderts) die Graber der Apostel in Rom gezeigt wurden. Erwägt man, dass er in Rom selbst schrieb, dass er die Localitäten (am Vatican nnd an der Strasse nach Ostia) genau angibt: so ist undenkbar, dass in dieser Angabe ein Irrthum sein könne, weil Tausende ihn sofort hätten widerlegen müssen. Starben die Apostel in Rom, so konnte bei öffentlicher Hinrichtung derselben ihr Tod, so wie der Ort, wo ihre Leichname ruhen, unmöglich verborgen bleiben; starben sie nicht daselbst, so konnte unmöglich so früh die Tradition entstehen, dass sie daselbst gestorben wären, man müsste denn annehmen, dass die ganze Gemeinde aus lauter Betrügern bestanden hätte, und überdiess hätte sich dann irgend eine andere Angabe über den Ort des Todes Petri kundgeben müssen, da die berühmtesten unter den Aposteln doch nicht verschwinden konnten, ohne eine Spur zu hinterlassen. — — Da nun keine andere Stadt des Alterthums sich diese Ehre anmasst, die Apostel aber doch irgendwo gestorben sein müssen: so ist in der That unangemessen, diese so beglaubigte Nachricht zu bezweifeln.“ Cfr. Credner: Einleitung in's N. T.

3. hoc tempore et serius revera Romam est profectus.

Ad 1. *Si actus App. consulamus, invenimus, Petrum ante ann. 42. Romam proficiscendi tempus vix habuisse opportunum;* nam ibid. 8, 14. Petrus una cum Joanne Ap. ad Samaritanos missus esse legitur; 9, 32., postquam adnotatum erat, ecclesias per Judaeam, Galilaeam et Samariam nova in dies cepisse augmenta, additur, Petrum per universas ecclesias profectum venisse Lyddam, quae 15 milliariis ab Hierosolymis distabat, indeque Joppen discessisse. C. 10. narratur, quomodo Caesareae Cornelium centurionem ad Christum perduxerit, et Hierosolymam reversus res gestas exposuerit defenderitque. Gal. 1, 19. coll. Act. 9, 26. Paulus post triennium a conversione sua Damasco redux (anno 38. aerae vulg.) Petrum vidisse Hierosolymis refertur, et apud eum 15 dies mansisse. Porro Act. c. 12. Lucas narrat, ab Herode Agrippa Jacobum Majorem esse occisum et Petrum in vincula conjectum, ut post festum paschale morti traderetur, attamen ab angelo a carcere liberatum in alium abiisse locum.

Ad 2. *Petrus e carcere liberatus Romam venire potuit,* cum ab illo tempore usque ad concilium Hierosolymitanum, i. e. ab anno 42—52. de ejus praesentia in Oriente et de activitate nihil commemoretur. Post concilium illud, cui Petrus intererat (Act. c. 15.), Antiochiam venisse legitur Gal. 2, 11., abhinc vero de factis ejus fatisque in s. scriptura nihil amplius narratur. Ultimis Claudii annis Petrus Romam vix rediit, cum hoc tempore coll. Act. 18, 2. Judaei et Judaeochristiani Romani exules essent facti; denuo autem Romam veniendi opportunitas, imo quodammodo necessitas sese offerebat anno 54., quo Claudius diem obiit, cum Nero, successor ejus, primis quinque imperii annis benignum se exhiberet et decreta Claudii rescinderet, ita ut Judaeis et Judaeochristianis exulibus Romam reverti liceret.

Ad 3. *Petrum Paulo prius, ergo ante annum 61. Romam venisse, probatur:*

*a) e traditione* antiquorum asserentium aut supponentium, s. Petrum per longiorem annorum seriem ecclesiae Romanae praefuisse episcopum, quae traditio conservata est apud Eusebium,[1] s. Epiphanium,[2] s. Hieronymum,[3] Paulum Orosium,[4] s. Leonem P.,[5] Lactantium.[6]

*b) Ex epistolae ad Romanos indole;* nam auctor ecclesiam Rom. tempore hujus epistolae scriptae jam (anno 58.) delineat florentem coll. 1, 8. 16, 19.; 1, 11. non docendi causa se Romam venturum esse dicit, sed ut lectoribus aliquid impertiretur gratiae spiritualis ad eos consolandos, quod v. 12. explicatur verbis: id est, simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam;[7] imo

---

[1] Eus. h. e. II. 13. coll. c. chronico.
[2] Epiph. haeres. 27.
[3] Hieronym. de viris illustr. ad nomen Petri.
[4] Paul. Oros. VII. 4.
[5] Leo P. in sermone de ss. Apostolis Petro et Paulo.
[6] Lactant. de morte persecutorum.
[7] Quare Theodoretus, sagacissimus rerum christianarum indagator, in com-

12, 1. seqq. Paulus supponit, varia Spiritus s. dona Christianis Rom. jam esse collata, et plures conventus sacros frequentari, quin antiquorum quis narret, ante primam Pauli captivitatem (anno 61—63.) praeter Petrum Apostolorum alium unquam venisse Romam.

*c) E Marci praesentiâ Romae in prima Pauli captivitate* coll. Coloss. 4, 10.; nam illa facillime explicatur, si a Petro, cujus erat interpres, in Orientem revertente erat relictus.

*d) Ex rei natura;* etenim ab Apostolis orbis metropolim ad illud usque tempus, quo Paulus captivus in eam erat abductus (ann. 61.), plane esse neglectam, haud est probabile.

Quae cum ita sint, nihil obstat, quominus statuamus, Petrum primâ vice Romam venisse anno 42. post liberationem suam e carcere; dein post reditum in Orientem (ante annum 52.) primo Neronis tempore, quo Judaeochristiani una cum Judaeis exulibus redierunt Romam, anno circiter 54.; denique post iter in Palaestinam susceptum ante Pauli adventum Romae (ann. 61.), peragrata Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia proconsulari et Bithynia coll. I. Petri 1, 1., anno circiter 66.

Objectio 1. Paulus in sua ad Romanos epistola multos salutat, quin tamen Petri mentionem faciat, quod, si hic illo tempore fuisset Romae, vix omisisset. Porro neque Lucas Act. 28., neque Paulus in epistolis e prima captivitate Romana missis Petri aut meritorum ejus de ecclesia Romana meminit; unde patet, Petrum ante annum 58. Romam non venisse.

Resp. Paulum in epist. ad Romanos Petri non facere mentionem, mirum esse nequit, si perpendamus, Apostolos (excepto Jacobo Min.) uni eidemque loco semper aut per longiorem annorum seriem immorari non consuevisse; quare Apostolus omnino dubius haerere potuit, num Petrus eo tempore Romae degeret. Quod attinet actus App., auctor captivitatem Pauli et ea, quae Romae illo tempore evenerunt, paucissimis absolvit. Denique in epistolis, quae a Paulo Romae in prima captivitate scriptae sunt, Apostolus neque mentionem facit Petri, quia hic tum temporis Romae non erat, sed ante Pauli adventum Urbe relicta et in Orientem reversus per Asiae minoris provincias iter susceptit, neque de meritorum Petri in ecclesiam Romanam quaedam narrat, quia de hujus statu lectores per nuntios suos certiores reddidit.

Object. 2. Paulus in epist. ad Romanos 15, 20. dicit, se nonnisi in illis regionibus praedicasse evangelium, ubi nemo ante ipsum Christum annunciaverat; atqui si jam ante annum 58. Petrus Romae praedicasset, Paulus Romam proficisci desiderans a principio suo deflectens et inconsequens esset dicendus, quod admitti vix potest.

Resp. Paulum in evangelio praedicando illud sequebatur quidem principium; ast ne inconsequens esse et in messem alienam mittere

---

ment. suo ad caput 1. ep. ad Rom. recte dicit: „Quia primus eis Petrus magnus doctrinam evangelicam praebuit, necessario intulit: Ad confirmandos vos. Non enim inqnit, aliam doctrinam vobis afferre, sed eam, quae jam oblata est, confirmare, et arbores jam plantatas irrigare volo."

videretur falcem, quasi excusaturus, quod illo principio non obstante Romam proficisci desideret, v. 23. et 24. statim addit: *„Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam praecedentibus annis: cum in Hispaniam proficisci coepero, spero, quod praeteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero."* — Praeterea Paulus, qui coll. Act. 22, 21. Rom. 1, 5. 6. Gal. 2, 9. al. ethnicorum praecipue erat Apostolus, utique magno desiderio Romam quoque veniendi non poterat non teneri, in hac urbe a Petro Judaeis, si non exclusive, saltem potissimum evangelium praedicatum esse persuasum habens.

Object. 3. Epistolae ad Romanos exarandae scopum fuisse componere lites in ecclesia Rom. ortas, communis est eruditorum sententia; ast si Petrus aut illo tempore aut paulo ante fuisset Romae, quomodo lites illae oriri potuerint, aut cur revera ortae a Petro non essent extinctae, plane non perspicitur.

Resp. Epistolae ad Romanos indoles talis est, quae prodat, Paulum non lites in ecclesia illa ortas componere, sed doctrinam suam liberaliorem exponere ac defendere voluisse, sicque lectores ad suum adventum praeparare, ut in introd. in ep. ad Rom. ostendemus.

## §. 141.

**Tempus, quo tria evangelia priora scripta sint, accuratius determinatur.**

1. In conclusione actuum App. certius et clarius invenitur indicium, quo tempore tum opus hoc sit finitum, tum evangelium Lucae exaratum; illud nimirum anno 63., hoc intra annos 58—60.

2. Evangelium Marci Romae scriptum est Petro superstite et ab eodem approbatum. Dum Petrus primo Romae praedicaret, Marcus evangelium suum literis consignare non potuit, quia illo tempore non Petri, sed Pauli et Barnabae erat comes (Act. 13, 5—13.). Cum Petrus ante mortem suam Romae versaretur, Marcus ibidem aderat quidem (coll. I. Petri 5, 13.), ast serius demum ex Asia minori a Paulo per Timotheum advocatus (coll. II. Tim. 4, 11.). Quare eidem ad evangelium scribendum tempus magis opportunum vix assignari potest, quam illud, quo altera vice Petri comes erat Romae ab anno 54—58.

3. Quodsi, ut §. 136. ostendimus, ordini, quo evangelia nostra in antiquis monumentis sese excipiunt, momentum chronologicum est tribuendum: Matthaei evangelium ante illud Marci, ergo ante annum 54. scriptum sit necesse est; quo autem anno id factum sit, determinari nequit. Attamen probabilitate non caret sententia, Apostolos post persecutionem contra se ab Herode Agrippa anno 42. motam (Act. 12.), in orbem terrarum esse dispersos, et proinde etiam Matthaeum evangelio suo scripto ad exteros esse transgressum.

Object. 1. Marcus alterius itineris Petri Romam facti comes non erat; nam post concilium Hierosolymitanum (ann. 52.) Antiochiae

dissensione ortâ inter Paulum et Barnabam hic cum Marco navigavit in insulam Cyprum (Act. 15, 36—40.).

Resp. Petrus ante mortem Claudii ann. 54. vix reversus est Romam, sed demum biennio circiter elapso post alterius missionis Pauli initium. Intra hoc vero temporis spatium Marcus ad Petrum vel Hierosolymam vel Antiochiam reverti eique sese associare potuit.

Object. 2. Illi temporis, quo tria priora evangelia scripta sint, determinationi adversatur *Irenaeus,* testis antiquissimus et fide dignissimus, qui in loco adv. haeres. supra §. 138. allato dicit, evangelium Matthaei esse scriptum, dum Petrus et Paulus Romae praedicarent et ecclesiam fundarent, ergo anno circiter 66. aut 67., evangelium vero Marci et Lucae edita esse post utriusque Apostoli martyrium, quod procul dubio designatur verbis: *μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον* (cfr. II. Petr. 1, 15.).

Resp. S. Irenaeus tum aliunde, tum ex epistola ad Romanos procul dubio scivit, Romae ecclesiam christianam floruisse, antequam Paulus eo venisset; si autem hoc scivit, fundationi ecclesiae Romanae et evangelii Matthaei origini assignare non potuit tempus, quo Petrus et Paulus sub finem vitae Romae simul praedicarunt, neque per *ἔξοδον τούτων* designare utriusque Apostoli mortem. Potius itaque s. Irenaeus per tempus ecclesiae Romanae a Petro et Paulo fundatae et evangelii Matthaei scripti non aliud intellexisse censendus est, nisi circiter illud, quo prius Petrus et brevi post in prima captivitate Paulus Romae intra annos 42. et 63. praedicarunt, et per *ἔξοδον* utriusque Apostoli discessum ex Urbe intra annos 50. et 63. Qua sententiâ admissâ s. Irenaeus in essentia cum aliis testibus consentit, et necessarium non est, cum nonnullis (Chrystophorson, Fernardent, Hugone Grotio) ad conjecturam criticam confugere, i. e. pro *μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον* legere: *μετὰ δὲ τὴν τούτου* (Matthaei evangelii) *ἔκδοσιν*, neque virum doctum ignorantiae arguere.[1]

Object. 3. Plurium codicum subscriptiones evangelium Matthaei annis octo, illud Marci annis decem post Christi in coelum ascensionem, ergo illud anno 41., hoc anno 43. aerae vulg. scriptum esse testantur.[2] Idem confirmant Euthymius Zigabenus et Theophylactus.

Resp. Tum codices minusculi, qui subscriptiones illas continent, tum Euthymius et Theophylactus recentiores sunt, quam ut testes fide digni haberi possint.

---

[1] Cfr. Scholz Einleitung in die Evangelien p. 11. nota i, et Einleitung in die Apacalypse p. 56.

[2] Cfr. Scholz: Novum Test. graece P. I. prol. p. XIX. seqq., ubi codices nominantur, qui evangelium Matthaei scriptum esse dicunt *μετὰ χρόνους ή τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως*, de evangelio Marci: *ἐξεδόθη μετὰ χρόνους δέκα τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως*. Euthym. ad Matth. I. p. 15.: *Ἔγραψε δὲ πρῶτος ὁ Ματθαῖος τὸ προκείμενον εὐαγγέλιον μετὰ ὀκτὼ ἔτη τῆς τοῦ Χριστοῦ ἀναλήψεως.* Theophyl. in comment. in Matth. proem.: *Ματθαῖος — ἔγραψε τὸ εὐαγγέλιον — μετὰ ὀκτὼ ἔτη τῆς Χριστοῦ ἀναλήψεως.* Evangelio Marci edito Euthymius et Theophyl., ut subscriptiones, decimum annum post Christi in coelum ascensionem assignant.

## IV. Evangelium s. Joannis.

### §. 142.

#### De Joanne Apostolo.

*Joannes* Zebedaei, piscatoris Galilaei et Salomae erat filius (Mt. 4, 22. 27, 56. Mr. 15, 40.), frater Jacobi Majoris, natus Bethsaidae ad lacum Gennesareth sitae, ut colligere licet e familiaritate ejus cum Petro et Andrea (Mt. 4, 18—21. Luc. 5, 8—10.), qui erant Bethsaidâ oriundi (Jo. 1, 45.).

Parentes ejus opibus non erant destituti; nam Zebedaeus in piscatura exercenda mercenarios habebat adjutores, et Salome in numero earum matronarum piarum recensetur, quae Christo et Apostolis victum suppeditabant (Luc. 8, 3. Mt. 27, 56. Mr. 15, 41.), nec non ad corpus ejus ungendum pretiosa aromata emerunt (Luc. 23, 55.), unde quoque intelligimus, cur Jesus in cruce matrem suam Joanni commendaverit, hicque eam in domum suam recipere potuerit (εἰς τὰ ἴδια Jo. 19, 26. 27.); denique summo pontifici notus erat (Jo. 18, 15.), quod ipsum meliorem familiae ejus conditionem innuere videtur. His in adjunctis Joannis ingenium institutione convenienti vix carebat, neque tamen in schola quadam rabbinica legis studio operam dederat; nam Act. 4, 13. adnumeratur ἰδιώταις, quo nomine Pharisaei omnes compellare solebant, qui non erant rabbinorum discipuli (תַּלְמִידֵי חֲכָמִים). Cum fratre suo Jacobo, qui Major dicitur, cum Simone et Andrea inde a juventute sua patri in opificio exercendo adjutrices porrexisse videtur manus (coll. Luc. 5, 7. 10.). Pietas matris procul dubio effecit, ut animus ejus primâ jam aetate ad Deum resque divinas dirigeretur. Rerum divinarum studio ductus Joannem B. adiit in deserto proximum Messiae adventum annunciantem, et ejus discipulus factus est (Jo. 1, 35—40.). Ibi verbis motus magistri, qui Jesum agnum Dei declaravit, qui tollit peccatum mundi, cum Andrea, Simone Petro, Philippo et Nathanaële Jesu sponte sese associavit, serius vero ad lacum Gennesareth cum Petro, Andrea et Jacobo fratre vocatus est, et postea in Apostolorum numerum assumtus. In Apostolorum collegio Joannes et Jacobus frater cum Simone Petro principem tenuerunt locum (Luc. 8, 51. 9, 28. Mt. 26, 37.). Inter hos tres autem Jesu maxime familiares Joannes singulari fruebatur amore magistri, ita ut in ultima coena in sinu ejus recumberet, quod, suppresso tamen ob modestiam suo ipsius nomine, in pluribus locis innuit (13, 23. 19, 26. 20, 2. 21, 20.). Ast etiam Joannes Christo toto animo erat addictus; nam cum Jesus in horto Gethsemane ab adversariis comprehensus abduceretur et reliqui discipuli fugam cepissent: Joannes impavidus sequebatur magistrum, nec tempore passionis et mortis ab eo recessit, et matrem Domini suam accepit (Jo. c. 19.).

Post reditum Christi in coelum per plures annos Hierosolymis remansit, et cum Petro in regno Dei firmando dilatandoque eminentem tenuit locum; nam post effusionem Spiritus s. cum Petro primum

miraculum patravit, in templo praedicavit, et pro nomine Jesu contumeliam passus est (Act. 3, 1—4, 21.); cum Petro ad Samaritanos conversos abiit, ut eis dona conferrentur Spiritus s. (Act. c. 8.), et cum Petro et Jacobo Minore seu Justo columna habebatur ecclesiae (Gal. 2, 9.).

Quamdiu Joannes Hierosolymis et in Judaea remanserit, determinari nequit; secundum traditionem antiquam usque ad mortem Mariae anno 48. p. Ch. natum [1] Hierosolymam ad longius tempus non deseruit. Cum Paulus post triennium a conversione sua anno 38. aerae vulg. venisset Hierosolymam, praeter Petrum et Jacobum Minorem Apostolorum neminem vidit (Gal. 1, 19.); cum autem anno 52. ab ecclesia Antiochena ob legis observationem Hierosolymam esset missus, concilio etiam Joannes intererat (Gal. 2, 9.); ejus vero non fit mentio, cum Paulus ultimâ vice ante captivitatem suam ecclesiam Hierosolymitanam anno 58. inviseret. Id autem certum est, Joannem anno 58., imo anno 63. aerae vulg. nondum fuisse Ephesi, ubi serius, ut s. Polycarpus, s. Ignatius, s. Irenaeus, Clemens Al., Polycrates, Eusebius et alii testantur, [2] Asiae minoris ecclesiarum erat praesul; nam neque in oratione Pauli, qua presbyteris Ephesinis Mileti valedixit (Act. 20, 17. seqq.), neque in epistolis ad Ephesios et ad Colossenses Romae scriptis Joannis fit mentio. Procul dubio itaque ipse Paulus e prima captivitate Romana in Orientem reversus, aut ejus captivitas altera et mors Joannem permovit, ut in eas transiret regiones, quae firmo sapienteque antistite ac duce summopere indigebant. Ut ex apocalyp. c. 2. et 3. discimus, ibidem septem praecipue ecclesias regebat: Smyrnensem, Pergamensem, Thyatirensem, Sardinensem, Philadelphiensem, Laodicensem et Ephesinam. Illam temporis determinationem *s. Irenaeus* confirmat, qui (adv. haeres. III. 2.) testatur, Ephesi post Paulum puram doctrinam a Joanne esse promulgatam.

Etiam Romae Joannes Christo testimonium edidit; etenim referentibus Tertulliano et s. Hieronymo ibidem in oleum igneum demersus nihil passus est et in insulam Patmos relegatus. [3] Joannem in insulam Patmum, quae olim inter sporadas numerabatur, ab imperatore Christianis inimico esse relegatum, omnis antiquitas christiana testatur; de tempore vero hujus exilii neque antiqui, nec recentiores consentiunt; alii enim *Claudium* imperatorem nominant, alii *Neronem*, alii *Domitianum*. Ultimam sententiam verosimillimam esse, in introductione in apocalypsin probabimus. Ex insula revocatus per reliquum vitae suae tempus Ephesinam aliasque Asiae minoris eccle-

[1] Cfr. Nicephorus h. e. II. 42. Baronius Annal. eccl. ad annum 48.

[2] Cfr. Iren. adv. haer. III. 3. IV. 1. 11. II. 22. Eus. h. e. III. 23. V. 24.

[3] Tertull. de praescript. c. 36.: „Ista quam felix ecclesia (Romae), cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Domini adaequatur, ubi Paulus Joannis (Baptistae) exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.“ Cfr. Hieronym. in comment. in Mt. 20, 22., contra Jovin. I. 26.; Eus. demonstr. evang. III. 5.

sias gubernavit.[1] Ut Origenes et s. Hieronymus referunt, *mortuus est Ephesi.*[2] Quo autem aetatis anno obierit, antiqui non concordant, quamvis omnes, excepto Isidoro Hispalensi, qui eum aetatis anno 89. mortuum esse refert, eundem nonagenario majorem imperante *Trajano* e vivis discessisse credant. Neque in determinando imperantis Trajani anno conveniunt.[3]

Quod Joannis characterem attinet, praeditus erat animo tenerrimo, quo Christo ejusque causae tanto amore ac fervore totum sese tradebat, ut ab initio in adversarios quoscunque vehementius exardesceret. Sic Luc. 9, 54. seqq. legimus, eum cum Jacobo fratre ignem de coelo descendere desiderasse in eos, qui Jesum in oppidum suum recipere recusarunt, et propter hanc ipsam animi vehementiam hi Zebedaei filii *Boanerges* vocati sunt (Mr. 3, 17.). Haec autem vitiosa animi vehementia per Christi consortium ac doctrinam et per Spiritus s. influxum sensim mitigata in eam transiit characteris firmitatem et ardorem sobrium, quo ex amore Dei ac proximi causam Christi strenue agebat et contra adversarios quoscunque intrepidus propugnabat. Huic summo Apostoli erga Deum et proximum amori et ardenti animarum salutis promovendae zelo prorsus convenit narratio *Clementis Al.* de juvene praestantissimae indolis, qui, cum ab Apostolo cuidam episcopo esset traditus et commendatus, ab hoc neglectus latro et latronum dux evasit, a Joanne vero ad meliorem frugem est reductus;[4] porro de repetita saepe a Joanne jam grandaevo charitatis commendatione,[5] et denique s. Irenaei relatio a s. Polycarpo tradita, Joannem e balneo, in quo Cerinthum esse audierat, cum comitibus celeriter fugisse timentem, ne corrueret domus, in qua veritatis versaretur inimicus.[6]

Praeterea Apostolus mente gaudebat contemplativâ in res non in sensus cadentes directâ, qua per Spiritum s. perfectâ metaphysica religionis christianae objecta veluti oculis intuens ad altiorem et veram scientiam (gnosin) evexit, quemadmodum Paulus partem doctrinae christianae ethicam in systema redegit principiis a Christo suppeditatis subnixam.

Ceterum quae s. Paulus de Jesu Christi persona et opere, deque salute per fidem in eum adipiscenda tum ore, tum literis tradidit, et ob quam doctrinam innumeros adversarios sibi paraverat et calamitates gravissimas subierat, in scriptis s. Joannis egregie confirmantur.

---

[1] Clemens Alex. ap. Euseb. h. e. III. 23.; Irenaeus adv. haeres. III. 1.
[2] Orig. ap. Euseb. h. e. III. 20. 31. V. 24. Hieronym. de script. eccl. c. 9.
[3] S Epiphan. haer. 51. 12. Joanni 94 vitae annos tribuit, s. Chrys. homil. de Joanne 120.
[4] Clemens Al.: Quis dives salvus c. 42.
[5] S. Hieronym. in comment. in ep. ad Gal. VI. 10.
[6] S. Iren. adv. haeres. III. 3. 4.

## §. 143.

### Occasio et scopus evangelii.

1. Evangelii scribendi occasionem s. Joanni praebuerunt errores varii, qui in Asia minori erant orti, et amicorum atque episcoporum preces. Primum ex ipso libro et e I. Joannis epistola edocemur, alterum e traditione. Sic *Clemens Alex.* dicit: Joannem, quum postremus vidisset, in evangeliis corporalia (Jesu) esse publicata, a familiaribus motum et Spiritu s. afflatum spirituale composuisse evangelium,[1] quod uberius exponit auctor fragmenti apud Muratorium,[2] quae relatio, si est vera, Joannem nomine omnium discipulorum evangelium scripsisse docet, unde usus pluralis 1, 14. et 21, 24. explicatur. Eandem occasionem nominat s. Hieronymus.[3]

2. S. Joannes consilium habuit *a)* historicum, neque tamen *b)* pure historicum, sed historico-dogmaticum, et denique *c)* polemicum.

Ad *a*. Joanni consilium erat ***historicum***, non vero id, ut plene exhaustam vitae Jesu Christi delinearet historiam, sed ut augeret summam cognitionum, quas lectores jam tenebant e tribus prioribus evangeliis haustas. Primum e libri argumento ac dispositione patet, et ex auctoris ipsius effato; nam non tantum collatis prioribus evangeliis multa praetermisit et inter haec gravissima quoque; sed etiam ea, quae narravit, nonnunquam ita conjunxit, ut lector, nisi aliqua saltem vitae Jesu cognitione gauderet aliunde haustâ, de factorum serie maxime ambiguus haereret, v. g. 7, 1. coll. c. v. 2. seqq., 10, 21. coll. c. v. 22., quod certe non auctoris ignorantiae aut scribendi imperitiae, sed consilio est attribuendum; porro ipse 20, 30. et 21, 25. testatur, multa alia fecisse Jesum, quae non sint scripta in libro hoc. — Alterum, Joannem complere voluisse tres priores evangelistas, jam antiqui animadverterunt, ut *Eusebius* h. e. III. 24. et *Theodorus Mopsuestenus* in catena in evangelium Joannis, et tum e locis quibusdam, ut e 3, 24. coll. c. Mt. 4, 12., e 11, 2. coll. c. Luc. 7, 36. seqq., e 18, 13. coll. cum Mt. 26, 57., tum inde colligitur, quod maximam partem talia narrat, quae Hierosolymis et in Judaea acta tres priores evangelistae reticuerunt.

Ad b. ***Evangelistae non solum hoc fuisse consilium mere historicum, sed eum historico-dogmaticum prosecutum esse scopum***, probatur:

---

[1] *Τὸν μέντοι Ἰωάννην ἔσχατον συνιδόντα, ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς εὐαγγελίοις δεδήλωται, προςτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορηθέντα, πνευματικὸν ποιῆσαι εὐαγγέλιον.* Apud Euseb. h. e. VI. 14.

[2] Cohortantibus condiscipulis et episcopis dixit (Joannes): Jejunate mihi hodie tridno, et quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eâdem nocte revelatum est Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Joannes suo nomine cuncta describeret.

[3] Praef. in Mt.: Joannes, cum esset in Asia (etiam tum haereticorum semina pullularunt), coactns est ab omnibus paene tunc Asiae episcopis et multarum ecclesiarum legationibus de divinitate illius scribere. Cfr. de viris illustr. c. 9.

α) *Evangelii exordio seu prologo*, utpote quo auctor lectores non tam ad historiam narrandam disponere, quam potius ad certam sententiam de persona historica efformare conatur.

β) *Modo eventus historicos narrandi*, qui talis est, ut non simpliciter ostendatur, quid Christus variis occasionibus fecerit aut dixerit; sed diligenter fere ubique adnotetur, ipsa haec dicta aut facta Jesu motiva suppeditasse variis hominibus in eum credendi, ut 1, 33. 34. 48. 49. 2, 11. 23. 3, 2. 4, 19. 42. 53. 6, 14. 15. 69. 70. 7, 40. 41. 46. 9, 32. 33. 38. 11, 27. 32. 45. 12, 11. Plures ejusdem generis adnotationes non alio consilio adeo diligenter adpositae sunt, nisi ut lectoribus etiam suppeditentur motiva ad tenendam eamdem de Jesu sententiam, quam tenuerunt illi, qui in his narrationibus testes praesentes repraesentantur. — Extra dubium denique ponitur

γ) *loco 20, 31.*, qui ipsam exprimit sententiam, quam auctor demonstrare voluit, dicens: „*Haec autem scripta sunt, ut credatis, Jesum esse Christum, Dei Filium, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*" Joannem verbis illis non ad ultimum solum caput, sed ad integrum respexisse evangelium, praemissa libri hujus mentio docet; eum Jesum Christum sensu proprio Dei Filium declarasse, integrum evangelii argumentum probat; nam Jesu Christo talia tribuuntur praedicata, quae nemini conveniunt, nisi Deo (cfr. prolog., 1, 47. 2, 24. 25. 3, 31. 35. 5, 17. 28. 29. al.). Sapienter itaque Joannes, dum scopum dogmaticum in scribendo prosequeretur, hunc in finem talibus usus est narrationibus, quibus simul augeretur perficereturque lectorum cognitio, quam e lectione priorum evangeliorum jam erant adepti.

Ad c. *Joannes consilium habuit polemicum, attamen non directum et speciale, sed indirectum et generale,* quod sequentibus probatur:

α) Sapientis auctoris est, lectorum, in quorum gratiam scribit, adjuncta et indigentias respicere, nec dicere, quae hisce non conveniant, neque omittere, quae necessaria sint. Jam vero tempore, quo Joannes evangelium scripsit, ut e prima ejus epistola simul missâ constat, varii errores, praecipue de Jesu Christi persona spargebantur in Asia minore; quare Apostolum talium errorum rationem habuisse supponere fas est, et proinde character polemicus evangelio abjudicari nequit. Attamen

β) *Joannes non certam errorum impugnavit speciem;* nam de quacunque cogites, sive *de Cerintho aut de Nicolaitis* cum s. Irenaeo, sive *de Valentinianis* cum Victorino, sive *de Docetis aut de Joannis Bapt.* discipulis cum recentioribus: ejus non per totum librum rationem esse habitam, argumentum luculenter ostendit; quare potius consilium Apostoli polemicum fuisse generale, i. e. contra omnes errores certi gêneris directum, statuendum est. *Neque*

γ) *Apostolus errores illos directe impugnavit*; nam illi non aperte commemorantur, eo minus errorum auctores nominantur, quod tamen in opere directe polemico requiritur; hinc s. auctori consilium polemicum erat indirectum, quo ductus talia et eo modo scripsit, quae et quomodo proposita varios errores illos refellerent.

Sed quaeritur:

## §. 144.

**Quinam errores in Joannis evangelio respiciantur?**

Ad hanc quaestionem sequentia observamus:

1. Inter Judaeos cultiores multi dediti erant philosophiae orientali seu babylonicae aut chaldaicae, cujus cultores, qui Magi dicebantur, duplex statuerunt principium, ex ente supremo per emanationem ortum: principium lucis et principium tenebrarum; ab hocce creatum esse tenebant materiam et proinde etiam mundum materialem, qui itaque, ut omnis materia, esset malus; inde pugnam explicabant inter regnum lucis et regnum tenebrarum, et hocce vinci posse ac debere statuebant certa vivendi ratione, certo cultu. Jam Augusti et Tiberii temporibus systema illud philosophicum propagatum erat per Asiam minorem usque in Italiam et in Aegyptum, et Nero multos Magos ex Asia Romam vocavit. Ex eorum numero erat Simon, cujus in Samaria versantis Act. 8, 9. fit mentio; talem Paulus Apost. invenit apud Sergium Paulum in insula Cypro (Act. 13, 8.). Ephesi quoque et in regionibus vicinis Magorum disciplinam fuisse propagatam, colligere licet ex Act. 19, 19., ubi multi libri magici leguntur igni esse traditi ab illis, qui in Christum crediderunt; imo jam prius civitatem illam magiae fuisse deditam, testantur nomina: *ἐφέσια γράμματα*, *ἐφέσια ἀλεξιφάρμακα*.[1] — Judaeorum alii, ut philosophiam ethnicam conciliarent cum libris sacris, docebant: Deo, enti supremo ac spirituali, nullum esse posse cum mundo materiali commercium; hinc diversas statuebant entium altiorum (virtutum, aeonum) emanationes ex ente supremo, iisque mundi creationem ac gubernationem adscribebant. Inter hosce aeones Logos principem tenuit locum. Omnes illi Judaei altiorem sibi adscribebant cognitionem (*γνῶσιν*), et ex eorum principiis magis excultis serius varia enata sunt Gnosticorum systemata.

2. Ecclesia Ephesina a Paulo Apostolo erat fundata, cum in tertio itinere ibidem fere per triennium doceret, „*ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judaei atque gentiles*“ (Act. 19, 10.). Apostolus ibidem invenit duodecim viros, qui non noverant, nisi Joannis baptisma, qui autem relationem hujus baptismi ad illum Christi edocti baptizati sunt in nomen Domini Jesu Christi (Act. 19, 1—8.). Multitudo et magnitudo miraculorum, quae Paulus patrabat (ibid. 19, 11—20.), etiam multos in Asia minore permovit Judaeos, qui profundiorem scientiam sibi adscribebant, ut in Jesum Christum crederent, baptizarentur et ecclesiae sese associarent. Ast altioris suae gnosis opinione inflati doctrinam de persona et opere Jesu Christi ab Apostolis traditam non docili animo receperunt, sed potius gnosi suae conformarunt, sicque in fide naufragium fecerunt (I. Tim. 6, 20. 21.). Ejusmodi pseudochristiani eo periculosiores erant, quo studiosius sententias suas propagare nitebantur.

---

[1] Cfr.: Jamblichi Chalcedonensis ex Coelesyria de mysteriis liber. Edit. a Tom. Gale Oxonii 1678.

Quare Paulus Ap. mature jam conqueritur de quibusdam, qui *„intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones praestant magis, quam aedificationem Dei, quae est in fide, — — volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant“* (I. Tim. 1, 3—7.), et Apostolus necessitatem agnovit, quosdam perversae hujus doctrinae asseclas maxime audaces *„tradere satanae, ut discant non blasphemare“* (I. Tim. 1, 19. 20.). Cum Apostolus Mileti presbyteris Ephesinis valediceret, pericula, quae ex falsorum doctorum conatibus imminerent ecclesiae, clare praedixit (Act. 20, 28—31.). Ex epistolis Pauli ad Ephesios, ad Colossenses et e II. ad Timotheum Romae scriptis, e II. Petri epistola et ex illa Judae ulteriorem Gnosticismi progressum, sive doctrinam spectes, sive vitam, clare intelligimus. Denique s. Paulus necessitatem cognovit, suae ad Romanos epistolae c. 9—11. theodiceam inserendi ratione habita phaenomeni, quod multi quidem ethnicorum ad Christum converterentur, pauci vero Judaeorum, quibus tamen salus messiana proxime esset destinata et promissa. Apostolus procul dubio experientia edoctus sciebat, illud phaenomenon ubique locorum a Judaeis incredulis opponi credentibus, et ad horum fidem labefactandam esse idoneum. Hinc mirum non est, si etiam in Asia minore non deerant Christiani, quorum fides in messianam Jesu dignitatem objectione illa esset infirmata, idque eo magis, cum exspectatus Christi adventus salutem adferens procrastinaretur (cfr. II. Petri 3, 3. seqq.).

Hos itaque et similes errores s. Joannes in Asiae minoris ecclesiis invenit, et eisdem non tantum ore docendo, sed etiam scriptis suis obviam ire, atque fideles a contagionis periculo praemunire voluit, cum in evangelio suo et in I. ep. (coll. 5, 13.) ostenderet: ***Jesum esse Christum, Dei Filium, et per hanc fidem vitam parari aeternam.*** Hinc s. Joannes indirecte impugnavit eos, qui *a)* non Jesum, sed Joannem B. habebant Messiam; qui *b)* non genuinam et qui *c)* non firmam in Jesum Christum, Dei Filium, tenebant fidem.

Ad *a)* · Ad primam classem hominum, quibuscum s. Joanni res erat, pertinebant Joannis B. discipuli, quorum certe non omnes adeo proni erant ad fidem in Christum, ut Ephesii illi Act. 19., potius sententiis suis tenaciter adhaerentes et Christianis adversantes in peculiarem coaluerunt sectam non numerosam quidem, attamen ad nostra usque tempora in Oriente conservatam. [1] Ejusmodi Joannis discipulorum ab Apostolo rationem esse habitam, jam prologus docet, ubi, cum *λόγον* Deum, vitae fontem et hominum lucem dixisset, de Baptista emphatice asseverat: *„Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. — — Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de luce“* (Jo. 1, 4—8.); praeterea ipsius Baptistae repetitis vicibus allegat verba, quibus se non Messiam esse diserte profitebatur, ut 1, 20. 32—34. 36. 3, 25—30.

Ad *b)* Ad eos, qui in Jesum Christum credebant quidem, de

---

[1] Cfr. Norberg Comment. de religione et lingua Sabaeorum in commentatt. soc. reg. scientiarum Gotting. per ann. 1780. vol. 3., et ejusdem: Codex Nazaraeus Halae 1815. et 1816. 3 voll.

persona autem ejus diversos favebant errores, referendus est *α*) *Cerinthus*, s. Joanni coaevus, qui docuit: mundum non a Deo supremo esse creatum, sed a virtute quadam longe diversâ ab illa Principalitate; Jesum non a virgine esse natum, sed aliorum hominum modo a Josepho ex Maria genitum; post baptismum Christum in eum descendisse sub specie columbae, eique altiorem potentiam et sapientiam communicasse, ante passionem vero Jesum deseruisse. Cerinthus itaque Jesum Christum non verum Deum profitebatur Patri aequalem, aeternum, mundi creatorem, omnis vitae et lucis fontem et incarnatum; hinc s. Joannes indirecte non poterat eum non impugnare verbis 1, 1—3. 14.: *„In principio* erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus *erat Verbum. — Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. — Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi* (ut) *unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate.“* Eidem haereticorum classi adnumerandi sunt *β*) Gnosticorum alii, qui Jesum Christum profitebantur quidem Dei Filium, attamen ob sententiam suam de materia mala eum neque mundi creatorem habebant, neque verum corpus humanum, sed nonnisi putativum tribuebant, ideoque *Docetae* dicebantur. Similes opiniones de materia mala ideoque destruenda fovebant alii, qui *Nicolaitae* dicebantur et *Baalamitae;* nam quos s. Petrus in II. ep. 2, 1. sectas introducere dixit et negare eum, qui emit eos, Dominum: eosdem v. 15. sic delineat: *„Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam de Bosor“* (cfr. Judae v. 11. Apoc. 2, 6. 14.); imo ex eadem hominum classe procul dubio jam erant *„Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes, resurrectionem esse jam factam“* (nimirum spiritualem per fidem et baptismum) II. Tim. 2, 17. — Horum omnium ratione habitâ s. Joannes praeter ea, quae 1, 14. coll. c. I. ep. 1, 1. 3. scribit, 19, 35. emphatice affirmat, aquam et sanguinem profluxisse e latere Jesu perforato militis lanceâ, quemadmodum in I. ep. 4, 2. 3. II. ep. 7. professionem, Jesum Christum in carne venisse, verae fidei criterium, et hujus doctrinae rejectionem spiritus antichristiani signum declarat (cfr. Jo. 20, 27.). Ceterum illos haereticos fuisse Judaeos natos, extra dubium collocatur per apocalypsin, in specie verbis ad angelum ecclesiae Ephesinae 2, 2., Smyrnensis 2, 9., Philadelphiensis 3, 9. al. Idem epistolae Paulinae contestantur.

Ad *c)* Etiam debiliorum in fide in messianam Jesu dignitatem Joannem habuisse rationem, ipse docet 20, 31.; praeterea 1, 42. Andream, 1, 46. Philippum, 1, 50. Nathanaëlem, 4, 29. mulierem Sam., 4, 42. Samaritanos, 6, 69. Petri messianam Jesu dignitatem profitentes sistit, imo 4, 26. 10, 24. 25. Jesu ipsius, se Messiam esse, clarum adfert testimonium.

## . §. 145.

### Evangelii dispositio.

Consilium s. Joannis mox expositum in evangelium ejus scribendum, in materiarum delectum ac dispositionem maximum exseruit influxum; nam

1. si Apostolus habuit consilium historicum, non omnia narrandi, sed complendi tria priora evangelia, quae Jesu activitatem potissimum in Galilaea inde a Baptistae captivitate usque ad ultimum pascha delineant: ea narrare debuit, quae a synopticis omissa in Judaea et praecipue Hierosolymis evenerunt tum antequam Joannes in carcerem esset conjectus, tum occasione diversorum festorum, a Jesu Hierosolymis celebratorum. Attamen hoc ipsum non poterat non movere evangelistam ad ordinem chronologicum saltem latiorem accurate servandum. — Utrumque revera factum esse invenimus; etenim Apostolus pauca cum reliquis evangelistis habet communia, et haec etiam ideo solum repetit, ut vel additis notitiis accuratius determinentur, v. g. in historia de Jesu captivitate, damnatione, morte et apparitionibus; vel quia Christo auditores suos de gravissimi momenti doctrinis edocendi occasionem praebuerunt, ut cibatio turbae et adventus Jesu ad discipulos supra mare relate ad sermonem sequentem de pane vere coelesti dato et dando c. 6. Praeterea in evangelio nostro, quia multas continet lacunas e synopticis complendas, tempora et loca, praecipue festa diversa accurate designantur, ita ut lector ejus ope et trium priorum ratione habitâ historiam chronologicam sibi conformando par reddatur. Brevi post publicum Jesu proditum 2, 13. commemoratur festum paschale, dein 5, 1. aliud Judaeorum festum (pentecostes), porro 6, 4. denuo pascha, 7, 2. festum tabernaculorum et 10, 22. sequens festum encaeniorum, et denique 11, 55. pascha, pridie cujus Jesus mortuus est. Joannes ad singulos eventus accuratius determinandos frequenter ipsos dies et horas nominat, ut 1, 29. 35. 39. 43. 2, 1. 4, 43. 6, 22. 7, 14. 37. 8, 2. 12, 1. 12. 13, 1. etc.

2. Si s. Joannes consilium dogmaticum sibi proposuit demonstrandi: Jesum esse Christum Dei Filium sensu metaphysico; sique hanc veritatem indirecte opposuit omnibus, qui de persona Jesu Christi spargebantur erroribus: hunc in finem plura Jesu miracula et sermones ethicos referre haud opportunum erat. Miraculis enim et sermonibus ethicis ea potissimum inerat vis, ut missionem Jesu divinam et dignitatem messianam manifestam redderent; jam vero hanc (praeter Joannis discipulos) omnes fere etiam Gnostici cum orthodoxis tenebant; ast de principio illo altiore, quo Jesus potestate sapientiâque divinâ erat praeditus, Gnostici profundiorem scientiam praetexentes errores varios propugnabant. Ad hos itaque refutandos aptissimi erant sermones dogmatici, in quibus Jesus ipse testimonia edidit de se, de natura sua divina, de relatione sua ad Patrem, ad mundum et in specie ad homines. Hinc Apostolus, quemadmodum ad Joannis asseclas refutandos hujusce, ita ad varios Gnosticorum

surculos impugnandos Jesu de se testimonia factis comprobata et omni dubio majora sibi elegit referenda. Ejusmodi autem testimonia non inerant sermonibus, qui in Galilaea coram hominum turbis, sed qui Hierosolymis coram synedris et Judaeorum eruditissimis a Jesu erant habiti, ideoque a Joanne praecipue selecti et accuratius chartae mandati.

3. E repetita Jesu Christi Hierosolymis praesentiâ narratâ, e miraculorum illis occasionibus patratorum magnitudine, e crescente turbarum admiratione et ad fidem pronitate, e testimoniis Jesu de se numero et claritate auctis, — etiam conspicuum redditur synedrorum odium oriens, crescens et demum summum gradum attingens; nam primo festo paschali illi, qui jam Baptistae non erant amici (1, 19. seqq.), ob templi purgationem animum Jesu adversum manifestant (2, 18. seqq.), ita ut Jesus caute agere necessarium duceret (2, 23. 24.); quum altero festo paralyticum sanasset sabbato et se Dei Filium declarasset: Judaei eum interficere quaerunt utpote sabbati laesorem et blasphemum (5, 18.), ita ut Jesus per longius tempus in Galilaea versaretur (7, 1.). Festo tabernaculorum hierarchae ministros suos ablegant, ut Jesum capiant; irrito hoc conatu et sanis Nicodemi verbis odium eorum coecum magis exardescit (c. 7.), ita ut quemcunque e synagoga ejicere decernant, qui Jesum Messiam profiteatur (9, 22.). Festo encaeniorum Jesum, ut eum condemnare possint, ad apertum et clarum de se testimonium edendum provocant, et hoc edito vim adhibere non audent ob dissensum in populo ortum (10, 24. seqq.). Post Lazari resuscitationem synedri, universalem populi defectionem timentes, Jesu activitati demum finem esse ponendum censent, Caiphas vero, illius anni pontifex, ira plenus melius esse declarat, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat 11, 47. seqq. Quomodo tandem Judaei post solennem Jesu Hierosolymam introitum odio suo internecino satisfecerint, s. Joannes cum reliquis evangelistis refert.

### §. 146.

#### Argumentum.

Evangelium Joannis duas habet partes, ita tamen, ut priori praemissus sit prologus, alteri appendix addita.

*In prologo 1, 1—18.* lectorum attentio ad eas dirigitur sententias dogmaticas, de quibus in sequente historia praecipue agitur, nimirum: de *λόγῳ* in se spectato, in relatione ejus ad Patrem, ad mundum et ad genus humanum; de hominum agendi ratione erga eum ante et post incarnationem et de fructibus salutiferis fidei in eum. Naturâ et efficaciâ *τοῦ λόγου* diverso respectu consideratâ Apostolus transitum sibi parat ad ipsam historiam dicens: *Καὶ ὁ λόγος σάρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*. V. 15—18. identitas Verbi incarnati cum persona Jesu Christi Joannis testimonio probatur, et hoc ab ipso evangelista illustratur.

*In parte I. a 1, 19—12. fin.* narratio incipit a solenni Baptistae

testimonio coram synedrii legatis et coram discipulis edito, quo moti Andreas et Joannes, dein Simon Petrus, Philippus et Nathanaël Jesu sese associant, eum in Galilaeam comitantur, in fide sua in eum miraculo Canae patrato confirmantur. Brevi post Jesus festum paschale Hierosolymis celebrans e templo ementes et vendentes ejicit, de templo corporis sui destruendo et tribus diebus excitando loquitur; ob miracula patrata multi in eum credunt 1, 19—2. fin.

Nicodemus noctu ad Jesum veniens docetur, ad introitum in regnum divinum necessariam esse regenerationem ex aqua et Spiritu s., et Deum ex amore hominum tradidisse Filium, ut omnis, qui credit, vitam habeat aeternam. Dicta Joannes paucis exponit 3, 1—21.

Festo peracto Jesus in vicinia Jordanis commorans per discipulos suos baptizat; Joannis Bapt. discipuli hac de re conqueruntur coram magistro, qui denuo edit de Jesu testimonium 3, 22—36.

Cum Jesus asseclarum numero Pharisaeorum excitasset attentionem, per Samariam abit in Galilaeam, cum muliere Samaritana colloquens se Messiam esse profitetur, et biduo in civitate Sichem manens Messias agnoscitur 4, 1—42. In Galilaea Jesus bene excipitur et ibidem alterum miraculum in filio hominis aulici patrat 4, 43—45.

Jesus ad festum Judaeorum denuo venit Hierosolymam; ob aegrotum sabbato sanatum in vitae periculo versatur; causam suam defendit docendo, se esse Filium Dei, Patri aequalem, cum Patre operantem; se potestate praeditum esse majora adhuc patrandi miracula, mortuos suscitandi et judicandi; facta sua et sacram scripturam sibi testimonium reddere c. 5.

Tempore subsequente Jesus in Galilaea versans ante festum paschae magnam hominum turbam paucis panibus et pisciculis saturat in deserto, inde altera die occasionem repetit in synagoga Capharnaumi de se pane vere coelesti et de carne atque sanguine suo in cibum et potum dando. Capharnaumitae hoc sermone scandalizantur, multi discipulorum offensi abeunt, Petrus vero fidem suam testatur c. 6.

Jesus medio festo tabernaculorum Hierosolymam venit, et sermonibus suis turbas in admirationem abripit, doctrinam suam a Deo esse affirmat, quod partim assensum invenit, partim contradictionem principum sacerdotum, ita ut eum capere desiderent. Mulier adultera adducitur, cui Jesus ab accusatoribus relictae ignoscit, quo facto clarius adhuc de se testatur, asseclas suos ad perseverantiam hortatur, et se eos liberaturum esse promittit. Judaeis offensis et contradicentibus Jesus dignitatem divinam clarissimis verbis sibi vindicat, et ideo lapidationis periculum incurrit c. 7. 8.

Jesus coeco a nativitate visum donat, miraculum hoc accuratissime examinatur et ei occasionem praebet uberius exponendi, se vitam largiri cunctis, qui Patris gratiâ firmiter ipsi adhaereant c. 9—10, 21.

Sententiae de Jesu contrariae clarius manifestantur. Festo encaeniorum Judaei Jesum provocant, ut clare edicat, num sit Messias. Jesus hoc ita affirmat, ut se Dei Filium esse declaret pari cum

Patre potestate et essentia gaudentem; Judaei denuo lapides tollunt, ut projiciant in eum. Jesus a se dictorum veritatem probat factis suis divinis, adversarii autem eum comprehendere quaerunt; quare Dominus in Peraeam abit, et multi ad eum venientes credunt 10, 22—42.

Jesus Bethaniam in vicinia Hierosolymorum redit et Lazarum mortuum suscitat; dum multi in eum credunt, synedrium eum perdendi capit propositum; quare in regionem montanam abit, et in civitate Ephrem cum discipulis suis moratur c. 11.

Jesus sex dies ante pascha Bethaniam venit, inter coenam a Maria, Lazari sorore ungitur, sequente die asello vectus et a turbis Messias salutatus Hierosolymam ingreditur c. 12.

*In parte II. c. 13—20.* Joannes ea narrat, quae partim Jesus coram solis discipulis suis fecit et dixit, partim in captivitate, damnatione, morte et post resurrectionem Domini evenerunt.

Jesus coenam paschalem celebrans Apostolis suis pedes lavat, proditorem suum designat, quo digresso suis sermone longiori valedicens moestos eorum animos erigit spe unionis brevi futurae et promissione Paracleti mittendi; eos ad firmam in se fidem, ad constantiam in pugna imminente cum mundo hortatur, vincentibus beatitatem aeternam promittit, et precibus sacerdotalibus finit c. 13—17.

Jesus in monte Oliveti capitur, ad Annam et Caipham ducitur, a Petro ter negatur, auctoribus sacerdotum principibus et parte pharisaica a Pilato invito flagellatus capitis damnatur et crucifigitur; procurator crucis titulum mutare recusat; milites vestimenta Jesu sibi dividunt; Jesus matrem suam Joanni commendat; crucifixorum crura franguntur, Jesu autem jam mortui latus lanceâ militis perforatur; corpus ejus a Josepho ab Arimathaea et a Nicodemo in monumento novo sepelitur c. 18. 19.

Primâ hebdomadis die Maria Magdalene ad sepulchrum veniens lapidem videt revolutum idque nunciat Petro et Joanni, qui, quum ad monumentum festinassent, non inveniunt, nisi linteamenta posita; his digressis Jesus primo apparet Mariae Magd., dein eadem die vespere foribus clausis congregatis decem, post octiduum, praesente etiam Thoma, undecim Apostolis. Haec historiae pars clauditur evangelistae adnotatione, non omnia Jesu facta miraculosa scripta esse in libro hoc, et scriptorum scopus nominatur.

Appendix c. 21. eum in finem addita est, ut refelleretur nonnullorum opinio, quae ex male intellectis Christi verbis erat orta, Joanni Apostolo esse annunciatum, fore, ut nunquam moreretur. Sequitur solennis de veracitate auctoris contestatio.

## §. 147.

### Quo tempore, ubi et quibus lectoribus scriptum sit hoc evangelium.

Evangelium Joannis ultimum esse scriptum, omnes antiqui consentiunt,[1] et ex modo, quo auctor de locis Hierosolymae vicinis loqui-

[1] S. Irenaeus adv. haer. III. 1.; Clemens Alex. ap. Euseb. h. e. VI. 14; s. Epiphan. haeresi LI. 12.; s. Hieronym. de viris illust. III.

tur (11, 18. 18, 1. 19, 41.), Judaeorum metropolim jam fuisse eversam, colligere licet. Huic sententiae non obstat praesens ἔστιν 5, 1. de Bethesda piscina adhibitum, cum haec bello judaico superstes esse potuerit, utpote incendio non deleta. Quo autem anno, num inter 70. et 80., an serius Joannes scripserit, determinari nequit; *s. Epiphanius* (haeres. 31, 12.) Joannem nonagenario majorem, *Suidas* (ad vocem Ἰωάννης) centenarium scripsisse censent.

Quod attinet evangelii scripti *locum*, s. Irenaeus, testis hac in re gravissimus, Ephesum, [1] Hippolytus, [2] Theophylactus (in proëm. in Joann.) et subscriptiones plurium codicum minusc. Patmum insulam nominant. Auctor synopseos s. scripturae [3] et eum secuti Hug et Scholz utramque sententiam conciliaturi evangelium nostrum in Patmo insula scriptum esse censent, editum vero Ephesi. Praeferendum tamen est testimonium s. Irenaei ex Asia minori oriundi, qui s. Polycarpi, hisque s. Joannis erat discipulus.

*Lectores*, quibus hoc evangelium proxime erat destinatum, censendi sunt Christiani ecclesiarum Asiae minoris, quibus Joannes praeerat, ergo potissimum ethnico-christiani, quod ipso libro confirmatur; nam Apostolus Jesum non Judaeorum Messiam, sed totius generis humani Salvatorem repraesentat; effata V. F. rarius citat; Palaestinae loca accuratius determinat; Judaeorum mores ritusque et nomina hebraica sedulo explicat (cfr. 1, 39. 42. 43.; 2, 1. 3, 23. 4, 5. 6. 8. 5, 2—4. 6, 1. 11, 18. 19, 17. 20. 31. 40.; 2, 6. 13. 15, 1. al.

## §. 148.

### Authentia. [4]

Evangelium nostrum quartum Joanni Apostolo adscribitur. Joannes, ut reliqui evangelistae, semet non directe quidem auctorem nominat; attamen ejusmodi praebet indicia, e quibus ad eum concludere fas est; nam *a*) sese sistit testem Jesu Christi 1, 14.; *b*) se vidisse dicit aquam et sanguinem e latere Jesu profluentem 1, 35.; *c*) Joannem Bapt. nullibi, ut a reliquis evangelistis factum est, per ὁ βαπτιστής ab alio hujus nominis distinguit; *d*) praeter Andream aut Petrum frequenter mentionem facit alterius discipuli, quem autem nunquam nominat (1, 41. 18, 15. 20, 2—4. 21, 7. 20.); *e*) idem designatur per discipulum illum, quem Jesus diligebat, qui in ultima coena in sinu Jesu recubuit, cui Jesus moriens matrem commendavit (13, 23. 21, 20. 19, 26.). Ex hisce omnibus patet, Joannem haberi velle discipulum illum, qui scripsit haec (21, 24.).

[1] Adv. haer. III. 1. *Καὶ αὐτὸς (Ἰωάννης) ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων.*

[2] De 12 Apostolis: *Ἰωάννης δὲ ἐν Ἀσίᾳ ὑπὸ Δομετιάνου τοῦ βασιλέως ἐξορισθεὶς ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, ἐν ᾗ καὶ τὸ εὐαγγέλιον συνεγράψατο.*

[3] Synops. s. script. ap. s. Athanas. tom. II. p. 202.: *Τὸ δὲ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου — — ὄντος ἐξορίστου ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ, καὶ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ ἐξεδόθη ἐν Ἐφέσῳ διὰ Γαΐου τοῦ ξενοδόχου.*

[4] Cfr.: Die Aechtheit des Evangeliums nach Johannes. von Dr. G. K. Mayer. Schaffhausen 1854.

Quod ex ipso evangelio summa cum probabilitate colligitur, per testimonia totius antiquitatis ad certitudinem evehitur. Ut de testimoniis minus claris s. Ignatii, s. Justini M. et Athenagorae,[1] de versionibus antiquis et de librorum sacrorum catalogis nihil dicamus: in omnibus ecclesiae partibus Joannes Apost. semper evangelii nostri auctor est declaratus, ut contestantur orthodoxi, heterodoxi, imo et religionis christianae adversarii.

1. *Orthodoxi*:

*Theophilus Antioch.* (circa ann. 170.) in opere suo ad Autolicum (III. 22.) Joannem diserte nominat evangelii nostri auctorem, et locos quosdam e cap. 1. adfert.[2]

*S. Irenaeus*, cujus de authentia evangelii nostri persuasio testimonio nitebatur ecclesiae Smyrnensis et Ephesinae atque s. Polycarpi, s. Joannis discipuli, plures locos evangelii hujus adfert in opere adv. haeres. III. 11., et eodem libro III. c. 1., quum de Matthaei, Marci et Lucae evangeliis mentionem fecisset, addit, postea etiam Joannem, discipulum Domini, qui ad pectus ejus recubuit, edidisse evangelium, cum Ephesi in Asia commoraretur.[3]

*Clemens Alex.*, qui Joannem, quum priora evangelia σωματικά essent, πνευματικόν dicit scripsisse evangelium. Item in stromatum libris locos Joannis adfert, omisso tamen auctoris nomine, uti Jo. 10, 10. 15. 11, 12. 20, 29.

*Tertullianus* (ab anno 192—211. florens), auctoritatem ecclesiarum apostolicarum patrocinari dicit evangeliis nostris, quae per illas et secundum illas habemus.[4]

*Origenes* (nat. 186. p. Chr.), inter scriptores ecclesiae antiquos eruditissimus, qui pluribus itineribus susceptis multarum ecclesiarum traditionem de sacris libris collegerat, — quatuor nostra evangelia dicit *μόνα ἀναντίῤῥητα ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ*; praeterea commentarium in evangelium Joannis scripsit, cujus fragmenta supersunt.

Hisce testibus, qui universum terrarum orbem christianum repraesentant, recentiorum testimonia addere superfluum foret.

2. *Heterodoxi:* Heracleon, Montanistae et Tatianus.

*Heracleon*, Gnosticus, qui prima parte saec. II. vixit, graecum in Joannis evangelium scripsit commentarium, cujus particulas multas Origenes servavit.[5]

*Montanistae*, quae secta saec. II. invaluit, sua de Paracleto somnia e diversis evangelii nostri locis confirmare conabantur.

---

[1] Cfr. s. Ignat. ad Philadelp. c. 7. 9., ad Rom. c. 9.; s. Justin. Martyr. in dialogo cum Tryphone et in apolog. II.; Athenagor. in apolog. pro Christianis.

[2] *Ὅθεν διδάσκουσι ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ, καὶ πάντες οἱ πνευματόφοροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν κ. τ. λ.*

[3] *Ἔπειτα Ἰωάννης, ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων.*

[4] Adv. Marc. IV. 2. 5. „Auctoritas ecclesiarum apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthaei.“

[5] Cfr. Grabe: Spicilegia Patrum II. 85. seqq.

*Tatianus*, s. Justini Martyris discipulus,[1] in oratione contra Graecos citat Jo. 1, 3. et 5. Praeterea ejus evangelium, *διὰ τεσσάρων* dictum, procul dubio e quatuor evangeliis canonicis, et proinde etiam ex illo Joannis erat concinnatum.

3. *Religionis christ. adversarii: Celsus, Porphyrius* et *Julianus apostata,* authentiam evangeliorum nostrorum agnoverunt, et solum eorum argumentum impugnarunt.[2] Effata plura evangelii Joannis a Celso impugnata Origenes commemorat in opere suo contra Celsum II. 31.

Evangelium Joannis non quidem agnitum est ab Ebionitis, a Nazareis, ab Alogis, a pluribus sectis gnosticis, a Manichaeis; attamen sectae illae, ut de aliis rationibus nihil dicamus, cum orthodoxorum testium nube et cum universalis ecclesiae consensu comparatae vix in censum veniunt.

## §. 149.

### Integritas.

Authentia pericopae a 7, 53—8, 11. et integri capitis 21., atque proinde evangelii nostri integritas a pluribus in dubium vocatur aut plane negatur.

I. Pericopa illa de muliere adultera rationibus internis et externis impugnatur.

A) *Rationes internae:*

1. Re in se consideratâ probabile non est, Pharisaeos ac legisperitos, vehementissimos Jesu adversarios, munus ei tribuisse honorificum, ut judicem ageret de muliere adultera.

Resp. Non ut munus Jesu tribuerent honorificum, sed ut quaestionem ei proponerent captiosam, adulteram adduxerunt, ut eum accusandi invenirent occasionem.

2. Quaestio Christo proposita nequaquam erat captiosa; nam si poenam lege statutam decrevisset, nihil aderat, cujus eum accusarent.

Resp. Quaestio proposita omnino erat captiosa; si enim Jesus lapidationis poenam decrevisset, eum apud procuratorem accusassent, quod Judaeos sollicitaret ad infligendam capitis poenam Romanorum legibus contrariam; nam juxta illorum codicem criminalem neque adulterium morte erat puniendum, neque lapidationis supplicium ullo in casu licitum. Quodsi vero Christus mitiorem tulisset sententiam, eum coram synedrio Moysis contemtorem et legis violatorem arguissent, et simul auctoritatem ejus in populo imminuissent.

3. Legisperiti non potuissent lapidationem nominare poenam in adulteram lege statutam; nam Deut. 22, 22. Levit. 20, 11. de solo mortis supplicio sermo est.

Resp. Deuter. 22, 23. 24. lapidationis poena revera statuitur in sponsam, quae in civitate a quodam fuerit corrupta, et in ipso forni-

[1] Irenaeus adv. haeres. I. 31.
[2] Cfr. §. 92.

cationis actu deprehensa. Cum vero legisperiti lapidationis poenam commemoreut: quis demonstrare valeat, feminam vulgarem fuisse adulteram, et non sponsam in urbe violatam, ergo non actum esse de casu speciali, quem lex Deuter. l. c. distinguit, quique ob raritatem aptissimus erat ad Jesum tentandum?

4. Jesus, qui aliis occasionibus ad quaestiones captiosas promte et aperte respondere solebat, hic haesitantis instar in terra scribens sistitur, quod characteri et consuetudini ejus adversatur.

Resp. Quidcunque statuatur de figuris aut formis, quas Jesus in pulvere scripsit: id ipsum, quod Jesus agebat, responsum erat sufficiens, dummodo tentantes intelligere voluissent gestum, qui significabat, Dominum judicis forensis agere non velle partes, quaestionem non curare (cfr. Luc. 12, 13. 14.), et Jesu agendi rationem ad adversarios confundendos abigendosque fuisse aptissimam, eventus clare docuit.

5. Jesum, ut v. 9. legitur, in templo cum muliere solum esse relictum, ob notam populi curiositatem non est probabile.

Resp. Jesum solum cum muliere in templo esse relictum, in textu non legitur, sed fingitur, ut jam docet formula addita: ἐν μέσῳ ἑστῶσα. Nonnisi illi, qui cum muliere advenerant, male sibi conscii et timore correpti discesserunt, ita ut Jesus remaneret cum discipulis et hominum turba et cum muliere in medio staute.

6. Pericopa haec nexum turbat, eâ vero omissâ 8, 12. cum 7, 52. praeclare cohaeret; sermo etiam Christi, qui 8, 12. incipit, optime convenit tabernaculorum festo, quo Judaei non tantum de effusione aquae, sed etiam de luminaribus accensis laetabantur ut de luce legis; quodsi autem narratio illa genuina habetur, sermo, qui v. 12. exorditur, post festum et proinde tempore minus opportuno habitus censeri debet.

Resp. Si pericopa haec est genuina, plane non turbatur nexus, nisi fictus seu quem interpretes sibi imaginantur; etenim non est, quod ad festum tabernaculorum referantur, quae Jesus 8, 12. dicit; nam aliis etiam occasionibus se lucem nominare solebat et dicere, se sequentem non ambulare in tenebris, v. g. 9, 5. 12, 33. 46.

7. In pericopa illa invenitur dictio et scribendi ratio Joanni insitata.

Resp. Non exigua pars vocum et formularum, ad quas adversarii provocant, apud s. Joannem alias etiam occurrit; usu paucorum ἅπαξ λεγομένων et aliorum quorumdam vocabulorum spuriam illius sectionis originem non probari, inde jam patet, quod de ejusmodi agitur rebus, quae alias non commemorantur.

B) *Argumenta externa:*

*a)* Narratio haec omittitur in codd. praestantissimis ABCLTXΔ, in Sinaitico, in 50 minusculis et in 30 circiter evangelistariis; in cod. S et in 37 minusculis obelo, in cod. E et 14 minusculis asterisco notatur; in 8 minusc. et in uno evangelistario in fine evangelii, in 4 minusc. post Lucae c. 21., in uno post Jo. 7, 36. et in uno post 8, 12. posita legitur.

Resp. Codex A a Joannis 6, 50—8, 52., et codex C a 7, 3—8,

24. mutilus est, hinc uterque testem nec pro authentia narrationis nostrae, neque contra eam agere potest. Codd. L et Δ pericopam illam non habent quidem, attamen spatium vacuum exhibent, ita ut librariis notos fuisse prodant codices, qui narrationem illam continerent. Exstat vero illa sectio in codd. DFGHKMU et in recentioribus circiter ducentis absque omnibus notis criticis, in multis etiam evangelistariis.

*b*) Versiones antiquae: Peschito et Philoxeniana in antiquissimis manuscriptis, Coptica in plerisque mss., Sahid. Arm. Gothica illam narrationem non habent, neque multi eccl. scriptores eam citant; quare testibus negantibus assentiendum est, et, etiamsi canonica haberetur pericopa, Joanni Apostolo tamen abjudicanda foret.

Resp. *S. Augustinus*[1] observat, nonnullos, qui mulieri impunitatem dari peccandi perperam putabant, e codicibus suis abstulisse hanc pericopam. Ex hac jam sententia explicatur, unde illa testium discrepantia sit orta; illi nimirum, qui hanc pericopam ob morum periculum non publice in ecclesia legi sciebant, eam aut plane omiserunt, aut saltem notis criticis insigniverunt; qui autem sobriores erant, non obstantibus difficultatibus hic ibi ortis eam retinuerunt. Quodsi autem haec narratio ab initio defuisset in Joannis evangelio, explicari non posset, quomodo non obstante antiquorum rigore in tot transierit codices et versiones. Si pericopa haec non legitur apud *Origenem, Apollinarem, Theodorum Mopsuest., Cyrillum Alex., s. Chrysost., s. Basilium, Cosmam, Nonnum, Theophylactum, apud Tertullianum, s. Cyprianum et Juvencum:* recordandum est, plerosque eorum, ut Orig., s. Chrysost., Theod. Mopsuest., commentarios suos et homilias in usum institutionis publicae scripsisse, et uti alia, ita et hanc partem omisisse, quia ejus expositio ad scopum nominatum minus apta videbatur. Illis praeterea opponi possunt *s. Hieronymus, s. Ambros., s. Augustinus, Sedulius, Leo M., Chrysologus, Cassiodorus,* qui historiam nostram legerunt; imo *s. Hieronym.* (adv. Pelag. 2, 6.) eam in multis et graecis et latinis codicibus inveniri testatur; etiam *in constitutionibus Apostolorum* (2, 24.) hujus pericopae vestigia inveniuntur, neque desunt versiones antiquae, in quibus statim ab origine continebatur, uti *in Vulgata, in Italae plerisque manuscriptis, in Syriaca palaest., in Aethiop., Slavica, Anglosaxonica.*

*c*) Teste Eusebio (h. e. II. 39.) *Papias* commemoravit historiam, in evangelio secundum Hebraeos obviam de muliere multorum peccatorum apud Dominum accusata; illa jam historia eadem cum nostra fuisse, et in evangelium Joannis translata videtur.

Resp. In loco nostro non est sermo de muliere multorum peccatorum apud Dominum accusatâ, sed de femina in adulterio deprehensâ et maligno Christum tentandi consilio ad eum adductâ.

---

[1] De conjug. adulterinis II. 7.: „Hoc infidelium sensus exhorret, ita ut nonnulli modicae fidei vel potius inimici verae fidei metuentes, peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud, quod de adulterae indulgentia Jesus fecit, auferrent de codicibus suis."

S. Ambros. apolog. David. II. 1.: „Profecto si quis ea auribus otiosis accipiat, erroris incentivum incurrit."

*d*) Multae lectiones variantes pericopae hujus authentiam reddunt suspectam.

Resp. Lectiones illae variantes genuinitatem narrationis non reddunt suspectam; sed hoc solum testantur, in describenda hac pericopa, quae pluribus videbatur dubia, minorem diligentiam et majorem libertatem, quam in reliquo evangelio esse adhibitam.

Quae cum ita sint, authentiam hujus pericopae non tantâ gaudere certitudine historicâ, quanta adest de reliquo evangelio, diffiteri quidem non possumus; attamen rationes contra illam allatae non sufficiunt ad eam Joanni Apostolo abjudicandam.

## §. 150.

### Continuatio.

II. Quod attinet c. 21., hoc nexu adeo laxo adjungitur praecedentibus, ut manifeste contineat appendicem additam evangelio v. 30. et 31. capitis 20. finito. Sed quaeritur, num appendix haec alium, quam Joannem Apost. habeat auctorem? Primus, qui ejus authentiam impugnavit, erat *Hugo Grotius*, qui plures statim rerum novarum amantes invenit sectatores;[1] neque tamen inter ipsos Acatholicos deerant defensores,[2] ad quos referendi sunt omnes Catholici, utpote infallibili concilii Tridentini declarationi innixi, omnes libros cum omnibus partibus suis, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione latina habentur, pro sacris et canonicis esse agnoscendos.

*Argumenta,* quibus hujus capitis impugnatur authentia, *non sunt nisi interna,* cum omnia textus s. monumenta illud contineant. Rationes autem adversariorum spuriam ejus originem non probare, earum examen docebit. Dicunt:

1. Quae 20, 30. 31. leguntur, manifeste continent evangelii conclusionem; hinc c. 21. Joannem Apost. habere non potest auctorem.

Resp. Caput 21. esse additamentum seu evangelii appendicem, inficias iri nequit; inde autem non sequitur, appendicem hanc ab ipso Joanne peculiarem ob causam non potuisse serius scribi et evangelio adjungi. Cum nimirum reliqui Apostoli jam essent mortui et Joannes omnibus superstes atque grandaevus: e male intellecto Christi effato, quod oretenus erat propagatum (coll. 21, 22.), orta est fama, Apostolo illi, quem Dominus diligebat, promissionem esse factam, fore, ut nunquam moreretur. Quia vero mors Joannis subsecutura plurium fidem in Christi veracitatem facile potuisset concutere aut saltem labefactare: Apostolus suum esse duxit, simplici verborum Christi male intellectorum et occasionis expositione errori obviam ire, et hocce caput evangelio suo adjungere. Haec agendi ratio tan-

---

[1] Impugnatores: Clericus, Paulus, Gurlitt, Bertholdt, Seyffart, Lücke, Schott, de Wette, Credner, Neudecker et alii. Cfr. Maier Einleitung p. 146. not. 1.

[2] Lampe, Osiander, Pabst, Krause, Wegscheider, Kuinoel, Eichhorn, Handschke, Weber, Tholuck, Olshausen al.

tum abest, ut insolita sit, ut potius a classicis quoque scriptoribus observata inveniatur, ut a Nepote, Cicerone.[1] Praeterea si caput hoc post Joannis mortem esset scriptum, mirum certe foret, nullam obitus ejus meutionem esse factam.

2. Joannem Ap. capitis hujus non esse auctorem, scribendi ratio docet; nam Apostolus in aliis locis, ubi de se loquitur, tertiâ utitur personâ; sed v. 25. legitur *οἶμαι*, et hac formâ atticâ vix usus esset quisquam in Palaestina natus; praeterea v. 24. occurrit sententia: *οἴδαμεν, ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ*, cujus loco Joannes dixisset: *κἀκεῖνος οἶδεν, ὅτι ἀληθῆ λέγει* coll. 19, 35.; a Joannis stylo aliena est commutatio verborum *ἀγαπᾷν* et *φιλεῖν*, *βόσκειν* et *ποιμαίνειν*, *ἀρνία* et *πρόβατα*; Joannis modestiae non convenit asseveratio *οἴδαμεν*, omnes scimus; omnem modum excedens, frigida et Joannis simplicitati contraria est hyperbola v. 25. coll. cum 20, 30., ubi simplicius idem edicitur.

Resp. S. Joanues v. 25. recte dixit *οἶμαι*, ut suam ipsius sententiam distingueret ab omnium persuasione v. 24. commemoratâ; praeterea non sòlum *οἶμαι*, sed etiam *ἀκηκόαμεν*, *ἑωράκαμεν* 3, 11. 4, 42. 14, 9. sunt formae atticae. Plurali *οἴδαμεν* Apostolo ad persuasionem omnium de veracitate sua eodem jure provocare licuit, quo 1, 14. dixit: *καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξην αὐτοῦ*; porro a stylo Joannis aliena non est verborum commutatio; nam verbo *φαγεῖν* v. g. 6, 52. seqq. substituitur *τρώγειν* v. 54—58. et de abitu Jesu ad Patrem 16, 5—7. adhibita leguntur verba *ὑπάγειν*, *ἀπέρχεσθαι*, *πορεύεσθαι*; quare non intelligitur, cur voces *φιλεῖν* et *ἀγαπᾷν*, *βόσκειν* et *ποιμαίνειν*, *ἀρνία* et *πρόβατα* 21, 15—17. permutari non potuerint, idque eo magis, cum peculiares notiones essent exprimendae; illud etiam valet v. 24. de sententia: *οἴδαμεν, ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ* coll. cum illa 19, 35. Hyperbolas Apostolo non plane fuisse inusitatas, docet 1, 11. 3, 32. 12, 19.; quam autem 21, 25. adhibet, procul dubio e vulgari loquendi usu repetiit.

3. Auctor hujus capitis apparitionem Jesu descriptam v. 14. dicit tertiam, quum tamen esset septima, quod Joanni Apostolo non convenit, cui apparitionum series non poterat non esse notissima.

Resp. Joannem non omnes, sed nonnisi illas numerasse apparitiones, quae pluribus congregatis contigerant Apostolis, jam e v. 1. et 14. patet; hinc ne illam quidem computavit, quae omnium prima Mariae Magd. evenerat coll. 20, 11—18.

4. Apostoli hoc capite in Galilaea versantes sistuntur; atqui coll. Luc. 24, 32. seqq. cum v. 49. Christus ipsâ resurrectionis die Apostolos monuit, ut usque ad Spiritus s. adventum Hierosolymis manerent.

---

[1] Cornel. Nepos ad finitam jam Pomponii historiam multa addit his verbis utens: „Hactenus Attico vivo edita haec a nobis sunt. Nunc quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua prosequamur, et quantum potuimus, rerum exemplis docebimus, sicut supra significavimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam."

In Ciceronis media fere epist. 14, 4. legitur: „Non queo plura jam scribere," et tamen plura in eadem reperiuntur addita.

Resp. Ut ex Act. 1, 3—5. et ex ipso Lucae evangelio coll. 24, 49. cum v. 50. patet, monitum illud a Christo Apostolis non ipsa resurrectionis die, sed brevi ante ascensionem in coelos est datum. Apostolos autem post Christi resurrectionem breviori saltem tempore esse versatos in Galilaea, e Mt. 28, 16. I. Cor. 15, 6. edocemur.

5. Apostolos post Christi resurrectionem piscaturae vacasse, parum est probabile; potius cum jam in eo essent, ut munus docendi in se susciperent, ad hoc se praeparare necessarium eis erat.

Resp. Ut Apostoli in Galilaea versantes vitae necessaria honeste sibi pararent, ad opificium exercendum coacti erant; praeterea diuturnâ praeparatione opus non habebant viri, quorum erat testimonium edere de iis, quae audierant et viderant, quaeque Spiritus s. esset suggesturus (Act. 1, 8. al.).

6. Verba v. 18., si unquam a Christo erant prolata, manifeste agunt de senectutis infirmitate, quae aliorum indiget ope; auctor vero hujus capitis de Petri morte in cruce interpretatur, quam expositionem erroneam Joanni Apostolo tribuere nefas foret.

Resp. Judicium, num verborum Christi interpretatio a Joanne facta, an illa adversariorum vera sit et viro sobrio eoque magis Apostolo digna, secure relinquimus illis, qui praejudiciis non tenentur capti. Illa autem verba a Christo revera esse dicta, testis est s. Joannes, et hujus assertionis veritatem omnia comprobant textus s. monumenta, et proinde omnes ecclesiae antiquae.

E dictis patet, argumenta contra hujus capitis authentiam prolata facile refutari posse. Non desunt vero etiam rationes positivae, quae genuinitatem hujus partis probant, et quidem

*a*) In capite hoc tot et tales commemorantur circumstantiae, quae nonnisi testi oculato notae esse et post longius tempus ab eo accurate referri poterant. Sic auctor cognitum habet, Petrum nudum tunicâ sese succinxisse et se misisse in mare (v. 7.); ad instar piscatoris oculos exercitatos habentis novit navigii distantiam a terra (v. 8. coll. c. 6, 19.); in memoria tenet numerum piscium, quos ceperant, et adhucdum miratur, quomodo rete non sit scissum (v. 11.). Verum s. auctor probe perspiciens, fieri posse, ut contra appendicis hujus authentiam moverentur dubia, v. 24. diserte adnotat: *„Hic est discipulus ille* (de quo v. 20. erat sermo), *qui testimonium perhibet de his et scripsit haec.“* Quodsi jam haec non essent verba ipsius Joannis evangelistae, sed alius cujusdam: hic falsarius et impostor impudentissimus foret dicendus.

*b*) S. Joannes Christi effata explicare solet, v. g. 2, 22. 6, 64. 65. 70. 7, 39. 12, 33. 13, 11.; jam vero mos hic etiam 21, 19. ita servatur, ut vel expressiones Apostolo solennes occurrant: *τοῦτο δὲ εἶπε σημαίνων, ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν θεὸν* coll. c. 12, 33.: *τοῦτο δὲ ἔλεγε σημαίνων, ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν.*

*c*) Quodsi auctor hujus capitis non esset Apostolus: falsarius vix tali usus esset hyperbolâ, qualis v. 25. legitur, sed potius assertionem hanc magis conformasset verbis 20, 30.

*d*) Quae hoc capite narrantur, personarum characteri adeo conveniunt, ut ab impostore fingi haud potuissent. Sic Petrus, cum Do-

minum adesse vix audivisset, in mare semet praecipitat, quo celerius ad eum veniat (cfr. Mt. 14, 28.); ad trinam vero Christi quaestionem trinae abnegationis suae memor, simul vero et amoris sincerissimi in Jesum sibi conscius non obtestatur, non jurat, sed contristatus demum dicit: *„Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te"*; et cum martyrium in cruce ei esset annunciatum, lapsus sui recordans non ut Luc. 22, 33. asseverare audet: *„Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire"*: sed promtitudinem suam Christo cognitam supponens, de sorte discipuli, quem Jesus diligebat, sollicitus interrogat: *„Domine, quid autem hic"?* Quid jam magis conveniens erat Christo, quam istam vanam Petri curiositatem improbare et dicere: *„Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu me sequere"!* (cfr. Act. 1, 6. 7.).

Jure meritoque igitur caput hoc s. Joanni Apostolo adscribimus.

## §. 151.

### Lineamenta chronologiae evangelicae.

Licet chronologia evangelica non adeo accurate determinari possit, ut quid singulis mensibus, hebdomadibus, imo et diebus evenerit, ostendere et certo probare valeamus: de eventibus tamen principalibus in ipsis evangeliis collatis cum profanorum historia haud desunt indicia sat clara et certa, nimirum de Jesu Christi anno nativitatis, de duratione vitae ejus publicae et de morte.

1. Jesus coll. Matth. 2, 1. natus est *„diebus Herodis" Magni*, ergo ante hujus mortem, i. e. ante festum paschale anni 750. U. C.[1] Jam vero coll. Mt. 2, 16. Herodes occidisse legitur *„omnes pueros, qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis"* (cfr. v. 7.). Quodsi vero tyrannus omnes pueros Bethlehemi et in ejus finibus bimulos juxta tempus apparentis stellae, nativitatem Messiae portendentis, occidi jussit: Jesus tum temporis ipse aut bimulus fuerit aut saltem alterum a nativitate annum egerit, ergo anno 748. U. C. natus sit necesse est.[2] Hac sententia admissa Magos orientales secundo demum post nativitatem Domini anno Bethlemi advenisse patet, et sic facillime concilientur narrationes quae Mt. c. 2. et Luc. c. 2. leguntur. Traditio nativitati Domini diem 25. Decembris assignat.

2. Coll. Luc. 3, 23. *Jesus, quum munere suo publice fungi inciperet, annorum erat circiter triginta.* Si anni isti 30 stricte intelligantur, Jesus, anno 748. U. C. natus, publice prodiisset anno 778. U. C. Attamen idem Lucas 3, 1. publicum Joannis B. (proinde brevi

---

[1] Jos. Fl. Antiq. 17, 9, 3.

[2] Eundem nativitatis Jesu Christi annum calculo astronomico invenit Kepler; attamen conjunctionem Jovis, Saturni et Martis anno 748. fuisse Magorum stellam, perperam asseruit, ut exegetae est probare ex indole et e motu illius stellae. Cfr. Kepler: De vero Jesu Christi anno natalitio. Francof. 1604.

post Jesu ipsius) proditum tribuit anno 15. Tiberii Caesaris; jam vero teste Suetonio Augustus mortuus est die 19. Augusti an. 767. U. C.; annus igitur 15. Tiberii imperantis est annus 782. U. C., et proinde Jesus, cum publice prodiret, non annos 30, sed jam 34 natus erat. — Verum particulâ ὡσεί ille utitur, qui non annum, sed nonnisi decennium accuratius determinare vult, ut nos dicimus: „Ein Dreissiger" de eo, qui propius accedit ad annum aetatis 30., quam ad 40. Cum assertione hac accurate consentiunt Judaeorum verba Jo. 8, 57.

3. *Jesus per annos tres et aliquot menses munere suo publice functus est;* nam s. Joannes tria paschatis festa aperte commemorat: 2, 13. 23. 6, 4. et 12, 1., pridie cujus (14. Nisan) Jesus in cruce mortuus est; praeterea s. Lucas 6, 1. mentionem facit sabbati, quod dicit **δευτερόπρωτον;** jam vero juxta analogiam vocum **δευτερογάμος, δευτεροβόλος, δευτεροδεκάτη** expressio **σάββατον δευτερόπρωτον** nihil aliud denotare potest, nisi sabbatum, quod altera vice est primum, aut ad analogiam vocabuli **δευτερέσχατος**, penultimus, sabbatum secundum inter duo prima; utraque autem significatio apprime concordat cum sabbato primo anni ecclesiastici; etenim Judaei duplicem habuerunt annum, civilem et ecclesiasticum, ac proinde duplex anni initium, et quidem civilis mense Tischri atque ecclesiastici mense Nisan. Quodsi vero res ita se habet, sabbatum secundo-primum celebratum erat brevi ante pascha publicae Jesu activitatis et quidem diversum ab utroque, quod Jo. 2, 23. et 6, 4. commemoratur; ab illo, quia jam ante reditum Jesu in Galilaeam, qui a quatuor evangelistis narratur (Mt. 4, 12. Mr. 1, 14. Luc. 4, 14.), praeterlapsum erat; ab hoc vero, quoniam ad ea peragenda, quae s. Lucas a 6, 1. et 6. usque ad 9, 10. refert, quatuor, quinque aut sex dierum spatium a primo et secundo sabbato mensis Nisan usque ad cibationem populi ante pascha (Jo. 6, 4.) nequaquam sufficiebat. Si autem Petavii et Scaligeri sententia praeferatur, ad eundem pervenimus exitum; nam formulam illam interpretantur de primo sabbato post diem secundum paschae, quia Judaei (coll. Levit. 23, 11—15.) a secunda die paschali, qua messis primitiae Deo offerebantur, septem numerabant hebdomades vel septem sabbata usque ad festum pentecostes, ita ut primae hebdomadis sabbatum **δευτερόπρωτον,** alterum **δευτεροδεύτερον,** tertium **δευτερότριτον** et sic porro esset dictum. Hoc in casu secundum pascha publici Jesu muneris teste Luca brevi antea fuisset praeterlapsum, et proinde per pascha illud, ante quod teste Joanne 6, 4. prima cibatio locum habuit, intelligi nequit pascha secundum publicae Jesu activitatis, sed tertium, nisi Lucae, qui illud factum miraculosum demum refert 9, 10. seqq., absque omni ratione ineptissimum hysteroproteron adtribuere malis. E dictis vero simul sequitur, illud Judaeorum festum Jo. 5, 1. esse ponendum inter pascha secundum et tertium, et fuisse festum pentecostes, quod Jesus procul dubio semel saltem Hierosolymis celebravit, quod autem s. Joannes contra morem suum non nominavit, sed lectoribus e Luca determinandum reliquit, ne illos in errorem induceret; nam festum pentecostes aperte nominando lectores non potuissent non

intelligere festum hoc proxime sequens post pascha 2, 23. commemoratum. Juxta festa haec et duo alia: tabernaculorum et encaeniorum Jo. 7, 2. et 10, 22. argumentum evangelicum disponendum est, ut in tabula sequente ostendemus.

4. *Quodsi Jesus anno 782. U. C. publice prodiit, et post annos dein tres mortuus est: eventus hic locum habuit anno 785. U. C., anno aetatis Jesu 37., aerae vulgaris 33.*

## Tabula quatuor evangeliorum chronologica et harmonistica.

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 1 | 1, 1—5 | — | — | — |
| 2 | — | 1, 1—4 | — | — |
| 3 | 1, 6 | 1, 5—25 | — | — |
| 4 | 1, 7—14 | 1, 26—38 | — | — |
| 5 | — | — | — | 1, 1—17 |
| 6 | — | 1, 39—56 | — | — |
| 7 | — | — | — | 1, 18—25 |
| 8 | — | 1, 57—80 | — | — |
| 9 | — | 2, 1—39. 40 | — | — |
| 10 | — | — | — | 2, 1—23 |
| 11 | — | 2, 41—52 | — | — |
| 12 | — | 3, 1—6 | 1, 1—6 | 3, 1—6 |
| 13 | — | 3, 7—14 | — | 3, 7—10 |
| 14 | — | 3, 15—17 | 1, 7. 8 | 3, 11. 12 |
| 15 | — | 3, 21. 22 | 1, 9—11 | 3, 13—17 |
| 16 | — | 3, 23—38 | — | — |
| 17 | — | 4, 1—13 | 1, 12. 13 | 4, 1—11 |
| 18 | 1, 15—18 | — | — | — |
| 19 | 1, 19—28 | — | — | — |
| 20 | 1, 29—51 | — | — | — |
| 21 | 2, 1—11 | — | — | — |
| 22 | — | 4, 14—30 | — | — |
| 23 | 2, 12. 13 | — | — | — |

**Primum Pascha.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 24 | 2, 14—25 | — | — | — |
| 25 | 3, 1—36 | — | — | — |
| 26 | 4, 1—3 | 3, 19. 20 | 1, 14 | 4, 12 |
| 27 | 4, 4—42 | — | — | — |
| 28 | 4, 43—45 | — | 1, 14 | 4, 12 |
| 29 | — | 4, 31. 32 | — | 4, 13—16 |
| 30 | — | — | 1, 14—20 | 4, 17—22 |
| 31 | — | 4, 32—37 | 1, 21—28 | — |
| 32 | — | 4, 38—41 | 1, 29—34 | 8, 14—17 |
| 33 | — | 4, 42. 43 | 1, 35—38 | — |
| 34 | — | 4, 44 | 1, 39 | 4, 23 |
| 35 | — | 5, 1—11 | — | — |
| 36 | — | — | — | 4, 24. 25 |
| 37 | — | — | — | 5, 1-7, 29 |
| 38 | — | 5, 12—16 | 1, 40—45 | 8, 1—4 |
| 39 | — | — | 1, 45 | — |
| 40 | — | — | 2, 1 | 9, 1 |

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 41 | — | 5, 17—32 | 2, 1—17 | 9, 2—13 |
| 42 | — | 5, 33—39 | — | — |
| 43 | — | 6, 1—5 | 2, 23—28 | 12, 1—8 |
| 44 | — | 6, 6—11 | 3, 1—6 | 12, 9—14 |

**Secundum Pascha.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 45 | — | — | 3, 7—12 | 12,15—21 |
| 46 | — | 6, 12—16 | 3, 13—19 | — |
| 47 | — | 6, 17—49 | — | — |
| 48 | — | — | 3, 20. 21 | — |
| 49 | — | 7, 1—10 | — | 8, 5—13 |
| 50 | — | 7, 11—17 | — | — |
| 51 | — | 7, 18—35 | — | 11, 2—19 |

**Festum Pentecostes.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 52 | 5, 1—47 | — | — — | — |
| 53 | — | 7, 36—50 | — | — |
| 54 | — | 8, 1—3 | — | — |
| 55 | — | — | 6, 17—29 | 14, 3—12 |
| | | | 3, 22—31 | 12,22—37 |
| 56 | — | — | 3, 31—35 | 12,38—45 |
| | | | | 12,46—50 |
| 57 | — | 8, 4—8 | 4, 1—9 | 13, 1—9 |
| 58 | — | — | 4, 26—31 | — |
| 59 | — | 8, 9—15 | 4, 10—20 | 13,24—35 |
| | | | | 13,10—23 |
| | | | | 36 |
| 60 | — | — | — | 13,36—52 |
| 61 | — | 8, 16—18 | 4, 21—25 | — |
| 62 | — | 8, 19—21 | — | — |
| 63 | — | — | 4, 26—29 | 13, 53 |
| | | | 4, 30—32 | |
| | | | 4, 33. 34 | |
| 64 | — | 8, 22—25 | 4, 35—41 | 8,18—20 |
| | | | | 23—27 |
| 65 | — | 8, 26—39 | 5, 1—20 | 8,28—34 |
| 66 | — | 8, 40 | 5, 21 | 9, 1 |
| 67 | — | — | 2, 18—22 | 9,14—17 |
| 68 | — | 8, 41—56 | 5, 22—43 | 9,18—26 |
| | | | | 13,36—53 |
| 69 | — | — | — | 9,27—34 |
| 70 | — | — | 6, 1—6 | 13,54—58 |

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 71 | — | — | 6, 6 | 9, 35—38 |
| 72 | — | 9, 1—5 | 6, 7—11 | 10, 1—42 |
| 73 | — | 9, 6 | 6, 12. 13 | — |
| 74 | — | 9, 7—9 | 6, 14—16 | 11, 1 |
| | | | | 14, 1. 2 |
| 75 | 6, 1—13 | 9, 10—17 | 6, 30—44 | 14, 12—21 |
| 76 | 6, 14—21 | — | 6, 45—52 | 14, 22—33 |
| 77 | — | — | 6, 53—55 | 14, 34. 35 |
| 78 | 6, 22—71 | — | — | — |

**Tertium Pascha.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 79 | 7, 1 | — | 6, 56 | 14, 36 |
| 80 | — | — | 7, 1—31 | 15, 1—31 |
| 81 | — | — | 7, 32—37 | — |
| 82 | — | — | 8, 1—10 | 15, 32—39 |
| 83 | — | — | 8, 11—21 | 16, 1—12 |
| 84 | — | — | 8, 22—26 | — |
| 85 | — | 9, 18—27 | 8, 27—38 | 16, 13—28 |
| 86 | — | 9, 28—36 | 9, 2—10 | 17, 1—9 |
| 87 | — | — | 9, 11—13 | 17, 10—13 |
| 88 | — | 9, 37—45 | 9, 14—32 | 17, 14—23 |
| 89 | — | — | 9, 33 | 17, 24—27 |
| 90 | — | 9, 46—50 | 9, 33—41 | 18, 1—5 |
| 91 | — | — | 9, 42—50 | 18, 6—9 |
| 92 | — | — | — | 18, 10—35 |

**Festum Tabernaculorum.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 93 | 7, 2—10 | 9, 51 | 10, 1 | 19, 1 |
| 94 | — | 9, 52—56 | — | — |
| 95 | — | 9, 57—62 | — | 8, 21. 22 |
| 96 | — | 10, 1—12 | — | — |
| 97 | — | 10, 13—16 | — | 11, 20—24 |
| 98 | — | — | 10, 1—12 | 19, 1—12 |
| 99 | 7, 11—53 | — | — | — |
| 100 | 8, 1—59 | — | — | — |
| 101 | 9, 1—41 | — | — | — |
| 102 | 10, 1—21 | — | — | — |
| 103 | — | 10, 17—24 | — | 11, 25—30 |
| 104 | — | 10, 25—42 | — | — |
| 105 | — | 11, 1—13 | — | — |
| 106 | — | 11, 14—23 | 3, 25—30 | 12, 22—42 |
| 107 | — | 11, 24—26 | — | 12, 43—45 |
| 108 | — | 11, 27. 28 | — | — |
| 109 | — | 11, 29—32 | — | 12, 38—42 |
| 110 | — | 11, 33—36 | — | — |
| 111 | — | 11, 37—54 | — | 23, |
| 112 | — | 12, 1—34 | — | — |
| 113 | — | 12, 35—48 | — | 24, 43—51 |
| 114 | — | 12, 49—59 | — | — |
| 115 | — | 13, 1—21 | — | — |
| 116 | — | 13, 22 | — | — |
| 117 | — | 13, 23—30 | — | — |
| 118 | — | 13, 31—35 | — | (23, 37—39) |
| 119 | — | 14, 1—25 | — | — |

**Festum Encaeniorum.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 120 | 10, 22—42 | — | — | — |
| 121 | 11, 1—54 | — | — | — |
| 122 | — | 14, 25—35 | — | — |
| 123 | — | 15, 1—32 | — | — |
| 124 | — | 16, 1—31 | — | — |
| 125 | — | 17, 1—37 | — | — |
| 126 | — | 18, 1—14 | — | — |
| 127 | — | 18, 15—30 | 10, 13—31 | 19, 13—20 |
| 128 | — | — | — | 20, 1—16 |
| 129 | — | 18, 31—34 | 10, 32—34 | 20, 17—19 |
| 130 | — | — | 10, 35—45 | 20, 20—28 |
| 131 | — | 18, 35—43 | — | — |
| 132 | — | 19, 1 | 10, 46 | — |
| 133 | — | 19, 2—27 | — | |
| 134 | — | 19, 28 | 10, 46 | 20, 29 |
| 135 | — | — | 10, 46—52 | 20, 30—34 |
| 136 | 11, 55. 56 | — | — | — |
| 137 | 12, 1—11 | — | 14, 3—9 | 26, 6—13 |
| 138 | 12, 12—19 | 19, 29—44 | 11, 1—10 | 21, 1—9 |
| 139 | — | — | 11, 11 | 21, 10. 11 |
| | | | | 14—26 |
| 140 | 12, 20—50 | — | — | — |
| 141 | — | — | 11, 11—14 | 21, 17—19 |
| 142 | — | 19, 45—48 | 11, 15—18 | 21, 12. 13 |
| 143 | — | — | 11, 19—26 | 21, 20—22 |
| 144 | — | 20, 1—8 | 11, 27—33 | 21, 23—27 |
| 145 | — | — | — | 21, 28—32 |
| 146 | — | 20, 9—19 | 12, 1—12 | 21, 33—46 |
| 147 | — | — | — | 22, 1—14 |
| 148 | — | 20, 20—40 | 12, 13—27 | 22, 15—33 |
| 149 | — | — | 12, 28—34 | 22, 34—40 |
| | | | | 46 |
| 150 | — | 20, 41—44 | 12, 35—37 | 22, 41—46 |
| 151 | — | 20, 45—47 | 12, 38—40 | 23, 1—30 |
| 152 | — | 21, 1—4 | 12, 41—44 | — |
| 153 | — | 21, 5. 6 | 13, 1. 2 | 24, 1. 2 |
| 154 | — | 21, 7 | 13, 3. 4 | 24, 3 |
| 155 | — | 21, 8—19 | 13, 5—13 | 24, 4—14 |
| 156 | — | 21, 20—24 | 13, 14—20 | 24, 15—22 |
| 157 | — | 21, 25—33 | 13, 21—32 | 24, 23—41 |
| 158 | — | 21, 34—36 | 13, 33—37 | 24, 42 |
| 159 | — | — | — | 25, 1—46 |
| 160 | — | 21, 37. 38 | — | — |
| 161 | — | 22, 1. 2 | 14, 1. 2 | 26, 1—5 |
| 162 | — | 22, 3—18 | 14, 10—18 | 26, 14—21 |
| | | | 25 | 29 |
| 163 | — | — | 14, 18—21 | 26, 21—25 |
| 164 | 13, 1 | 22, 19. 20 | 14, 22—24 | 26, 26—28 |
| 165 | — | 22, 21—23 | — | — |
| 166 | 13, 2—11 | — | — | — |
| 167 | — | 22, 24—30 | — | — |
| 168 | 13, 12—35 | — | — | — |
| 169 | 13, 36—38 | 22, 31—34 | — | — |

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 170 | — | 22,35—38 | — | — |
| 171 | 14, 1—31 | — | — | — |
| 172 | | 22, 39 | 14, 26 | 26, 30 |
| 173 | 15, 1—27 | — | — | — |
| 174 | 16, 1—33 | — | — | — |
| 175 | 17, 1—26 | — | — | — |
| 176 | 18, 1 | 22, 39 | 14, 26 | 26, 30 |
| 177 | — | — | 14,27—31 | 26, 31—35 |
| 178 | 18, 1 | — | 14, 32 | 26, 36 |
| 179 | — | 22,40—46 | 14,33—42 | 26, 37—46 |
| 180 | 18, 2. 3 | 22, 47. 48 | 14,43—45 | 26, 47—50 |
| 181 | 18, 4—9 | — | — | — |
| 182 | 18,10—12 | 22,49—54 | 14,46—52 | 26, 50—56 |
| 183 | 18,13—16 | 22, 54. 55 | 14, 53. 54 | 26, 57. 58 |
| 184 | 18, 17. 18 | 22, 56. 57 | 14,66—68 | 26, 69. 70 |
| 185 | 18,19—23 | — | — | — |
| 186 | 18, 24. 25 | 22, 58 | 14,68—70 | 26, 71. 72 |
| 187 | — | — | 14,55—64 | 26, 59—66 |
| 188 | 18, 26. 27 | 22,59—62 | 14,70—72 | 26, 73—75 |
| 189 | — | 22,63—65 | 14, 65 | 26, 67. 68 |
| 190 | — | 22,66—71 | 15, 1 | 27, 1 |
| 191 | 18, 28 | 23, 1 | 15, 1 | 27, 2 |
| 192 | — | — | — | 27, 3—10 |
| 193 | 18,28—38 | 23, 2—4 | 15, 2—5 | 27, 11—14 |
| 194 | — | 23, 5—16 | — | 27, 15—21 |
| 195 | 18, 39. 40 | 23,17—19 | 15, 6—11 | — |
| 196 | — | 23,20—22 | 15,12—14 | 27, 22. 23 |
| 197 | 19, 1—3 | — | 15,16—19 | 27, 27—3 |
| 198 | 19, 4—11 | — | — | — |
| 199 | 19,12—16 | 23,23—25 | 15, 14. 15 | 27, 23—26 |
| 200 | 19, 16. 17 | 23,26—32 33 | 15,20—22 | 27, 31—32 33 |
| 201 | 19, 18 | 23, 33 | 15, 23. 25 | 27, 33. 34 |
| 202 | 19, 18 | 23, 33. 34 | 15, 27. 28 | 27, 38 |
| 203 | 19,19—22 | — | 15, 26 | 27, 37 |
| 204 | 19, 23. 24 | 23, 34 | 15, 24 | 27, 35. 36 |
| 205 | — | 23,35—38 | 15,29—32 | 27, 39—44 |
| 206 | 19,25—30 | 23,39—45 | 15,33—36 | 27, 45—49 |
| 207 | 19, 30 | 23, 45. 46 | 15, 37. 38 | 27, 50—53 |
| 208 | — | 23,47—49 | 15,39—41 | 27, 54—56 |
| 209 | 19,31—37 | — | — | — |
| 210 | 19,38—42 | 23,50—55 | 15,42—47 | 27, 57—61 |

**Quartum Pascha.**

| No. | Joannes. | Lucas. | Marcus. | Matth. |
|---|---|---|---|---|
| 211 | — | 23, 56 | — | 27, 62—66 |
| 212 | — | — | 16, 1 | — |
| 213 | 20, 1 | 24, 1 | — | 28, 1—4 |
| 214 | 20, 1—10 | 24, 2—12 | — | — |
| 215 | 20,11—18 | — | 16, 9—11 | — |
| 216 | — | — | 16, 2—8 | 28, 5—10 |
| 217 | — | — | — | 28, 11—15 |
| 218 | — | 24,13—34 | 16, 12. 13 | — |
| 219 | 20,19—23 | 34,36—43 | — | — |
| 220 | 20,24—29 | — | — | — |
| 221 | — | — | — | 28, 16 |
| 222 | 21, 1—24 | — | — | — |
| 223 | — | — | — | 28, 16—20 |
| 224 | — | 24,44—53 | 16,14—20 | — |
| 225 | 20, 30. 31 | — | — | — |
| 226 | 21, 1—25 | — | — | — |

## ARTICULUS II.

# SCRIPTA DIDACTICA.

## A) Epistolae Pauli Apostoli.

### §. 152.

**Vitae et characteris s. Pauli brevis delineatio.**

1. *Paulus, antea Saulus dictus* (Act. 13, 9), *Tarsi,* in Ciliciae metropoli, scientiis haud minus clara quam Athenae et Alexandria, natus erat parentibus judaicis et procul dubio Pharisaeorum sectae addictis, nam et ipse Pharisaeus erat. Vi nativitatis honorifico nomine et jure civis Romani gaudebat (Act. 22, 29.).

2. Praeter rudimenta eruditionis judaicae jam domi, quum adhuc puer esset, artem scenofactoriam didicit, qua serius, dum Apostoli munere fungeretur, vitae necessaria sibi parare solebat, ne Christianis victum petendo, quod jure facere potuisset, molestus fieret, aut adversariis calumniandi praeberet occasionem (Act. 18, 3. I. Thess. 2, 9. I. Cor. 9, 12.).

3. Juvenis Hierosolymam venit, ubi ex ore Gamalielis, celeberrimi illo tempore doctoris, legis et traditionis judaicae cognitionem plurimum hausit (Act. 22, 3.). Placita pharisaica tanto amplexus est fervore, ut ecclesiae christianae eo tempore efflorescentis vehementissimus fieret adversarius et persecutor (Act. 7, 58.).

4. Quum Saulus *„spirans minarum et caedis in discipulos Domini“* Judaeae limites judicaret justo angustiores, petitis obtentisque a Judaeorum pontifice literis commendatitiis *Damascum* proficisci decrevit, ut quosdam Christianos ibi inventos comprehenderet et puniendos Hierosolymam duceret. In ipso autem hoc itinere Damasco jam appropinquans coelesti phaenomeno adeo perculsus est, ut ecclesiae per baptismum associatus rem christianam omni virium conatu promovere niteretur, idque usque ad ultimum vitae halitum (Act. 9, 1. seqq.).

5. Cum dein per triennium partim in Arabia, partim Damasci commoratus esset et Christum intrepide praedicando Judaeorum odium in se concitasset: urbe relictâ Hierosolymam venit, ut videret Petrum (Gal. 1, 18.). Quia vero etiam hic Judaei necem ei parabant, nonnisi 15 dies Petri consortio frui potuit, et discedere coactus per Caesaream Tarsum Ciliciae abiit, ubi per longius tempus est commoratus (Act. 9, 23. Gal. l. c.).

6. Ortâ interim Antiochiae Christianorum ecclesiâ Barnabas Tarsum profectus Saulum in illam civitatem deduxit, et quum per integrum annum ibi docuissent, ab ecclesia Antiochensi ablegati sunt Hierosolymam cum subsidiis collectis in juvamen fratrum Judaeam incolentium, quibus fames imminebat (Act. 11, 19. seqq.).

7. Inde reversus Antiochiam (Act. 12, 25.) Saulus primum cum *Barnaba* et *Marco* iter apostolicum in ethnicorum regiones suscepit, et *in insula Cypro, Pergae in Pamphilia, Antiochiae in Pisidia, Iconii, Lystris et Derbae* praedicando ecclesiarum christianarum initia posuit (Act. 13, 1—14, 26.).

8. Antiochiam Syriae reversus longius tempus hic transegit (Act. 14, 28.), et ortâ dissensione inter Judaeo- et ethnicochristianos de legis mosaicae observandae necessitate cum Barnaba Hierosolymam ad Apostolos ablegatus est eorumque decretum retulit (Act. 15, 1—35.).

9. Elapso dein non multo tempore alterum suscepit cum *Sila* iter apostolicum, in quo per Syriam et Ciliciam in civitates *Derben* et *Lystram* rediit, inde assumto *Timotheo* per *Phrygiam, Galatiam, Mysiam* et *Bithyniam Troadem* venit; ex hac civitate *comite etiam Luca in Europam orientalem*, et quidem in *Macedoniam* transgressus *Philippis, Thessalonicae* et *Beroeae* Christo ecclesias collegit; tandem *Athenis* quoque, *Corinthi* et *Ephesi* semina doctrinae christianae sparsit (Act. 15, 36—18, 22.).

10. Post aliquod tempus tertium iter in regiones Asiae minoris et Europae orientalis aggressus *per Galatiam et Phrygiam Ephesum* venit, ubi per biennium et tres menses (Act. 19, 8. 10.), vel per triennium docuit (Act. 20, 31.), si tempus brevioris adnumeretur itineris, quod per Macedoniam *in insulam Cretam et Corinthum* suscepit, unde autem Ephesum est reversus.[1] Epheso ante pentecosten relictâ in Macedoniam *usque in Illyricum* venit (Rom. 15, 19.), hiemem *Nicopoli in Epiro* transegit, in Achaia, praecipue *Corinthi* tres menses consumsit, et per Macedoniam et Asiam Minorem, per Tyrum et Caesaream Hierosolymam petiit (Act. 18, 23—21, 17.).

11. Hierosolymis a Judaeis, qui uberrimos laborum ejus fructus aegerrime ferebant, legis violator et apostata accusatus in vincula conjectus est, et Caesareae sub *Felice et Festo*, Judaeae procuratoribus per biennium in carcere detentus, e quo Festus eum dimisisset, nisi Apostolus ad Caesaris forum appellasset (Act. 21, 18—25, 12.).

12. A Festo *Romam* missus post varia fata adversa et pericula in itinere maritimo in orbis metropolim venit, et in custodia militari per biennium mansit (Act. 27, 1—28, 30.).

30. Ex hac captivitate liberatus Apostolus iter suscepit *in Orientem*, dein autem reversus in Occidentem in *Hispaniam* venit, denique *Romam* rediit et una cum Petro martyrium passus est.

S. Paulum e prima captivitate Romana revera liberatum esse, et in altera demum gladio interemtum, e traditione docet Eusebius,[2]

---

[1] Iter hoc brevius ab Apostolo susceptum esse Epheso Corinthum per Macedoniam, clare edocemur e I. Cor. 10, 7.: „Nolo enim vos modo in transitu videre"; e II. Cor. 2, 1.: „Ne iterum in tristitia veniam ad vos"; e 12, 14. et 13, 1.: *τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.* Hac occasione Apostolum comite Tito etiam venisse in insulam Cretam, e serius dicendis patebit. Ubinam iter istud brevius inserendum sit, ad finem §. 172. indicabimus.

[2] Hist. ecc. II. 22. et 25. *Παῦλος δὴ οὖν ἐπ' αὐτῆς Ῥώμης τὴν κεφαλὴν ἀπο-*

et eum e traditione hausisse antiquissimâ, testantur apocryphon *κήρυγμα Πέτρου* Origeni notum, ab Ursino et Lactantio adhibitum;[1] praeterea Dionysius Corinth.,[2] Tertullianus,[3] Cajus presbyter Rom.[4] et Lactantius;[5] omnes enim viri mox laudati martyrio Pauli Romae illud Petri simul associant, quod primae Pauli captivitati non convenit.

Apostolum nostrum inter primam et alteram captivitatem Rom. *in Hispaniam* venisse, testis est *Clemens Romanus*, Pauli discipulus, in sua ad Corinthios epistolâ c. 5., ubi de Paulo dicit: *ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθών;* per *τὸ τέρμα τῆς δύσεως* Clemens Romae scribens non hanc urbem, sed nonnisi Hispaniam intelligere potuit. Praeterea auctor catalogi Rom. apud Muratorium *„profectionem Pauli ab urbe in Hispaniam"* ut rem certam et notissimam supponit. Si simul recordemur desiderii in Hispaniam proficiscendi, quod Apostolus jam in epistola ad Romanos 15, 24. 28. manifestat, inde antiquorum traditio non parum confirmatur.[6]

Si ad Pauli ap. *characterem* respiciamus, diversi N. T. loci sequentia docent:

1. *Ingenium Apostoli praestans*, eruditione judaicâ excultum et literarum graecarum haud ignarum, quod idoneum eum reddidit impugnando placita atque praejudicia Judaeorum, et demonstrando ac defendendo veritatem christianam eo modo, quo eruditis etiam satisfieret.

2. *Singularem animi vivacitatem*, ante et post conversionem ad Christum in dictis et factis ejus sese manifestantem.

3. *Firmissimam de veritate et summâ religionis christianae praestantiâ persuasionem*, quam phaenomenon coeleste, dum Damascum proficisceretur, excitavit, et revelationes divinae seriores nec non propria experientia nutriebant. — Ex his prodiit

4. *Indefessus in propaganda tuendaque veritate fervor*, qui tamen a praecipua ejus vitae epochâ ita ordinatus erat, ut neque pericula

---

*τμηθῆναι, καὶ Πέτρος ὡσαύτως ἀνασκολπισθῆναι κατ' αὐτὸν* (Nerone) *ἱστοροῦνται.*

[1] Ursinus de non iterando baptismo apud Cyprianum pag. 139. (edit. Rigalt.): „Liber, qui inscribitur Pauli praedicatio, in quo invenies — — post tanta tempora Petrum et Paulum — — postremo in Urbe quasi tunc primum invicem sibi esse cognitos." Cfr. Lact. instit. div. IV. 21.

[2] In ep. ad Rom. apud Euseb. h. e. II. 25. *Καὶ γὰρ ἄμφω* (Petrus et Paulus) — — *εἰς τὴν Ἰταλίαν ὁμόσε διδάξαντες ἐμαρτύρησαν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον.*

[3] Tertull. Scorpiace 15. „Orientem fidem primus Nero cruentavit. Tunc Petrus ab altero cingitur, quum cruci adstringitur. Tunc Paulus civitatis Romanae consequitur nativitatem, quum illic martyrii renascitur generositate."

[4] Cajus, presbyter Rom. sub finem saec. II. ait, se Apostolorum trophaea ostendere posse. *Ἐὰν γὰρ θελήσῃς ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸν Βατικανὸν, ἢ ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν Ὠστίαν, εὑρήσεις τὰ τρόπαια τῶν ταύτην ἱδρυσαμένων τὴν ἐκκλησίαν.*

[5] Lactantius inst. div. IV. 21. „Futura (Christus) aperuit illis (discipulis) omnia, quae Petrus et Paulus Romae praedicaverunt. — — Itaque post illorum obitum, quum eos Nero interemisset, Judaeorum nomen et gentem Vespasianus extinxit fecitque omnia, quae illi futura praedixerant."

[6] Cfr.: Dr. Fr. Werner: Uiber die Reise Pauli nach Spanien und dessen zweite röm. Gefangenschaft in: Oesterreich. Vierteljahrschrift für kathol. Theol. Jahrg. 1863. 3. Heft.

praeter necessitatem quaereret, neque limites humanitatis et charitatis aliis debitae transgrederetur.

5. Mira voluntatis firmitas et constantia, qua res difficillimas suscepit, et non obstantibus impedimentis externis et internis strenue ac feliciter exsequebatur.

6. *Summa in agendo et dicendo prudentia,* qua quibuscunque in adjunctis ad rem christianam propagandam uti solitus est, et quae ut in sermonum ejus materia, ita etiam in eorum formâ et argumentandi ratione cognoscitur variis hominibus attemperatâ.

7. *Severitas etiam ironiae usum non spernens* in tractandis illis hominibus, a quibus puritas doctrinae Christi et morum christianorum malevole aut petulanter in periculum deducebatur vel laedebatur, conjuncta tamen cum lenitate et mansuetudine erga resipiscentes et eos, qui ob animi debilitatem aut ignorantiam errabant.

8. *Justa sui et aliorum aestimatio,* qua priorem suam perversitatem ingenue fatebatur, suos vero ad religionem christianam propagandam susceptos labores despici non permisit, quamvis, modestia ductus, fructus horum laborum non sibi, sed gratiae Dei adscriberet. In aestimandis aliis aeque justus, quicquid boni eis inerat, agnovit laudavitque. Denique

9. *illa animi fortitudo,* quae ob Christum ejusque ecclesiam nulla pericula, calamitates et aerumnas nullas, imo ne ipsum quidem martyrium reformidat.

## §. 153.

### Chronologia vitae Pauli Apostoli.

In actibus Apostolorum et in epistolis Pauli nonnulli inveniuntur loci, qui, si cum historia profana comparantur, in chronologia vitae Pauli magna cum probabilitate determinanda nos juvent.

1) Saulus post triennium a conversione ad Christum primâ vice venit Hierosolymam coll. Gal. 1, 18., et quidem Damasco, ubi coll. II. Cor. 11, 32. cum Act. 9, 23. 24. auctoribus Judaeis praepositus Aretae regis custodivit portas civitatis, ut Saulum comprehenderet, Apostolus autem per fenestram in sporta dimissus est per murum, et sic manus illius effugit. Deinde post annos 14 iterum ascendit Hierosolymam cum Barnaba et Tito, ut cum Apostolis conferret evangelium suum, quod praedicavit inter gentes coll. Gal. 2, 1. 2. cum Act. 15, 1. seqq.

*Aretas* ille, Arabum rex, vix alius esse potuit, nisi Herodis Antipae socer, qui ob filiam repudiatam et ob lites de regni finibus ortas bellum cum illo gessit, ejusque exercitum paene delevit, et procul dubio hac occasione circa annum 36. aer. vulg. Damascum, quae ad Romanorum ditionem pertinebat, occupare ausus est; nam Vitellius, Syriae praeses, a Tiberio mandatum accepit Aretae bellum inferendi eumque sive vivum sive mortuum Romam mittendi. Dum autem Vitellius legiones suas contra Petraeam duceret, Hierosolymis nuntium accepit de Tiberii morte († 16. Martii ann. 37. aerae vulg.), et potestatem suam extinctam esse ratus milites in stationes

hiemales dimisit).[1] Dio Cassius 49, 12. refert, Cajum Caligulam secundo imperii anno (38. aer. vulg.) res Orientis in ordinem redegisse, quo Aretas non potuit non privari Damasci possessione. Quodsi autem Aretas Damasci dominus non erat, nisi ab anno 36—38.:[2] quae Act. 9, 23. II. Cor. 11, 32. et Gal. 1, 18. narrantur, i. e. fuga Apostoli Damasco Hierosolymam evenire haud potuit ante annum 36., neque post annum 38. aerae vulg.; cum annus 38. cum chronologia evangelica et apostolica solus concordet:[3] hic annus fugae Sauli assignandus est. Quodsi autem Apostolus Damasco Hierosolymam venit anno 38.: conversio ejus triennio prius facta incidit in annum 35., et iter Hierosolymitanum tertium ad Apostolorum concilium in annum 52. aerae vulg.

2) Cum Saulus et Barnabas per integrum annum Antiochiae multo cum fructu docuissent, Agabus propheta *„significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus. Quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabae et Sauli. Eodem autem tempore“* Herodes Agrippa occidit Jacobum, fratrem Joannis, gladio, et cum videret, facinus hoc placere Judaeis, etiam Petrum comprehendit et in vincula conjecit, ut post dies azymorum interficeretur. Cum autem Petrus per angelum mirabili modo e carcere esset liberatus, Herodes post festum paschale Hierosolymis profectus est Caesaream ibique commorabatur et mortuus est. *„Barnabas autem et Saulus reversi sunt Hierosolymis* (Antiochiam) *expleto ministerio,“* et brevi post primum susceperunt iter ad gentiles coll. Act. 11, 19—13, 4.

In hac itaque Lucae narratione sequentes eventus sese excipiunt: Barnabas et Saulus Antiochiae per integrum annum docent; illis diebus Agabus praedicit magnam famem futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub Claudio; Barnabas et Saulus ab Antiochensibus cum collectis mittuntur Hierosolymam; circa idem tempus Agrippa Jacobum gladio occidit et in vincula conjicit Petrum post pascha interficiendum, qui vero per angelum liberatur et in alium abit locum; Agrippa postea abit Caesaream ibique commoratur et moritur; Barnabas et Saulus Hierosolymis Antiochiam redeunt *„expleto ministerio“* et brevi post primum iter suscipiunt. — Ad quae sequentia observamus:

*a)* Inter eventus enumeratos sola Agrippae mors chronologice

---

[1] Jos. Fl. Ant. 18, 5, 1. seqq.

[2] Haec sententia confirmatur nummo Damasceno cum inscriptione Aretae regis et literis *Α Ρ*, i. e. anno 101. aerae probabiliter Pompejanae, quae praeter alias in Syria erat usitata, et quae incipit ab anno 690. U. C., ita ut annus 101. sit 791. seu 37. aerae vulg.

[3] Si primus adventus Sauli Hierosolymis locum habuisset jam anno 36. aut 37.: conversio ejus in annum vel 33. vel 34. aerae vulg. incidisset; atqui paucorum mensium vel integri anni spatium non suffecisset ad ea peragenda, quae Act. c. 1. usque ad c. 9. i. e. ab ascensione Christi in coelum usque ad Sauli conversionem evenisse narrantur.

accuratius innotuit ex historia; nam teste Josepho Fl. (Ant. 19, 8,2.) Herodes Agrippa mortuus est, postquam quatuor annos sub Cajo et tres sub Claudio regnaverat. Claudius nimirum mox ac mense Januario anni 41. arae vulg. thronum conscenderat, ad tetrarchias Philippi, Lysaniae et Herodis Antipae, quibus Agrippa a Cajo erat donatus,[1] etiam Samariam et Judaeam adjunxit,[2] et Agrippae morienti tertius annus erat praeterlapsus, quo toti Palaestinae praeerat.[3] Mortuus est itaque Agrippa quarto anno Claudii seu 44. aerae vulg.

*b)* Verba Act. 12, 1.: *κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸ καιρόν* referri non possunt, nisi ad proxime praecedentia, nimirum ad missionem Barnabae et Sauli Hierosolymam ibid. 11, 30. narratam, ita ut mors Jacobi Maj., Petri conjectio in carcerem et liberatio ac discessio, legatorum Antiochensium Hierosolymis adventus eodem circiter tempore locum haberent. Jam autem eventus illos locum habuisse circa tempus paschale anni secundi Claudii (42. aerae vulg.) sequentibus probatur: *α)* Teste Suetonio (in vita Claudii c. 18.) provinciae Romanae imperante Claudio repetitis vicibus fame laborabant; primis jam annis annonae raritas et caritas erat (Dio Cassius hist. 11.); fames in Palaestina maxima quidem grassabatur post Agrippae mortem procurantibus Judaeam Cuspio Fado ejusque successore Tiberio Alexandro; ast hoc tempore vel brevi antea Barnabam et Saulum Antiochiâ demum missos esse cum stipibus Hierosolymam, admitti nequit; nam Lucas Act. 11, 28. dicens, famem magnam futuram in universo orbe terrarum, ab Agabo praedictam, factam esse sub Claudio, clare innuit, praedictionem illam jam locum habuisse imperante Cajo. Quodsi itaque Antiochenses, ut supponere licet (qui cito dat, bis dat), non cunctati sunt eleemosynas colligere pro Christianis Judaeam incolentibus: Barnabas et Saulus mitti non poterant anno quarto Claudii aut serius, sed hoc prius factum sit necesse est. *β)* Agrippa a Claudio statim primo imperii anno Judaeâ et Samariâ donatus, et Româ Hierosolymam profectus Judaeorum favorem, quem anhelabat, nulla re certius sibi conciliare poterat, quam Apostolorum persecutione. Quare statuere fas est, hanc persecutionem et Sauli cum Barnaba Hierosolymis adventum locum habuisse circa festum paschale secundi anni Claudii seu 42. aerae vulg.

*c)* Dum Lucas Act. 12, 25. reditum Sauli et Barnabae Hierosolymis Antiochiam demum commemorat post Agrippae mortem ibid. v. 20—23. narratam: inde nequaquam sequitur, illos a festo paschali, quo Petrus in carcere retinebatur, usque ad Agrippae obitum in Judaeae metropoli mansisse; nam Act. 12, 19. supponitur (*διέτριβεν*) et a Josepho Fl. (Ant. 19, 8, 1. 2.) confirmatur, Agrippam post festum paschatis Caesaream profectum hic usque ad mortem suam diutius esse versatum; jam vero ut Barnabas et Saulus per integrum illud

[1] Jos. Fl. Ant. 18, 6, 10. B. j. 2, 9, 6.
[2] Jos. Fl. Ant. 19, 5, 1. B. j. 2, 11, 5.
[3] Jos. Fl. Ant. 19, 8, 2.: *τρίτον δὲ ἔτος αὐτῷ βασιλεύοντι τῆς ὅλης Ἰουδαίας πεπλήρωτο.*

tempus Hierosolymis remanerent, neque fine adventus eorum necessarium erat, neque statuere permittitur silentio Pauli de hoc itinere in epistola ad Galatas c. 1. et 2. observato, quod potius brevius temporis spatium supponit, ita ut Paulus cum aliis Apostolis conversandi non haberet occasionem, et revera Act. 12, 25. peracto opere Antiochiam reversi esse leguntur. Quare narratio de morte Agrippae embolii instar est habenda inter eventus priores et Barnabae atque Sauli reditum. Lucas nimirum nexum realem sequens ecclesiae persecutionem et Agrippae mortem immediate conjungit, quo clarius sibi opponatur servile regis studium, quo auram popularem captavit, et immanis ejus crudelitas, qua Apostolos persecutus est; vesana sui ipsius apotheosis, irridentium adulatorum verbis excitata, et foeda ejus mors. Eodem modo Lucas majoris effectus causa e contrarietate oriundi in evangelio narrationi de Joannis B. activitate 3, 1—18. statim addit v. 19. 20. brevem relationem de seriori ejusdem sorte, quo magis illucescat antithesis inter agendi rationem variarum hominum classium, qui praedicatione Joannis moti poenitentiam egerunt, et Antipae, qui monitis illius tactus criminibus crimen addidit; inter probitatem intrepidam Baptistae et adversa ejus fata.[1]

Quae cum ita sint, statuere licet, secundum Apostoli iter Hierosolymitanum locum habuisse secundo anno Claudii (42. aerae vulg.), praecedentem ejus commorationem Antiochiae ab anno 41—42., illam Tarsi Ciliciae ab anno 38—41. sese extendisse, activitatem ejus seriorem partim in primo ad gentes itinere, partim Antiochiae usque ad concilium Hierosolymitanum decem circiter annorum spatium, ab anno 42—52. aerae vulg. explevisse.

3) Paulus *quinto* Hierosolymis advenit post tertium iter in gentilium regiones ante festum pentecostes. Octo diebus elapsis in vincula conjectus est et post biduum Caesaream abductus ad Felicem, Judaeae procuratorem, qui eum usque ad amotionem suam per biennium in carcere detentum reliquit successori suo Festo. Portius Festus, cum venisset in Judaeam, post 15 circiter dies Caesareae pro tribunali sedens audivit accusatores Pauli hujusque defensionem, qua occasione Apostolus ad Caesarem appellavit. Brevi post Paulus cum aliis vinctis traditus Julio centurioni cohortis Augustae conscendit navim Adrumetinam, hiemem transegit in Melita insula et tempore verno advenit Romae, ubi denuo per biennium in carcere sic dicto militari detentus est (Act. 20, 16. 21, 17—28, 31.).

Captivitas Apostoli Caesareensis initium habuit post festum pentecostes, et cum Felici succederet Festus, jam per biennium duraverat (Act. 24, 27.), atque abductio Pauli in navi locum habuit tempore auctumnali ante festum expiationis (10. Tischri Act. 27, 9.). Ob mare clausum[2] insula Melita ante decimum mensis Martii deseri vix poterat; elapsis quinque aut sex diebus navis advenit Puteolis, ubi

[1] Cfr. Güntner hermeneut. bibl. edit. III. p. 98. 2. a).

[2] „Ex die 3. Idus Novembr. usque in diem 6. Idus Martii maria claudebantur." Vegetius de re militari 4, 39.

Apostolus dies 7 commoratus est, et si itineri pedestri Romam facto quinque aut sex tribuamus dies, *Paulus non ante finem Martii Romae advenit.*

*Felix procurator* in Judaeam missus est anno 13. Claudii seu 53. aerae vulg. (Jos. Ant. 20, 7, 1.); quando autem revocatus sit, non constat; attamen ante annum 62. id factum esse, *a)* inde colligitur, quia secus Apostolus a Festo Romam missus ibidem moratus esset ab anno 63—65., ergo grassante Christianorum persecutione Neroniana, quae brevi post incendium Romae initium habuit mense Julio anni 64.;[1] atqui vix exspectare licet, futurum fuisse, ut hoc in casu Apostolus non tantum in vita esset servatus, sed etiam libere praedicare potuisset (Act. 28, 30.). Quare prima Pauli captivitas Romae coeperit necesse est ante annum 62. — Idem probatur *b)* alio eventu historico. Teste Josepho Fl. (Ant. 20, 8, 7. et 9.) Judaeorum Caesareensium primores Felicem statim ac ex Judaea discesserat, secuti sunt Romam eumque injustitiae ac crudelitatis contra Judaeos in favorem Syrorum commissae accusarunt; ast Felix mediatore Pallade fratre sententiam damnantem effugit. Eodem autem tempore duo Syrorum legati Romae advenerunt, qui intercedente *Burro, praefecto praetorio,* decretum impetrarunt Caesaris, quo Judaeis Caesareensibus jus civitatis Romanae primi ordinis ablatum est. Jam vero Burrus initio anni 62. et brevi post Pallas interfecti sunt (Tacit. Ann. XIV. 54.); quare eventus illi et Felicis revocatio locum habuerint necesse est anno 61. aerae vulg. Denique *c)* Paulus coll. Act. 28, 16. post adventum suum Romae cum reliquis captivis traditus est praefecto praetorio, τῷ στρατοπεδάρχῃ. Articulus indicat, tum temporis nonnisi unum fuisse praefectum praetorio; hic autem esse non poterat, nisi Burrus, quum ante et post eum duo essent praefecti praetorio, et numerus pluralis ibi etiam adhibeatur, ubi de captivis traditis est sermo.[2] Cum vero mors Burri in initium anni 62. incidat, Paulus, qui sub finem mensis Martii Burro traditus est, anno praecedente i. e. 61. Romam venerit necesse est.

Quae cum ita sint, Felix, anno 60. aerae vulg. depositus, Judaeam per septem annos administravit, ita ut Paulus eum Act. 24, 10. alloqui posset verbis: *„Ex multis annis te esse judicem genti huic sciens bono animo pro me satisfacio* (rationem reddo)."

*Paulus itaque Hierosolymam venit ante pentecosten anni 58.; ab aestate hujus anni usque ad auctumnum anni 60. Caesareae erat captivus, Romae advenit vere anni 61. et ibidem in vinculis remansit usque ad tempus vernum anni 63.*

4) Si ad activitatem Apostoli Act. 15, 36—21, 16. narratam respiciamus illo temporis spatio, quod inter iter ejus Hierosolymitanum quintum anno 58. et tertium ann. 52. erat interpositum (6 anni): Paulus tempore verno anni 52. alterum suscepit iter, et sub auctumnum Corinthi advenit ibique per annum et sex menses, i. e. usque ad ver anni 54. mansit. Inde profectus per Ephesum quarto visitavit

[1] Tacit. Annal. XV. 41. et 44.
[2] Tacit. Annal. XIV. 41. Plin. ep. X. 65. Philostrat. vit. sophist. II. 32.

ecclesiam Hierosolymitanam, abiit Antiochiam et brevi post tertiam suam ad ethnicos suscepit missionem, in qua sub auctumnum anni 54. Ephesum venire potuit. Ephesi et in itinere intermedio per Macedoniam in insulam Cretam et Corinthum anno 56. fere triennium consumsit. Epheso ante festum pentecostes anni 57. pulsus Apostolus profectus est per Macedoniam usque in Illyricum (Rom. 15, 19.), hiemem anni 58. Nicopoli in Epiro transegit, in Achaia, praecipue Corinthi per tres menses moratus est, et vere per Macedoniam et Asiam minorem reversus est Hierosolymam ibique in vincula conjectus.

5) Referente *Eusebio in chronico Paulus Romae martyrium passus est anno 13. Neronis* (67. aerae vulg.), judice autem *s. Hieronymo* anno 14. Neronis (68. aerae vulg.).[1] Priori sententiae patrocinatur *Clemens Rom.* in ep. ad Corinthios c. 5., ubi dicit: *Δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθὼν, καὶ μαρτυρήσας ἐπὶ τῶν ἡγουμένων οὕτως ἀπηλλάγη τοῦ κόσμου.* Per *ἡγουμένους* procul dubio intelligendi sunt *Helius* et *Polycletus*, Neronis clientes, qui imperatore ab anno 66. usque ad finem anni 67. in Graecia commorante imperii gubernacula tenebant.[2] Alii per *ἡγουμένους* intelligunt *ipsum Neronem et Helium*, quos Dio Cassius[3] *αὐτοκράτορας* dicit, quin vero temporis diversitas oriatur. Verbum *μαρτυρεῖν* non de testimonio orali intellegi posse, docent antecedentia, ubi Clemens de Petro dicit: *πλειόνους ὑπέμεινε πόνους, καὶ οὕτω μαρτυρήσας ἐπορεύθη εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης.* Quum h. l. verbum *μαρτυρεῖν* intelligi non possit, nisi de martyrio, idem asserendum est de eodem verbo de Paulo adhibito.

---

[1] De viris ill. c. 5.: „Hic ergo decimo quarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romae pro Christo capite truncatus sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo."

[2] Clinton. fasti Rom. ad ann. 67. Dio Cass. LXIII. 12. 19. Suet. Nero c. 23. Tacit. Ann. XIV. 31.

[3] LXIII. 12.

# Synopsis.

| Saulus, qui et Paulus Act. 13, 9. | Anno aerae vulg. | Ordo chronologic. epistolarum. |
|---|---|---|
| Ad Christum convertitur Act. c. 9 . | 35. | |
| Ex Arabia per Damascum primo Hierosolym. venit et Tarsum abit Gal. 1, 17. 18. Act. 9, 26—30. . . . . | 38. | |
| A Barnaba Tarso Antiochiam ducitur Act. 11, 25. . . . . . . . . | 41. | |
| Cum collectis Antiochia mittitur Hierosolymam (2.) Act. 11, 30. . . . | 42. | |
| Antiochia primam cum Barnaba suscipit missionem ad ethn. Act. 13. . . . | 42. | |
| Ad Apostolorum concil. Antiochia Hierosolymam se confert Act. 15. . . . | 52. | |
| Antiochiam reversus alterâ vice in ethnicorum regiones proficiscitur Act. 15, 36. . . . . . . . . . . | 52. | |
| Prima vice Corinthi per annum et sex menses commoratur Act. 18, 1. . | 53. 54. | I. et II. ad Thessalonicenses. |
| Quarto Hierosolymam abit per Ephesum Act. 18, 18. . . . . . . . | 54. | |
| Antiochia tertio proficiscitur ad gentes et Ephesi advenit Act. 19. . . . | 54. | Epist. ad Galatas. |
| Commorationem Ephes. interrumpit breviori itinere per Macedon. . . . | . . . . | I. ad Timotheum. |
| in insulam Cretam et Corinthum et Ephesum redit . . . . . . . | 56. | |
| | 57. | Ep. I. ad Corinth., ad Titum. |
| Epheso circa festum pentecostes digreditur et per Macedoniam proficiscitur Act. 20, 1. . . . . . . . . | 57. | II. ad Corinthios. |
| Hieme Nicopoli transacta Corinthi per 3 menses commoratur Act. 20, 3. . | 58. | Epist. ad Romanos. |
| Quinto Hierosolymam venit per Maced. et Asiam minorem circa festum pentecostes, in vincula conjicitur et Caesaream abducitur Act. 21, 7. 33. 58. . | 58. | |
| Caesareâ Romam mittitur auctumno Act. 27, 1—60. . . . . . . . . . | 60. | |
| Romae tempore verno advenit . . . | 61. | |
| | 63. | Epist. ad Ephes. ad Coloss. ad Philem. et ad Philipp. |
| Liberatur vere Act. 28. . . . . . | 63. | Epist. ad Hebraeos. |
| Altera vice Romae captivus est . . | 66? | Epist. II. ad Timotheum. |
| Romae gladio interficitur . . . . | 67. | |

## A) Epistolae Pauli Ap. in secundo itinere scriptae.

### 1) Epistola I. ad Thessalonicenses.

### §. 154.

**De urbe Thessalonica et origine ecclesiae christianae ibidem.**

*Thessalonica, olim Thermae dicta et Macedoniae caput*,[1] a Cassandro amplificata et in honorem Thessalonicae, uxoris suae, Philippi Macedonis filiae, novo nomine donata, sub Romanorum imperio Macedoniae in quatuor partes divisae, secundae erat metropolis praesidisque Romani et quaestoris sedes.[2] Ad portum sita et mercatura diutius florens insignis erat tum amplitudine sua, tum multitudine et opulentia incolarum,[3] celebritatem vero hanc foedavit fama de civium lascivia et impudicitia. Maxima quidem incolarum pars constabat ex ethnicis; ast ut in aliis imperii Romani civitatibus, ita hic quoque Judaeos non paucos vixisse libertate donatos in synagoga sacra sua obeundi, ex Act. 17, 1. patet.

Cum s. Paulus coll. Act. c. 16. Philippis ejectus per Amphipolim et Apolloniam Thessalonicam venisset, pro more suo Judaeorum synagogam adiit et ibidem Christum praedicavit. De veritate doctrinae suae paucis quidem Judaeis, multis vero Graecis σεβομένοις persuasit, et inter hos pluribus matronis nobilibus. Ecclesia igitur Christianorum in hac urbe collecta e multis constabat ethnicis et e paucis Judaeis natis. Judaei increduli, cum viderent ethnicorum conversionem, invidia ducti tantos excitarunt motus, ut Apostolus, peractis Thessalonicae tribus solum hebdomadibus, una cum Sila et Timotheo noctu fugam capere cogeretur Beroeam. Judaei Beroeenses verbum Dei avide susceperunt et multi crediderunt, et mulierum gentilium honestarum et viri non pauci. Judaei autem Thessalonicenses, quum cognovissent Beroeae quoque a Paulo praedicatum esse Christum, venerunt et illuc et plebem ad tumultum concitarunt; quare Apostolus relictis ibidem Sila et Timotheo Athenas petiit, unde brevi post Timotheum, qui ad ipsum venerat, coll. I. Thess. 3, 1. 2. cum Act. 17, 15. misit Thessalonicam, ipse vero Corinthum abiit, et ibi cum esset, venerunt Silas et Timotheus coll. Act. 17, 1—18, 6.

### §. 155.

**Occasio et argumentum epistolae.**

*Occasionem hujus epistolae exarandae Apostolo suppeditarunt relationes partim laetae, partim tristes, quas*, ut ex ipsa epistola edocemur, *eidem attulerat Timotheus, qui Thessalonicâ Corinthum ad eum*

[1] Thucyd. de bell. Pelopon. I, 61. Herodot. hist. 7, 21.
[2] Liv. hist. 44, 10. 45.
[3] Strabo Geogr. 1, 7.

*redierat;* — relationes nimirum de constantia Thessalonicensium in religione christiana profitenda et defendenda, de veneratione et obsequio erga Apostolum et de summo ejus iterum videndi desiderio, de liberalitate eorum erga pauperes. Simul autem certior factus est de erroribus ac vitiis eorum variis, uti: alterum Messiae adventum proxime instare, ideo superfluum esse omnem laborem; defunctos deplorandos esse, quia non resurrecturi essent ad gloriam; quosdam otiosos discurrere et inquiete agere. Hinc Apostolus

Cap. 1. laudat eorum in fide tenenda et tuenda constantiam et in adversis patientiam. Ut ad perseverentiam eos excitet,

Cap. 2. in memoriam eis revocat sinceritatem suam ac zelum, quo ipsis, ab omni proprii commodi studio alienissimus, evangelium praedicavit.

Cap. 3. narrat, quomodo eorum amore ac desiderio animatus ad eos miserit Timotheum, et quomodo cognitâ ex Timotheo ad se reverso eorum in fide constantiâ gaudeat, Deo gratias agat oretque, ut eos denuo videre et in fide perficere sibi contingat.

Cap. 4. hortatur ad castitatem, ad fugam otii, ad laborem et sedulitatem; dein de mortuorum resurrectione uberius eos instruit dicens, eam esse certo sperandam, et defunctos Christianos in regno Christi futuro una cum illis, qui in vita superstites manserint, eâdem prorsus felicitate esse fruituros, ideoque non deplorandos.

Cap. 5. profitetur, de tempore resurrectionis omnium et extremi judicii nihil certi sibi constare; hoc solum indubium esse ait, adventum Christi subito et improviso futurum, ideoque semper vigilandum et bonis operibus studendum esse monet. Tandem variis adhortationibus epistolam finit.

## §. 156.

### Quando et ubi epistola haec scripta sit.

*Epistola haec exarata est Corinthi,* ubi s. Paulus in secundo itinere per annum et sex menses moratus est, *anno circiter 53. aerae vulg.* Etenim non magnum elapsum fuisse temporis intervallum ab Apostoli discessu ex urbe Thessalonica usque ad hujus epistolae editionem, haud obscure innuitur 2, 17—3, 6. Neque tamen, ut e male intellecto 3, 1. Theodoretus, Euthalius et multae subscriptiones exhibent, eam Athenis scriptam esse, inde patet, quod Apostolus dicit 3, 6., Timotheum nuper ad se venisse; quia vero hic coll. Act. 18, 5. tum demum Thessalonicâ venit, quum Apostolus jam Corinthi degeret: clarum est, Corinthi eam exaratam esse, probabiliter primo tempore commorationis s. Pauli in hac urbe.

§. 157.

## 2) Epistola II. ad Thessalonicenses.

*Secunda ad Thessalonicenses epistola primae quasi complementum est;* nam coll. I. ep. 2, 17. 18. vehementer desiderabat Apostolus redire ad Thessalonicenses, et coll. 3, 10. a Deo, ut voti hujus compos fieret, precibus expetiit, ut nimirum sermonibus suis compleret, quae deerant Thessalonicensium fidei; variis autem negotiis et causis impeditus, quominus ad eos reverteretur, per hanc epistolam facit absens, quod fecisset praesens, fidem scilicet Thessalonicensium laudat, laudando roborat, spem firmat, animos erigit ad constanter patiendum pro Christo. — In prioris epistolae c. 4. et 5. de resurrectione mortuorum et de glorioso Christi adventu egerat ad Thessalonicenses in suorum obitu consolandos. Quia vero de utroque ita locutus erat, ut 4, 15. prima persona plurali uteretur, et 5, 2. 4. Thessalonicenses ad vigilantiam hortaretur, ne imparatos eos dies illa tanquam fur comprehenderet: lectores inde colligebant, diem judicii extremi brevi instare; hunc errorem confirmavit impostor quidam tum fictis revelationibus, tum suppositis s. Paulo literis. Apostolus itaque lectoribus in memoriam revocando, quid adventum Christi praecedere debeat, erroneam eorum sententiam corrigit. — In priore epistola 5, 14. otiosos quosdam et inquietos corrigi voluit, et quia eos nondum emendatos esse audierat, in hac epistola a 3, 6. illos severius monet. — Tandem signum dat Thessalonicensibus, quo ipsius literas genuinas a suppositis dignoscant.[1]

*Epistola II. ad Thess. non diu post primam, et quidem Corinthi anno 53. aut 54. scripta est;* nam non tantum status ecclesiae, virtutes et vitia lectorum eadem erant; sed Apostolus 1, 1. praeter se et Timotheum nominat etiam *Silvanum,* qui nonnisi in secundo itinere inter Pauli comites commemoratur; hinc nullam fidem merentur subscriptiones et nonnullorum sententiae, epistolam exaratam esse Athenis (Theodoret., Euthalius, codd. AB.), aut Romae (synops. Athanas. et Oecumenius), aut Laodiceae in Pisidia (Peschito).

### B) Epistolae Pauli Apostoli in tertio itinere exaratae.

## 1) Epistola ad Galatas.

§. 158.

**De Galatis eorumque conversione.**

*Galatae erant incolae Galatiae, provinciae in Asia minori sitae.* Quod attinet Galatarum *originem historiamque,* sequentia innotuerunt: Tertio ante Christum saeculo (circa annum 280.) duae gentium

[1] Cfr.: Der κατέχων des II. Thessaloniker-Briefes von Dr. Grimm. Regensburg 1861.

stirpes, quas Graeci et Romani *Trocmos* et *Tolistobojos* nominarunt, et quibus sese associavit stirps celtica, *Tectosages* appellata, *Luturio* duce e Gallia impetum fecerunt in Macedoniae regnum, post Alexandri mortem dirutum. E Thracia, ubi pars quaedam aliquamdiu sedem habuerat fixam, in Asiam minorem trajecerunt, a Nicomede, Bithyniae rege, invitati, cui opem ferrent advertus *Ciboetam* fratrem dimicaturo. Aliqua Bithyniae parte donati numero, auctoritate ac potentia magnopere increverunt, pro fortitudine sua perpetuâque belli gerendi terrarumque expugnandarum cupidine fines territorii sui dilatantes, donec ab *Attalo,* Pergami rege superati (an. 240. a. Ch.) Bithyniam relinquere, et juxta *Halyn flurium* intra fines sese continere angustiores cogerentur. Tenebant jam eum terrae tractum admodum fertilem, qui Bithyniae, Phrygiae, Cappadociae, Ponto et Paphlagoniae interjacebat. Unde factum est, ut regio illa tum *Galatia*, tum propter Graecos multos, cum his recentibus incolis junctos *Gallo-Graecia* appellaretur. Gens tamen haec bellicosa, populis regibusque finitimis Asiae terribilis, anno 188. a. Ch. prorsus devicta est a Romanis, *Cn. Manlio* consule, eorumque imperio ab hoc inde tempore paruit, ita tamen, ut porro suos haberet reges, tetrarchas, auctoritate Romanorum regnantes, usque dum Galatia an. 26. a. Ch. per *Augustum Caesarem* in formam provinciae Romanae redigeretur, et legibus Romanis et propraetore gubernaretur.

In hanc regionem mox plurium gentium migrarunt coloniae, partim soli ubertate allectae, partim mercaturae studio ductae. Inter has etiam Judaeos fuisse, patet e Josephi Fl. Antiq. 16, 6, 2., ubi narratur: Augustum in templo Ancyrae sibi consecrato decretum affigi jussisse in gratiam Judaeorum, ne scil. a Graecis Romanisque laederentur. Idem edocemur ex epistolae argumento, quod manifestat, eam, licet non solis Judaeo-Christianis, tamen hominibus inter Judaeos viventibus religionisque judaicae non ignaris esse scriptam.

### §. 159.

#### Epistolae occasio.

*Occasio* hujus epistolae cognoscitur, si quaedam notitiae historicae in actibus App. occurrentes et epistolae argumentum respiciantur.

S. Paulus coll. Act. 16, 6. cum ep. ad Gal. 4, 13. seq. in secundo itinere Galatis evangelium praedicavit et optime ab eis exceptus est. Cum autem in tertio itinere altera vice ibidem versans coll. Act. 18, 23. Judaeo-Christianis legis mosaicae observationem ab ethnico-christianis quoque poscentibus fortiter sese opponeret: illi Apostoli vix digressi auctoritatem inter Christianos, qui doctrinam ejus sequebantur sanam, variis modis, narratiunculis et calumniis infringere annitebantur (1, 10. 5, 11.). Horum seductorum tanta erat in animos ethnico-christianorum vis, ut festa, ritus et abstinentiam Judaeorum observarent, ut plures ad circumcisionem suscipiendam proni essent, et de Apostolo ejusque auctoritate dubitare inciperent (3, 1. seqq. 4, 11. 14. 16. 21. 5, 2. 6, 12.). Galatae praeterea vitiis quibusdam erant

dediti, uti dissidiis et luxuriae, quae in civitatibus totius fere Romanorum imperii majoribus et mercatura florentibus vulgaris erat (5, 14—6, 10.).

Haec omnia vel per nuncium vel per Christiani cujusdam Galatae literas cognita Apostolo epistolae hujus scribendae suppeditarunt occasionem, imo quodammodo imposuerunt necessitatem.

## §. 160.

### Argumentum epistolae ejusque dispositio.

*Epistola haec classicum est opus, e quo edocemur, quomodo s. Paulus de Judaismo generatim et de ejus relatione ad religionem christianam cogitaverit* (cfr. 3, 19. 20. 24.).

Auctor in hac epistola quinque quasi induit personas, et quidem

1. *tanquam legatus divinus loquitur,* muneris et officii sui auctoritatem tuens, levitatem Galatarum perstringens, mala consilia pseudoapostolorum detegens, erronea eorum placita damnans suumque soli Deo placendi studium probans 1, 1—10.

2. *Scribit qua apologeta,* doctrinam suam genuinam esse demonstrans tum e vocatione sua divina et agendi ratione subsecutâ, tum ex harmonia cum reliquis Apostolis, tum e correptione ipsius Petri Antiochiae 1, 11—2 fin.

3. *Polemici partes agit* refutando adversariorum sententiam de legis mosaicae observandae necessitate. Quem in finem argumenta repetit *a*) inde, quod Spiritum s. non ob legem et tempore V. F., sed per Christum et ob religionis christianae professionem acceperint 3, 1—5.; *b*) e promissione salutis messianae Abrahamo propter fidem factâ, quae per legem serius latam immutari non potuit 3, 6—18.; *c*) a scopo legis mosaicae ejusque relatione ad Christum 3, 19—4, 20.; *d*) ab effatis et factis V. F. typicis 4, 21—31.

4. *In irenarchae provinciam abit* revocando Galatas ab observatione legis ad usum libertatis, in quam per Christum vocati sunt; simul vero a libertatis hujus abusu dehortatur 5, 1—6, 11. Denique

5. *aemulatoris personam in se exhibet* exprobrando infidelitatem, ignaviam, superbiam pseudoapostolorum, et salutatione brevissima epistolam finit 6, 12—18.

## §. 161.

### Quibus lectoribus inter Galatas scripta sit haec epistola.

Ex integro epistolae argumento elucet, eam potissimum destinatam fuisse *Christianis, qui e gentilibus conversi erant;* Judaeochristianos enim jam circumcisos Apostolus monere non potuit, ne circumcisionem susciperent (5, 2. 6, 12.). Idem porro extra dubium collocatur 4, 8., ubi dicit: *„Deum ignorantes iis, qui naturâ non sunt dii, serviebatis.“* Attamen e disputationis modo, quo Apostolus utitur, et qui diversus est ab eo, quem ad ethnico-christianos judaicae religionis prorsus ignaros loquens observare solet, luculenter patet,

Galatas ethnico-christianos prius fuisse proselytos, et ideo non ignaros legis mosaicae et ss. V. F. literarum, quas Judaei in Galatia degentes in synagogis suis graece praelegere solebant.

## §. 162.

### Quando et ubi epistola haec scripta sit.

Epistolam hanc scriptam esse, quum s. Paulus bis jam Galatis praedicasset, e 4, 13—16. praecipue e formula τὸ πρότερον v. 13. clare elucet. Jam vero Apostolus in secundo itinere primâ, et in tertio alterâ vice in Galatia versatus esse legitur Act. 16, 6. et 18, 23., et non multum temporis inter praesentiam ejus alteram in Galatia et epistolam hanc exaratam intercessisse, patet e 1, 6., ubi miratur Apostolus, Galatas tam cito in aliud transiisse evangelium. Cum autem Paulus in tertio itinere peragratis superioribus Asiae minoris regionibus descenderet Ephesum ibique per biennium et tres menses moraretur Act. 19, 1. seqq.: *Ephesi scriptam esse hanc epistolam circa annum 54. aera vulg.,* omni jure statuitur.

Sunt tamen, qui epistolam hanc prius, et quidem omnium primam a s. Paulo scriptam esse statuant sequentibus nixi argumentis:

1. E 2, 1. 9. 13. *Barnabam* Galatis notum fuisse, non temere colligitur; Barnabas autem Galatis innotuit, si una cum Paulo in Galatia praesens erat. Cum vero Barnabas in itinere secundo et tertio Pauli non esset comes coll. Act. 15, 36—39.: Apostolum jam in primo itinere una cum Barnaba primâ, et in secundo itinere cum Sila et Timotheo alterâ vice in Galatia religionem christianam praedicasse, et in itinere secundo epistolam nostram non Ephesi anno 54., sed potius an. 52. aut 53. scripsisse statuendum est.

2. Iter secundum Act. 15, 36. *ad confirmandos fratres* susceptum dicitur. Cum autem Apostolus hac occasione etiam in Galatiam venerit, sequitur, ibi tum temporis jam Christianos fuisse, iter ergo hocce Pauli non fuisse primum, sed secundum in Galatiam. Et revera

3. Act. 14, 6. legitur Paulus jam in primo itinere una cum Barnaba praedicasse *„in Lycaoniae civitatibus: Lystrae et Derbae, et universâ in circuitu regione.“* Jam vero Galatia erat regio Lycaoniae vicina, ergo Paulum in primo suo itinere una cum Barnaba prima vice in Galatiam venisse, ipsis actibus Apostolorum confirmatur.

Hisce tamen argumentis sequentia opponuntur:

Ad 1. *a*) Apostolus Barnabam Galatis e traditione notum supponere potuit, nimirum tum e relationibus Judaeo-christianorum e Palaestina in Galatiam et vice versâ profectorum, tum e suis ipsius inter Galatas praesentis de hoc insigni religionis christianae praecone et adjutore suo narrationibus. *b*) Si ex tali Barnabae commemoratione 2, 1. 9. 13. jure colligeretur, eum prius cum s. Paulo in Galatia fuisse: Petrum quoque, Jacobum et Joannem inter Galatas antea esse versatos, eodem jure asserere liceret; nam et horum haud secus ac Barnabae in nostra epistola fit mentio 2, 9.

Ad 2. *a*) Act. 15, 36. coll. c. 16, 5. legimus quidem, secundi itineris s. Pauli scopum et effectum fuisse eum, ut ecclesiae confirmarentur in fide, quod supponit, adfuisse jam ecclesias christianas in illis regionibus, quas hoc tempore Apostolus pertransibat docens; attamen 16, 5. aperta est clausula totius relationis a 15, 36—16, 4.; unde verba: *„Ecclesiae confirmabantur in fide et abundabant numero quotidie"* ad praecedentia referenda sunt, ita ut intelligantur ecclesiae Syriae, Ciliciae et Lycaoniae. Post illam clausulam 16, 5. positam demum dicitur: *„Cum pertransiissent Phrygiam et Galatiae regionem, vetiti sunt a Spiritu s. loqui verbum in Asia."* Nova igitur et ulterior activitatis apostolicae a 16, 6. nominatur sphaera, et Galatia nequaquam iis adnumeratur regionibus, in quibus ecclesiae jam prius adfuissent, nuncque confirmatae essent in fide. *b*) Si argumentationi isti inesset vis, sequeretur etiam, Apostolum jam in primo suo itinere pervenisse in Macedoniam et Achaiam, quia in secundo itinere in hisce quoque Europae partibus praedicavit, quod tamen clarae Actuum relationi repugnat. Qui nimium probat, nihil probat.

Ad 3. Dum Act. 14, 6. Paulus cum Barnaba ad civitates Lycaoniae: Lystram et Derben, et in universam in circuitu regionem fugisse legitur ibique praedicasse: ipsa mutua dictorum relatio docet, per verba: *„in universam in circuitu regionem"* intelligendam esse regionem Lycaoniae, civitatibus Lystrae et Derbae circumjacentem, non vero Galatiam, quae partim regio non circumjacens, sed vicina dicenda, partim in specie nominanda fuisset, quia secus etiam Cappadocia, Bithynia aut Pisidia intelligi posset.

Quae cum ita sint, epistola ad Galatas tempore et loco superius determinato scripta censenda est. Quae a 6, 11. leguntur, non per amanuensem, sed propria Apostoli manu scripta sunt. Ipsa haec res innuit, epistolam hanc demum post secundam ad Thessalonicenses exaratam esse, postquam nimirum Apostolo necessitas orta erat, epistolis suis in signum authentiae saltem salutationem adjungendi propria manu scriptam (coll. II. Thess. 2, 3. et 3, 17.).

Inscriptiones quaedam hujus epistolae exaratae locum nominant *Romam.* Sed praeter multa alia non fit mentio vinculorum, quibus Apostolus teneretur, quae tamen fit in omnibus epistolis tempore captivitatis Romanae ab eo scriptis.

## 2) Epistola I. ad Timotheum.

### §. 163.

**De Timotheo.**

*Timotheus,* patre gentili (Act. 16, 1.), matre vero judaica, *Eunike* nomine (II. Tim. 1, 5.) natus, Lycaoniam, Asiae minoris provinciam, et quidem civitatem *Lystram* habuit patriam (coll. Act. 16, 1. cum 20, 4.). A s. Paulo in primo itinere una cum matre et avia ad Christum conversus ob pietatem suam et ss. literarum V. F. cognitionem (II. Tim. 3, 15.) apud Christianos Lycaoniae tantâ gaudebat famâ

ut Apostolus, cum in secundo itinere altera vice in hanc Asiae regionem venisset, eundem, etsi juvenis erat, comitem assumeret et nequaquam indignum haberet, cui brevi post evangelii praedicandi provinciam assignaret. Ut ei religionis christianae doctori in synagogas Judaeorum aperiret aditum, circumcidendum eum curavit, et solenni ritu ad munus initiatum donisque Spiritus s. ornatum secum duxit in evangelio praedicando ministrum et adjutorem. — Summa erat Timothei in Apostolum pietas, summus Apostoli erga Timotheum amor et tanta in eum fiducia, ut non solum eo in causis gravioribus ad diversas ecclesias uteretur legato, sed ei etiam ecclesiae Ephesinae curam et administrationem concrederet, cumque ipse Romae captivus mortem sibi imminere sciret, ejus praesentiam magno desiderio exspectaret (I. Thess. 3, 2. I. Cor. 4, 17. Phil. 2, 19. Hebr. 13, 23. II. Tim. 4, 8.).

## §. 164.

### Occasio et argumentum I. epistolae ad Timotheum.

S. Paulus coll. 1, 3. nostrae epistolae Epheso digrediens Timotheum reliquit, et ecclesiae dirigendae munus ei demandavit. *Gravitas muneris in Timotheum translati occasionem praebuit Apostolo, eum hac epistola instituendi, quomodo officiis suis rite satisfacere, quid docere, quid sequi, quid vitare debeat.* Hinc

Cap. 1. praemissâ salutatione Apostolus dicit, quem iu finem Timotheum reliquerit Ephesi: ut resistat iis, qui tradant fabulas inutiles et genealogias, quae lites generant; docenda esse ea, quae fidem, charitatem et bonos mores promoveant, quia charitas scopus legis est. Gratias agit ob misericordiam divinam, quam ipse, aliquando blasphemus, consecutus sit, et quae omnibus peccatoribus vere poenitentibus spem ac fiduciam inspirare debeat.

Cap. 2. Apostolus Timotheum instruit de precibus, quae pro omnibus hominibus, in omni loco, a viris et mulieribus sint fundendae; mulieres ne doceant, salvabuntur autem per filiorum educationem et per suam in fide, charitate et vitae sanctitate perseverantiam.

Cap. 3. agitur de ordinatione ecclesiae ministrorum, et quidem de dotibus, quae in episcopo, in diacono et in horum uxoribus requiruntur, et Timotheus monetur, ut juxta praecepta sibi tradita regat ecclesiam Dei, quae est veritatis columna, mysterio incarnationis Jesu Christi subnixa.

Cap. 4. praedicitur, brevi orituras esse haereses, quae nuptias et certos cibos ut malos damnent, Timotheus fabulas spernat, pietatem exerceat, et ne quis eum ob juventutem contemnat, omnibus sit sanctitatis exemplum, lectioni s. scripturae et verbi divini praedicationi sedulo vacet, et gratiam in ordinatione acceptam ne negligat.

Cap. 5. Paulus Timotheum instruit, quomodo se gerere debeat erga singulos fideles pro diversitate aetatis, sexus et dignitatis gradu, in specie erga viduas diversas, erga presbyteros probos et publice

peccantes; monet, ut nemini sine accurato examine praemisso manus imponat, ut castitatem sollicite servet, et ut ob frequentes infirmitates modico vino utatur.

Cap. 6. docet Apostolus, quomodo instituendi servi; ut omnes Christiani sufficientiae studeant hortatur et avaritiam fugiant, et Timotheum obtestatur, ut fortiter certet certamen, divites ad rectum divitiarum usum excitet, fidei depositum servet, nova vitet dogmata et objectiones e falsae philosophiae principiis petitas rejiciat. Salutatio.

Ob argumentum suum epistola haec, altera ad Timotheum et illa ad Titum epistolae s. Pauli pastorales dicuntur.

## §. 165.

### Quo tempore et loco I. ad Timotheum epistola scripta sit.

1. Ut e 1, 3. patet, *epistola haec exarata est, quum Apostolus Timotheo Ephesi relicto ex hac civitate in Macedoniam abiret.* Jam vero ex Act. c. 19. et 20, 1. discimus, s. Paulum in tertio itinere apostolico post tumultum a Demetrio argentario excitatum Epheso digressum in Macedoniam se contulisse. In hoc ergo itinere circa festum pentecostes anni 57. epistolam hanc in Macedonia scriptam esse plures censent. Huic sententiae non obest quidem Act. 19, 22., ubi ante illum tumultum Ephesinum Timotheus cum Erasto in Macedoniam, imo coll. I. Cor. 4, 17. Corinthum usque missus esse legitur, neque II. Cor. 1, 1. Rom. 16, 21. et Act. 20, 4., ubi Timotheus apud Apostolum in Macedonia et Corinthi praesens, et serius inter comites ejus ex Achaia per Macedoniam reducis fuisse narratur; etenim e I. Cor. 16, 10. 11. certum est, Paulum Timothei reditum ante pentecosten Ephesi exspectasse, et iter Corintho, ubi Timotheus ante festum paschale advenerat, Ephesum per Macedoniam diebus triginta, navi vero diebus sedecim absolvi potuisse. Praeterea potuisset Timotheus peractis gravissimis Ephesi negotiis e causa nobis ignota Apostolum in Macedoniam sequi, apud eum adesse, quum II. ad Corinthios epistola scriberetur, inde in Achaiam et per Macedoniam in Aciam comitari reducem.[1] —

Etsi haec negari haud possunt, illi tamen temporis determinationi obstat ipsius epistolae I. ad Tim. 3, 14. 15. 4, 13., ubi Apostolus propositum suum manifestat, peracto hoc itinere breviori Ephesum revertendi; jam vero coll. Act. 19, 21. cum I. Cor. 16, 4. seqq. Paulus in tertio itinere ante discessum suum Epheso per Macedoniam in Achaiam abire, inde Hierosolymam petere et demum Romam proficisci sibi proposuit, et propositum hocce coll. Act. 20, 2. 3. revera exsecutus est, ita tamen, ut Corintho non directe in Asiam navigaret, sed ob Judaeorum conjurationem per Macedoniam reverteretur. In illo itaque itinere epistola nostra scribi vix potuit.

2. Alii statuunt, epistolam hanc scriptam esse *inter captivitatem*

[1] Cfr. Hug: Einleitung II. 377.

*Apostoli Romae primam et secundam*, idque probare nituntur ex eodem loco I. Tim. 1, 3., ubi Timotheus Ephesi relictus esse legitur, ut quibusdam praeciperet, *„ne aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quae quaestiones praestant magis, quam aedificationem Dei, quae est in fide.“* Hisce supponi dicunt, tempore exaratae hujus epistolae falsos doctores theosophicos Ephesi jam pedem fixisse, hoc vero factum non esse ante finem tertii itineris Pauli; nam in oratione, qua Apostolus coll. Act. 20, 17. seqq. Mileti presbyteris Ephesinis valedixit, ne verbo quidem falsorum ejusmodi doctorum jam progressorum mentio fit, sed eorum proditus futurus demum annunciatur.[1] — Verum

*a)* Theosophia illa in Asia minore non una cum religione christiana aut serius enata erat, sed jam antea inter Judaeos culta; hinc mirum foret, si nemo Judaeo-christianorum Ephesi eam doctrinae evangelicae obtrudere tentasset. Attamen ejusdem asseclae non statim ab initio, praesente Apostolo, eâ cum audaciâ prodierunt, ut serius, cum Paulus diutius jam ex illis regionibus abesset; et ut eorum conamina coërceret, Timotheus ab Apostolo in tertio itinere discedente Ephesi erat relictus.

*b)* Timotheum ab Apostolo demum post primam captivitatem Romanam Ephesi episcopum esse constitutum, demonstrari nequit; si autem jam antea id factum erat, et quidem in tertio itinere: Apostolus Timotheum justo serius docuisset, quibus dotibus praediti esse debeant episcopi (presbyteri), diaconi et diaconissae, et quomodo in genere ecclesia ordinanda sit atque regenda. —

*c)* Quae I, Tim. 4, 12. de contemtu Timothei ob juventutem leguntur, seriori tempori, quo ille per plures jam annos de ecclesia Christi optime meritus erat, vix conveniunt. Neque huic sententiae obest monitum in II. Tim. 2, 22.; nam juvenilia desideria fovere etiam potest, qui non amplius est juvenis.

3. *Alii denique huic epistolae exaratae illud assignant iter, quod Apostolus Epheso per Macedoniam Corinthum suscepit intra triennium illud Ephesi transactum* (Act. 20, 31.).[2] — Haec sententia sequentibus commendatur reliquis praeferenda:

*a)* Revera tale iter ab Apostolo Epheso susceptum esse Corinthum et procul dubio per Macedoniam, clare edocemur e I. Cor. 16, 7.: *„Nolo enim nos modo in transitu videre,“* e II. Cor. 2, 1.: *„Ne iterum in tristitia veniam ad vos,“* 12, 14. et 13, 1.: *τρίτον τοῦτο ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.* Hoc iter ad Corinthios inter primum et tertium Lucas in actibus Ap. non aperte quidem narrat, innuit vero coll. 19, 8—10. cum 20, 31.; in priore enim loco Apostolus per tres menses et biennium, in altero per triennium Ephesi commoratus esse legitur, quae discrepantia explicatur, si tempus paucorum mensium, quod in itinere per Macedoniam et Achaiam suscepto Apostolus consumsit, in priore loco non in censum veniat, in altero autem tribus mensibus et biennio addatur.

[1] Adalb. Maier: Einleitung p. 332. seqq.
[2] Reithmayr: Einleitung p. 542. seqq.

*b)* Omnia, quae secundae sententiae adversantur, tertiae favent; etenim ecclesia Ephesina erat recens collecta, Timotheus in ecclesia regenda nondum exercitatus, et insuper juvenis, experientiâ atque insignibus meritis auctoritatem nondum nactus.

*c)* Tempori illi convenit, quod Apostolus I. Tim. 3, 15. scribit; nam brevi se reversurum speravit, et revera Ephesum reversus est; ab initio vero itineris nescivit, an non futurum esset, ut diversa fors adjuncta diutius ipsum detinerent in Macedonia aut in Achaia; hinc uberiora monita necessaria videbantur, ut Timotheus sciret, quomodo oporteat in domo Dei conversari.

Quo tempore Apostolus iter illud brevius Epheso per Macedoniam et Achaiam fecerit, innuiter in II. Cor. 9, 2., ubi dicit: *„Scio enim promtum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones: „„Quoniam et Achaia parata est ab anno praeterito,“‘ et vestra aemulatio provocavit plurimos“.* Quodsi Apostolus animum Christianorum Achaiae ad eleemosynas colligendas promtum ab anno praecedente novit: procul dubio ipse anno praegresso, i. e. 56. aerae vulg. in Achaia erat, et promtitudinem illam excitaverat, et proinde eodem *anno 56. epistolam ad Timotheum scripsit in Macedonia. — Locus* autem accuratius determinari nequit.

## 3) Epistola I. ad Corinthios.

### §. 166.

#### De Corinthiis et eorum ecclesia.

*Corinthus, Achaiae caput, Graeciae decus*, in istmo inter duo maria, Jonicum et Aegeum sita, duplici portu, Kenchreo et Lechaeo instructa, ab antiquissimis temporibus commercio magnas divitias erat adepta, et ludis olympicis magnam celebritatem nacta. Fuerunt autem Corinthii uti opulentia et studio philosophiae insignes, ita etiam lasciviâ celebres; nam in templo Veneris teste *Strabone*[1] plus mille hetaerae corporis prostitutione deae serviebant; unde factum est, ut *κορινθιάζειν* apud antiquos denotaret: lascivum esse, libidini deditum. Tam opulentiâ, quam sapientiae fastu inflati ipsum Romanorum nomen, legatos eorum contumeliose tractantes, contemnere ausi sunt, quod vero urbi eorum excidium attulit victore *Lucio Mummio* anno 146. ante Ch.; anno demum 43. a. Ch. jussu *Julii Caesaris* missis colonis restituta est, quo facto cum opulentia etiam lascivia mox rediit. Philosophiae studia ab antiquissimis temporibus Corinthi floruisse, inde cognoscitur, quod *Periander*, urbis hujus princeps, inter septem Graeciae sapientes numerabatur, et *Diogenes* ibidem multum est versatus; quare *Cicero* Corinthum lumen totius Graeciae appellat (pro leg. Manil. c. 3.).

---

[1] Strabo geogr. VIII. *Τὸ δὲ τῆς Ἀφροδίτης ἱερὸν οὕτω πλούσιον ὑπῆρξεν, ὥστε πλείους ἢ χιλίας ἱεροδούλους ἐκέκτηντο ἑταίρας, ἃς ἀνετίθεσαν τῇ θεῷ καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες.*

In hac urbe, totius Achaiae centro, Paulus in secundo itinere per annum et sex menses praedicabat. Initium in synagoga Judaeorum factum est; ast Apostolus solus erat, corporis infirmitate afflictus, omnibus subsidiis destitutus, ita ut sese associaret *Aquilae et Priscillae*, Judaeo-Christianis Româ pulsis, et manuum labore vitae necessaria sibi pararet; hinc caute et fere timidus docebat. Cum autem *Timotheus et Silas* e Macedonia cum collectis advenissent, instabat verbo, testificans Judaeis, Jesum esse Christum. Contradicentibus autem Judaeis et blasphemantibus synagogâ relictâ in domo contigua *Justi* cujusdam proselyti docebat. *Crispus* vero, synagogae praefectus, cum omni domo sua et multi Corinthiorum credebant et baptizabantur. Dominus in visione Paulo animum addidit dicens: *„Noli timere, sed loquere, ne taceas, quia ego tecum sum, et nemo tibi amplius nocebit, quia populus multus est mihi in hac civitate.“* Judaei quidem invidia et odio abrepti uno animo Paulum comprehensum duxerunt ad *Gallionem* proconsulem, eumque violatae legis accusarunt; ast Gallio eos a tribunali suo repulit. Deinde post longius tempus Paulus profecturus in Syriam fratribus valedixit (Act. 18, 1—18.).

Ecclesia itaque Corinthia e paucioribus constabat Judaeis, e multis vero ethnicis natis, et non multos quidem numerabat sapientes, potentes et nobiles (I. Cor. 1, 26.), copiosam autem multitudinem populi, et ita florebat, ut in universa Achaia fides propagaretur (II. Cor. 1, 1. Rom. 16, 1.).

## §. 167.

### Status ecclesiae Corinthiae, occasio et scopus epistolae.

*Clemens Rom.* in sua ad Corinthios epistola I. c. 1. et 2. de fide et morum puritate primitiva hujus ecclesiae splendidam exhibet imaginem. Attamen ecclesiam christianam a Paulo Corinthi collectam non statim ab initio solum numerasse sanctos, utraque epistola docet et nemo mirabitur, qui perpenderit, quanta in hac civitate fuerit morum corruptio, et quam difficile sit, homines ita transformare in alios, ut pristinis suis studiis plane valedicant, et consuetudinibus adamatis in perpetuum renuncient. Diversi abusus et varia vitia inter Christianos Corinthios ab Apostolo animadversa, dum secundo praesens esset (I. Cor. 16, 7. II. Cor. 2, 1. 12, 14. 21. 13, 1. 2.), animum ejus valde affixerant, et eos in epistola severius reprehenderat (I. Cor. 5, 9.)[1]; serius autem Paulus accuratiora de sensu carnali Corinthiorum denuo acceperat nuntia, et quidem.

1. per *Chloës domesticos* edoctus est de dissidiis. Hellenes nimirum maximi habebant culturam spiritualem, summi faciebant philosophorum conatus, quaecunque aenigmata hujus mundi et vitae humanae solvendi aut saltem erudite de iis disserendi, et eleganti orationis formae plus tribuebant, quam dictorum veritati. Quamvis

[1] Cfr. §. 13. 2.

jam Paulo haec Corinthiorum indoles non esset incognita (I. Cor. 1, 22. 23.), ex professo tamen abstinuit ab omni ornatu rhetorico et apparatu erudito: *ne fides esset e persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in virtute Dei* (I. Cor. 2, 2—4.). Praeterea Apostolus Corinthiis sensualibus non poterat nisi prima religionis christianae elementa tradere, et altiorem cognitionem, sapientiam sublimiorem differre necessarium duxit in tempus, quo principia fidei mentem animumque eorum transformaverint et eos ad statum spiritualem evexerint.

Ast haec agendi ratio Apostoli paedagogica neque cunctis Corinthiis arridebat, neque ab omnibus, qui post eum venerunt doctoribus erat observata. Horum unus, „*Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, potens in scripturis*", dum Paulus in tertio itinere peragraret superiores Asiae minoris regiones, Epheso ad breve tempus venit Corinthum, et non parum contulit Christianorum fidei; „*vehementer enim Judaeos convincebat publice, ostendens per scripturas, esse Christum Jesum*" (Act. 18, 24—28.). Apollonis eloquentia cum simplici sermone Pauli comparata multos solum externa spectantes permovit, ut illi prae hoc praerogativam tribuerent, et contemto hocce illius discipulos se profiterentur, dum alii primo suo magistro firmiter adhaererent.

Haec dissensio aucta est per doctores judaizantes, qui e Judaea progressi, Petri, Apostolorum principis, auctoritatem praetexentes et fictis epistolis commendatitiis sibi fidem conciliare nitentes, animos Christianorum ut in aliis ecclesiis ita etiam Corinthi perturbarunt, et pluribus Petri nomen profiteri persuaserunt.

Denique alii neque huic, neque illi magistro humano se adhaerere profitentes se Christi aut Christinos esse dixerunt.

Etiamsi vero haec schismata, ex injusta diversorum doctorum aestimatione orta, non effecerint diversitatem fidei aut haereses, ob fontem tamen suum et sequelas summopere erant dolenda. Fons enim situs erat in sensu carnali, quo externa solum spectantes unum fidei nostrae auctorem ejusque ministros juste aestimare nesciverunt, et se quasi virginem uni viro Jesu Christo desponsatos esse (II. Cor. 11, 2.) obliti sunt; fructus autem amari erant charitas fraterna refrigescens, disciplina severior relaxata et animi fortitudo in virtute colendâ debilitata.

2. Corinthii, dum de altiori sua cognitione superbirent, *nefanda crimina, ut incestum, in ecclesia sua tolerarunt, et litibus indulgentes*, idque coram magistratibus ethnicis, manifestarunt, quantopere adhuc remoti sint a spiritu religionis christianae et a dignitate sua rite aestimandâ (5, 1. seqq.).

3. *Ipsi Corinthii Apostolo per Stephanam, Fortunatum et Achaicum epistolam miserunt*, in qua quaestiones de diversis objectis ei proposuerunt, et quidem *a*) de statu virginali et conjugali. Paulus inter Corinthios praesens non poterat non disserere de hacce materia, et virginitatem in genere perfectiorem declarare, quam matrimonium; ast serius dubia orta sunt varia: a quonam et quando status coelebs

aut conjugalis adoptandus sit, quid in matrimonio mixto agendum, quid de matrimonii usu tenendum, quid de secundis nuptiis censendum? *b)* Similis dissensio viguit de idolothytis. Carnes nimirum idolis sacrificatae frequenter vendebantur in foro; hinc dum alii timerent, ne manducando idolothyta denuo inirent communionem cum idolis aut contaminarentur, alii liberius cogitantes ejusmodi carnibus absque ulla haesitatione et sine omni infirmiorum respectu utebantur; alii denique eo usque audaciae progressi sunt, ut non dubitarent, quin participes essent coenarum, quae in deorum honorem celebrari solebant, sicque aliis gravissimum praeberent scandalum. *c)* Feminae, male intellectâ doctrinâ de libertate christiana et de aequali sua cum viris dignitate, contra morem communem non velatae conventus sacros frequentarunt, imo et debitam maritis subjectionem denegarunt. *d)* In sic dictis agapis, quae ad charitatem mutuam promovendam et ad ecclesiae unitatem repraesentandam erant introductae, ditiores seorsim in cibis suis allatis potuque luxuriati sunt, dum esurirent pauperes, sicque contra destinationem illarum coenarum, contra loci sanctitatem et ss. Eucharistiae venerationem graviter peccarunt. *e)* Donorum Spiritus s. extraordinariorum, quae Deus primis fidelibus ad fidei tribuit commendationem et in ecclesiae incrementum, in conventibus sacris inordinatus fiebat usus; charitate nimirum imminutâ non amplius ita adhibebantur, ut communem omnium promoverent aedificationem, sed ut vanitati uniuscujusque inservirent; praecipue autem dono linguarum in detrimentum reliquorum primus tribuebatur locus. *f)* Non solum in iis, quae ad vitam practicam proxime spectant, Corinthi diversae vigebant sententiae, sed etiam de corporum resurrectione quidam (15, 12.) errabant, hanc doctrinam cum placitis philosophicis de materia conciliari non posse statuentes.

Haec nuncia de statu ecclesiae Corinthiae non poterant non summa tristitia afficere Pauli animum. Attamen Apostolus, alienissimus a severitate non absolute necessaria usus est benignitate. Ne severius punire cogeretur superbia inflatos post suum Corinthi adventum, quem sibi proposuerat, praemisit Timotheum, sincerum doctrinae et voluntatis suae interpretem (4, 17.), dein epistolam longiorem scripsit, in qua abusus et vitia reprehendit, omnes ad concordiam reducere et a fastu sanare conatur.

## §. 168.

### Argumentum epistolae.

*Argumentum* hujus epistolae pro diversitate occasionis ejus scribendae varium est.

Praemissâ dedicatione et salutatione Apostolus, ut animos lectorum sibi conciliet, Deo gratias agit ob spiritualia bona, quae eis ab illo contigerint 1, 1—9., et statim transit ad diversa objecta tractanda, et quidem *in parte I.* exorditur a monito ad concordiam, severe reprehendit Corinthiorum schismata, ex injusta aestimatione

diversorum doctorum orta, et Deo gratias agit, quod baptizando dissensionis non dederit occasionem 1, 10—16. A baptismo ad praedicationem, missionis suae scopum transiens rationem reddit simplicitatis, qua Corinthi evangelium praedicavit, ne crux Christi admixtâ sapientiâ humanâ vi suâ privetur; quamvis enim verbum crucis incredulis sit stultitia, credentibus tamen Dei virtus est et sapientia, per quam Deus omnem sapientiam humanam, quae ipsum ex operibus ejus non cognovit, stultitiam declarat. Christiani ex Deo originem habent in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia divina et justitia et sanctificatio et redemtio 1, 17—31. Se in praedicatione abstinuisse ait ab omni ornatu oratorio et apparatu erudito, ne fides effectus sit subsidiorum humanorum, sed solius Spiritus sancti in ipso operantis 2, 1—5. Altiorem sapientiam doctrinae christianae insitam, et quidem sapientiam divinam a Spiritu s. revelatam et verbis ab eodem Spiritu suggestis, se tradere quidem ait, ast solis provectioribus, quales Corinthii ab initio non fuerint, neque nunc sint, cum sensum carnalem partium studio clare manifestent 2, 6—3, 3. Apostolus suo ipsius et Apollonis exemplo jam docet, omnes doctores non esse considerandos, nisi ut ministros Christi ad dispensationem mysteriorum Dei, a quo etiam unusquisque pro labore suo mercedem accepturus sit, et relationem suam paternam Corinthiis in memoriam revocat 3, 4—4, 21.

*In parte II.* Paulus agit de vitiis Corinthiorum, nimirum de homine incestuoso in ecclesia tolerato, excommunicationem ejus postulat et agendi rationem cum perversis Christianis in genere praescribit 5, 1—13. Reprehendit eos, quod litibus indulgeant coram magistratibus ethnicis, et non potius fratrem causarum suarum arbitrum constituant, et jam hoc delictum esse dicit, quod inter Christianos lites inveniantur 6, 1 — 11. Rediens ad impudicitiae scelus ostendit, hac in re libertati christianae non esse locum, corpus Domino esse consecratum, Spiritus s. templum, quod profanare non liceat fornicatione 6, 12—20.

*In parte III.* ad quaestiones propositas respondens *a) virginitatem matrimonio praeferendam esse docet,* et consilium dat, ne coelibes ac viduae conjugium ineant; attamen hunc in finem donum divinum necessarium esse dicit, et qui abstinentiae dono non gaudet, potius uxorem ducat aut nubat. Qui matrimonio juncti sunt, debitum conjugale non denegent, nisi ad tempus e mutuo consensu ad peragenda pietatis exercitia 7, 1 — 9. *Conjugibus christianis* praeceptum Domini inculcat, non a se invicem discedendi; quod si evitari et reconliatio fieri non possit, neutri parti aliud conjugium inire licet 7, 10—12. *De matrimonio mixto* Apostolus hortatur, ne pars christiana, consentiente infideli, illud solvat, quum hujus conversionem sperare liceat; quodsi vero infidelis matrimonium continuare recuset, pars christiana libera est 7, 12—16. Inde occasionem repetit paucis monendi, ut quisque in eo statu externo, in quo vocatus est, perseveret 7, 17—24., et filum thematis abruptum renectens de virginibus ac viduis specialia monita addit 7, 25—40.

*b)* Quod attinet *usum idolothytorum,* hunc licitum declarat iis,

qui rectam idolorum habeant cognitionem, illicitum vero et peccaminosum, si debilioribus scandalum praebeatur 8, 1—13. Suo ipsius dein exemplo ostendit, quomodo aliorum ratione habita sui abnegatio et a licitis quoque abstinentia exercenda sit, et ut lectores ipsum sequantur atque coronam immarcessibilem accipiant, se corpus suum castigare et in servitutem redigere dicit 9, 1—27. Quo fortius lectoribus sanctum timorem inspiret, exemplo Israëlitarum, qui beneficiorum divinorum participes facti in deserto perierunt, ostendit, lectores per inobedientiam gratiâ divinâ excidere et reprobationem suam adducere posse 10, 1—6. Quare quodvis peccatum fugiendum est et in specie cavendum, ne participes sint coenarum, quae in honorem idolorum celebrantur, quia hac ratione idololatriâ contaminarentur et cum daemonibus communionem inirent, quod cum dignitate Christiani nullo modo conciliari potest 10, 7—22. De esu *idolothytorum* in domo propria et aliena specialia monita adfert 10, 23—11, 1.

*c*) Reprehendit *abusus in conventibus sacris*, et quidem quod mulieres non velatae orent ac prophetent, cum tamen velum, subjectionis sub viri potestate symbolum, ab ipsa natura commendetur 11, 2—16.; quod agapas inhoneste et in pauperum contumeliam celebrent; hinc in memoriam eis revocat ss. Coenae institutionem per Christum factam, ut hujus Sacramenti venerationem excitet, et indignae communionis gravissimum crimen ostendat 11, 17—34.; denique quod *dona Spiritus s. extraordinaria* e vanitate potius, quam ex eorum utilitate aestiment, et non in communem aedificationem adhibeant. Quem in finem agit de charismatum origine, destinatione et mutua relatione 12, 1—31.; ostendit, horum donorum summum gradum omni pretio carere absque charitate, fonte omnis boni et virtute, quae cessantibus cunctis charismatibus permaneat; quare ut charitati inprimis studeant, monet, sed etiam charismata magni faciant 13, 1—14, 1. Inter haec prophetiam dono linguarum praefert, quum illa ad aedificationis finem promovendum ab omnibus intelligatur, hoc autem interpretatione opus habeat 14, 1—26. Praecipit itaque, ne in conventibus sacris linguis loquantur, nisi adsit interpres, ordinatum ipsius prophetiae usum urget, omnia ex ordine fieri et feminas in conventu sacro tacere vult 14, 27—40.

*d*) *De mortuorum resurrectione* agit, quam e facto resurrectionis Christi certam et fidei ac salutis nostrae fundamentum esse docet 15, 1—22.; de glorioso, ab omnibus terrestribus infirmitatibus libero statu corporis resuscitati disserit, et eandem conditionem corporum immutatorum iis Christianis promittit, qui adveniente Christo superstites fuerint 15, 23—52. — Adduntur tandem *monita* de colligendis eleemosynis in gratiam Christianorum Hierosolymitanorum 16, 1—4., notitiae de itineribus Apostoli proximis 16, 5—8., commendationes, salutationes et faustorum apprecationes 16, 9—24.

## §. 169.

**Quando et ubi haec epistola scripta sit.**

*Epistola haec scripta est in tertio itinere s. Pauli apostolico, et quidem Ephesi anno 57.* Nam 16, 5. dicit: *„Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero"*, et v. 8.: *„Permanebo autem Ephesi usque ad pentecosten."* Unde patet, epistolam nostram Ephesi et eo tempore scriptam esse, quo Apostolus inde discessurus erat in Macedoniam, ergo in tertio itinere, in quo Epheso relicta per Macedoniam revera venit Conrinthum, quum in secundo itinere Epheso digressus Hierosolymam peteret. Praeterea 5, 7. ait: *„Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio* (massa), *sicut azymi estis; etenim pascha nostrum immolatus est Christus."* Alludit Apostolus ad festum paschale, unde colligere licet, epistolam hanc circa festum paschale et ita esse missam, ut tempore hujus festi Corinthi publice praelegeretur.

## §. 170.

**Gravitas et utilitas hujus epistolae.**

Epistola haec ambitu et argumenti gravitate illi ad Romanos par est, non quidem respectu dogmatico, sed ratione habita vitae ecclesiasticae, qualis aetate apostolica in diversis locis se manifestabat, et juxta voluntatem s. Pauli erat instituenda. Quae enim Corinthi ob pecularia adjuncta motae erant quaestiones et solutionem necessariam reddebant: eaedem in aliis quoque ecclesiis procul dubio magis minusve locum habuerunt. In specie vero ex hac epistola discimus:

1. *Antithesin inter sapientiam hujus mundi et sapientiam divinam;* omnis sapientia a Deo aversa et ei adversa stultitia est; quae autem stulta videntur Dei et infirma, sapientiora sunt et fortiora hominibus.

2. *Munus et relationem doctorum christianorum tum ad verbum evangelicum et ad credentes, tum ad Jesum Christum, illorum Dominum et ad Deum, omnium caput ac principium. „Hic autem quaeritur, ut fidelis quis inveniatur." — „Ego tanquam sapiens architectus fundamentum posui, alius superaedificavit." — „Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei." „Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus."*

3. *Statum virginalem et conjugalem juxta mentem Christi rite aestimatum* et tanta ubertate tractatum, ut in nullo alio N. T. libro. Inter praecepta enim Christi et consilia de bono meliore Apostolus accurate distinguit, diversa adjuncta probe discernit, et quid singulis conveniat, mira sapientia exponit.

4. *Organismum ecclesiae divinitus et ita dispositum, ut, ad instar corporis humani multorum membrorum, e multitudine fidelium construatur et a Spiritu s. animetur.* Quemadmodum jam in corpore hu-

mano, ita etiam in ecclesia conservatio, incrementum et perfectio totius ab harmonica omnium membrorum operatione dependet. Quare in corpore ecclesiae nullum membrum altero carere, per se subsistere et finem suum assequi valet; unum alteri serviat oportet; omnia vitam habent a toto et singula ad totius contribuunt perfectionem juxta donorum mensuram a Spiritu sancto distributam. Hinc mirum non est, Apostolum incestus flagitium ab uno commissum integrae ecclesiae quodammodo imputare, quia reum non excommunicando honori, sanctitati et sanitati totius haud prospexissent, et eundem de usu idolothytorum agentem adeo severe praecipere et suo ipsius exemplo illustrare, ad evitandum infirmiorum scandalum etiam a licitis esse abstinendum.

Quae cum ita sint, epistola haec inde ab aetate Patrum normae instar consideratur, quoties agitur de vita ecclesiastica rite ordinanda.

## 4) Epistola ad Titum.

### §. 171.

#### De Tito et de insula Creta.

*Titus* in act. App. nullibi commemoratur. Primo nominatur in ep. ad Gal. 2, 1. 3., ubi eum Paulus comitem habuisse legitur in itinere, quod Antiochiâ Hierosolymam ad Apostolorum concilium suscepit (Act. 15.). Ex illo loco discimus, Titum parentibus ethnicis fuisse natum, neque ab Apostolis circumcisionem suscipere coactum. Abhinc vero Apostolum comitatus non est in secundo itinere; ast in tertio Galatis (l. c.) notus supponitur, et dein a Paulo bis Corinthum mittitur, Epheso et e Macedonia (II. Cor. 2, 12. 13. 8, 16. seqq.); quare procul dubio Antiochiae in locum Silae Paulo sese associavit. E modo, quo Apostolus Corinthiis de Tito loquitur (II. Cor. 7, 14. 15. 8, 16. 12, 18.), intelligimus, illos Tito, antequam ad eos mitteretur, non fuisse cognitos, nisi e narrationibus Apostoli; quare vix probari potest sententia *s. Chrysostomi* (hom. 1. in Tit.), probabiliter e lectione variante Act. 18, 7. orta, Titum Corinthi fuisse natum. Praeter epistolam ad eum missam in insulam Cretam, ubi erat relictus (Tit. 1, 5.), Titi mentio fit brevi ante mortem Pauli in II. Tim. 4, 10., ubi in Dalmatiam abiisse legitur. *S. Hieronymus*[1] tradit, Titum, Pauli discipulum, mansisse coelibem, et *Eusebius*[2] refert, eum annos 94 natum mortuum esse in insula Creta.

*Creta* (nunc Candia), antiquis temporibus insularum regina,[3] aëris salubritate et soli fertilitate insignis, *Homeri*[4] *aetate* centum

[1] S. Hieronym. in comment. in Tit. II. 7.
[2] Euseb. h. e. III. 4.
[3] Grateri inscript. p. 1080. n. 11.
[4] Hom. Il. 147. Iliad. *Ἄλλοι θ' οἱ Κρήτην ἑκατόνπολιν ἀμφινέμοντο.*
Virgil. Aen. III. 104. seq.

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,
Mons Idaeus ubi et gentis cunabula nostrae;
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna.

numerabat urbes. Deorum patria olim celebrata sapientibus institutis exterorum admirationem excitabat, sed incolae ob luxuriam, pigritiam, mendacitatem et infidelitatem pessima gaudebant fama, ita ut κρητίζειν, ψεύδεσθαι et ἀπατᾷν essent synonyma, et ut Apostolus poëtae eorum testimonium confirmaret.[1] Creta anno 66. ante Ch. in provinciam Romanam redacta est, et ab Augusto Libyae cyrenaicae addita. In hac insula multos habitasse Judaeos, edocemur *a Philone Al. et Josepho Flavio;*[2] iidem vero non tantum morum corruptionis, quae inter Cretenses vigebat, participes erant, sed etiam philosophiae sic dictae orientali dediti de altiori scientia (gnosi) superbiebant, et munus docendi sibi arrogabant — turpis lucri causa. Spiritus s. effusionis festo pentecostes etiam Cretenses fuisse testes, Act. 2, 11. legimus; hinc jam ante Pauli praedicationem in hac insula plures aut pauciores fuisse Christianos, supponere licet; ast ecclesiae demum fundatae sunt a Paulo ibi praedicante, et quidem in pluribus civitatibus 1, 5. Cum autem Apostolus in hac insula diu morari non posset, Titum ibi reliquit, qui opus coeptum consummaret, ut patet e 1, 5.: *„Propterea reliqui te in Creta, ut ea, quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi."* Quamvis itaque s. Paulus Tito jam oretenus praecepta hunc in finem dederit, gravitas tamen muneris in eum translati occasionem Apostolo praebuit, Titum per epistolam accuratius instruendi, ut haberet normam, quae ejus agendi rationem dirigeret.

## §. 172.

### Argumentum epistolae.

Cap. 1. Praemissâ inscriptione solenni v. 1—4. docet Apostolus Titum, quibus dotibus praediti esse debeant episcopi (presbyteri) relate tum ad mores, tum ad scientiam, ut sanam doctrinam tradere et adversarios refutare valeant, quum ob universalem morum corruptionem Cretensium multi etiam, praecipue Judaeo-christianorum sint inobedientes et vaniloqui turpis lucri gratia aliosque perturbantes, quos severe increpare praecipit v. 5—16.

Cap. 2. ostendit, quae peculiaria officia juxta sanam doctrinam variis fidelium classibus: senibus, juvenibus, matronis, adolescentulis et servis injungenda sint, ut omnes fini adventus Christi et redemtionis respondeant. Haec docenda esse monet cum omni imperio et auctoritate.

Cap. 3. hortatur, ut Titus cunctos ad obsequium magistratibus etiam ethnicis rite praestandum, ad mansuetudinem et modestiam erga omnes observandam excitet, quum et nos aliquando erroribus et carnis desideriis servientes non propriis meritis, sed misericordiâ divinâ salvati, et secundum spem vitae aeternae participes facti simus. Adjungitur monitum, stultas quaestiones, pugnas legis et contentiones inutiles fugiendi, et haereticum hominem post unam alte-

[1] Cfr. Tit. 3, 12. Apostolus in mente habet Epimenidem. Cfr. §. 79. g.
[2] Philo legat. ad Cajum tom. II. p. 587. (ed. Mang.), Jos. Fl. de bello jud. 2, 7, 1.

ramve admonitionem devitandi. Sequuntur nonnulla mandata, salutationes, faustorum apprecatio.

## §. 173.

### Quando et ubi haec epistola scripta sit.

Determinatio temporis, quo haec epistola scripta sit, difficultatibus non exiguis obnoxia est, unde et variae hac de re sententiae exstant. Ex ipsa epistola edocemur quidem, eam esse exaratam post Apostoli commorationem in insula Creta coll. 1, 5, et ante hiemem Nicopoli transactam; ast quando illud et hoc factum sit, nullibi legimus; praeterea plures civitates illa aetate in diversis provinciis Nicopolis dicebantur (in Epiro, in Thracia, in Cilicia, in Aegypto, Palaestina, Ponto, Bithynia, Moesia et Armenia).[1]

Si vitam s. Pauli consulamus, quatenus in actibus App. et in epistolis delineatur, sequentia observamus:

1. *In primo et secundo itinere apostolico Paulus cum Tito in insulam Cretam venire non potuit*, quia Titum non habuit comitem, neque in nexu erat cum Apollone, quem Tito 3, 13. commendat, et quem in tertio demum itinere Ephesi cognovit (I. Cor. 16, 12.).

2. *Neque in tertio itinere Apostolus comite Tito in insulam Cretam proficisci potuit*, cum vel Epheso pulsus per Macedoniam in Graeciam abiret (Act. 20, 1. 2.), vel dum in Graecia per tres menses commoraretur (Act. 20, 3.). Etenim priori sententiae obstat, quod Apostolus Titum e Macedonia cum II. ad Corinthios epistola ablegaverat (II. Cor. 7, 14. 15. 8, 16. 12, 18.); praeterea Paulus hac occasione nonnisi auctumno in insulam Cretam venire potuisset (Act. 20, 1—3.); atqui inter Apostoli praesentiam in insula Creta et hiemem proximam brevius temporis spatium fuisset interpositum, quam ut Titus negotia sibi demandata peregisset, et per Artemam aut Tychicum opportune Nicopolim esset vocatus, ubi Paulus hiemare decrevit (Tit. 3, 13.). Quod attinet alteram sententiam, trium mensium spatium, quod Apostolus in Graecia transegit, vix sufficiebat ad gravia, quae ibidem, praecipue Corinthi peragenda habuit negotia, et ad iter in insulam Cretam suscipiendum. Porro cum Apostolus illa occasione in Graecia esset, hiems anni 58. aut plane aut saltem maximam partem jam erat praeterlapsa; de hieme autem anni proximi Nicopoli transigenda Paulus tum temporis cogitare non potuit, quum in epistola ad Romanos Corinthi scriptâ coll. 15, 25—28. Hierosolymam indeque Romam et in Hispaniam proficisci sibi proposuerit, imo hoc propositum jam ceperit, cum Ephesi adhuc degeret coll. Act. 19, 21.

3. *Improbanda est eorum sententia, qui Paulum aut eo tempore, quo Caesareâ Romam ductus Cretam praeternavigavit* (Act. 27, 7.), *aut quo e prima captivitate Romana liberatus in Orientem reversus*

[1] Strabo VII. 325. Dio Cass. LI. 1. Tacit. Ann. II. 53. Ptolom. III. 11. Strabo XIV. 676. Ptolom. V. 8. Cellar. not. orb. antiq. I. 1327.

*est, in insula Creta praedicasse, Titum ibi reliquisse, et epistolam nostram ante hiemem Nicopoli vel Epiri vel Ciliciae transactam scripsisse statuunt.* Etenim priori obstat, quod in illo itinere maritimo inter comites Pauli non nominantur, nisi Lucas et Aristarchus (Act. 27, 1. 2.), non autem Titus, qui praeterea non Nicopolim, sed Romam vocandus fuisset. Alteri assertioni obest, quod Titus ad Paulum in secunda quidem captivitate venit Romam (II. Tim. 4, 10.), non autem in prima (coll. Coloss. 4, 10—14.).

Quae cum ita sint, tenendum est, *Paulum cum Tito in insulam Cretam in illo venisse itinere, quo intra triennium commorationis suae Ephesinae per Macedoniam profectus est* (coll. I. Tim. 1, 3. cum 3, 14. 15.), *et ad breve tempus etiam Corinthum venit.* Hac occasione e Macedonia aut Epiro navi vectus facile et brevi temporis spatio in illam insulam venire, praedicare et ecclesias fundare potuit, attamen ob festinationem Titum relinquere debuit, ut ea, quae deerant, corrigeret, et constitueret per civitates presbyteros (Tit. 1, 5.). Ex insula Creta Apostolus ὡς ἐν παρόδῳ venit Corinthum (coll. I. Cor. 16, 7.) indeque reversus est Ephesum, ubi tempore verno anni sequentis epistolam *ad Titum scripsit*, et quidem *post festum paschale anni 57.* aerae vulg. inter I. et II. ad Corinthios. Hanc sententiam sequentia confirmant:

*a*) Coll. 3, 13. Apollo commendatur Tito; illum autem circa tempus paschale anni 57. Ephesi fuisse, edocemur e I. Cor. 16, 12. brevi ante pascha illius anni scriptâ.

*b*) Coll. 3, 12. Tito injungitur, ut, cum missus fuerit ad eum Artemas aut Tychicus, Nicopolim venire festinet, ubi Apostolus hiemare decrevit. Ut jam *s. Hieronymus* recte observavit, illa Nicopolis designatur, quae in promontorio Actio sita etiam ad Graeciam referebatur[1] et insulae Cretae vicina erat. Atqui Paulus hiemem sequentem in Graecia, „*forsitan*" Corinthi transigere sibi proposuit, cum I. ad Corinthios epistolam Ephesi scriberet (I. Cor. 16, 6.).

*c*) Epistolam ad Titum post primam ad Corinthios exaratam esse, inde colligitur, quod Apollo, cum I. Cor. scriberetur, nondum voluntatem habebat Ephesum relinquendi (I. Cor. 16, 12.), in epistola autem ad Titum jam proficiscens sistitur, Tito commendatur, et procul dubio Apostoli literas ei attulit.

Huic temporis determinationi non obest, quod Titus paulo serius ab Apostolo bis Corinthum missus sit, Epheso et e Macedonia (II. Cor. 2, 12. 13. 8, 16. seqq.); etenim inter commorationem Apostoli in insula Creta et ultimum discessum Epheso dimidii anni spatium erat interpositum, quo Titus gravissimis negotiis peractis et longius iter non reformidans vel ante vel brevi post epistolam acceptam Ephesum properare potuit, ut Paulo de evangelii progressu in insula et de ecclesiarum statu accuratiora adferret nuncia. Sic etiam Timotheus, licet Ephesiorum episcopus constitutus, Apostolum Epheso comitatus est in Macedoniam et in Graeciam, et ad eum in utraque captivitate venit Romam.

[1] Cfr. Tacit. Ann. II. 53. Plin. hist. nat. IV. 2.

Ceterum Titus, cum inter comites Pauli e Graecia per Macedoniam reducis non nominetur (Act. 20, 1—4.), neque Corinthi relictus sistatur, Apostolo ex hac urbe discedente probabiliter reversus est in insulam Cretam.

## 5) Ad Corinthios II. epistola.

### §. 174.

**Occasio et scopus hujus epistolae.**

Prima Pauli epistola a longe majori Christianorum Corinthiorum parte optime erat excepta eumque habuit effectum, ut voluntas adesset, vitia et abusus, quos Apostolus severius reprehenderat, corrigendi et eliminandi; incestuosus communione privatus erat (2, 6.), et Corinthiorum multi summopere dolebant, quod Apostolo parassent dolorem, eum contra residuos adhuc adversarios defendebant, et Tito sincerissimum amorem suum obsequiumque erga Apostolum manifestabant (7, 7. seqq.).

Attamen priorum factionum capita, et inter haec praecipue doctores judaistae conamina sua maligna adversus Apostolum continuabant (11, 4. 12, 11. 13, 22.), et ex ipsa ejus epistola calumniandi repetebant ansas. Paulus (coll. II. Cor. 1, 15. 16.) prius, procul dubio in epistola deperdita, propositum suum manifestaverat, Epheso veniendi Corinthum, inde in Macedoniam proficiscendi et ad Corinthios revertendi. Cum jam adversarii in I. Cor. 16, 5. 6. itineris propositum mutatum et adventum Corinthi invenirent dilatum: eum inconstantiae atque animi levitatis arguebant, utque auctoritatem ejus infringerent, ex hac ei exprobrata inconstantia in propositis etiam ad inconstantiam in doctrina concludebant (II. Cor. 1, 17. seqq.). Quum Apostolus suam docendi agendique rationem contra adversarios defendere necessarium duxisset, hanc ejus apologiam vanae gloriae studium et laudes proprias canendi conatum declarabant (II. 2, 1. 5, 12. seqq. 10, 12. 11, 16. seqq. 12, 1.). Cum porro epistola prior hic ibi severior esset et minas contineret (4, 21.), eandem cum agendi ratione Apostoli praesentis comparantes dicebant: eum e longinquo quidem severe loqui et minis non parcere, non vero ita audacem et gravem, sed potius imbecillem et timidum se gerere, dum praesens sit (II. 10, 1. seqq.). Apostolus in I. Cor. 9, 15—18. gloriam suam et meritum in eo reposuit, quod evangelium gratis praedicaret; jam vero adversarii ei exprobrarunt, quod non directe quidem, indirecte autem per comites suos et nuncios dolo commodis suis consuleret.

De his omnibus s. Paulus certior factus est in itinere, quod Epheso pulsus per Macedoniam suscepit, et quidem per *Titum,* qui Corintho venerat, et statum ecclesiae atque epistolae prioris effectum accuratius cognoverat. *Haec jam nuncia Apostolo occasionem praebuerunt exarandae secundae hujus ad Corinthios epistolae* (proprie tertiae). Praevidebat nimirum, molestias tum adversariis, tum ecclesiae orituras esse gravissimas, si statim veniret Corinthum, et de-

tractoribus suis, prout necessarium fuisset, severius sese opponeret. Quare alteram hanc epistolam adventui suo praemittere satius duxit, ut hac ratione meliorem ecclesiae partem obfirmaret, adversarios autem injustitiae convinceret, pudore suffunderet, sicque cunctos ad suum adventum magis praepararet. Hunc suum finem Apostolum feliciter assecutum esse, dubitari nequit; etenim aliquot mensibus elapsis Corinthi commoratus est (Act. 20, 3.), eleemosynas ibi collegit et epistolam ad Romanos scripsit (Rom. 15, 26. 16, 1.). Praeterea *Clemens Rom.* sub finem saec. I. in sua ad Corinthios epistola ita de Paulo loquitur, ut pateat, integram hanc ecclesiam Apostolum Jesu Christi Deique legatum esse veneratam. Aut itaque s. Paulus adversarios suos hac epistola ad meliorem frugem reduxit, aut principalis eorum dux, non exspectato Apostoli adventu, urbem deseruit, et hoc modo ecclesiae adunandae negotium facilius reddidit.

## §. 175.

### Epistolae II. ad Corinthios argumentum.

Argumentum hujus epistolae in tres partes dividi potest.

*In I. parte c. 1—7. incl.* Apostolus praemissâ dedicatione et salutatione exorditur a laudibus Dei ob consolationem et auxilium ipsi latum in omnibus calamitatibus, in specie vero ob liberationem e mortis periculo in Asia, fretus orationibus Corinthiorum ulterioris liberationis spem manifestat, subnixam conscientiae suae puritati et consiliorum sinceritati 1, 1—14. — Rationem reddit, cur proposito suo Corinthum veniendi non satisfecerit; se adventum suum differre debuisse dicit, ut illis parcere posset, neque iterum tristis ad eos veniret 1, 16—2, 3. Ad priorem epistolam respiciens testatur, se summo animi dolore affectum et lacrymantem severius scripsisse, ut characterem ipsius cognoscerent; excommunicato ob poenitentiam actam ignoscit hortaturque, ut etiam lectores ei ignoscant eumque pristinâ charitate recipiant 2, 4—11. — Transit ad animi sui inquietudinem, quum Titum non inveniret Troade, ad iter suum in Macedoniam acceleratum et ob accepta nuncia Deo gratias agit, qui ipsum semper triumphare faciat ob sinceritatem in praedicando verbo Dei 2, 12—17. — Ne Apostolus proprias laudes canere videatur, ipsos Corinthios testimonium esse dicit suae in praedicando evangelio dexteritatis, quam Deo debeat, qui ipsum fecit novi foederis ministrum, quod ministerium illo foederis mosaici longe gloriosius sit, ideoque se ab omni astutia et corruptione verbi alienissimum manifestatione veritatis commendari coram hominibus et Deo, et doctrinam suam nonnisi illis esse obscuram, qui luci veritatis sponte resistant 3, 1—4, 7. — Inter calamitates gravissimas et continua mortis pericula se semper et ubique praedicare dicit bono animo praeditum et spe remunerationis aeternae atque gloriosae resurrectionis futurae nixum 4, 8—5, 10. — Lectoribus in memoriam revocat magnitudinem salutis a Deo in Christo paratae, et vi muneris sui eos hortatur, ut reconciliationis gratiâ dignos se reddant 5, 11—20. — Quomodo ipse

ut servus Christi in omnibus muneri suo satisfacere conetur, exponit; de suo amore certiores eos reddit, et ut ipsum redament, monet 6, 1—13. His adjungit monitum, ut sibi caveant ab omni commercio cum idolatria et ab omni inquinamento carnis 6, 14—7, 1. Se a Corinthiis offensum esse negans, et sollicitudinem suam confidentiamque contestans ad Titum transit et ad solatium, quod ille Corintho reversus ipsi attulerit, laudatque lectores ob obedientiam monitis ejus praestitam 7, 2—16.

*In II. parte c. 8. et 9.* Apostolus agit de collectis. Ut Corinthios ad eas promte peragendas moveat, provocat ad exemplum ecclesiarum Macedoniae, ad exemplum Christi, qui pauper factus est, ut eos ditaret, et ad eorum priorem promtitudinem, ad laudes suas, quibus in Macedonia eorum beneficentiam celebret, ad benedictionem divinam, quae eorum beneficia sequatur, et ad gratiarum actionem amoremque acceptantium. Denique Titus ejusque duo comites, qui collectas directuri sint, confidentiae eorum commendantur.

*In parte III. c. 10, 1—13, 10.* Paulus convertitur contra adversarios suos. Incipit rogans, ne eum, cum venerit, adhibere cogant severitatem, ad quam exercendam a Christo potestate instructus sit 10, 1—11. — Adversariorum criminationi, se vanae gloriae cupidum semet ipsum commendare, opponit, se non gloriari, nisi de veris suis meritis, quae ex amore lectorum suorum ideo recenseat, ut a seductoribus sibi caveant 10, 12—11, 6. — Commemorat porro suam agendi rationem ab omni lucri aut commodi studio alienam 11, 7—21., dein praerogativas, quas cum adversariis habeat communes, et multas suas tribulationes aerumnasque in evangelii ministerio, quae sibi sint peculiares 11, 22—33., denique visiones suas ac revelationes, quae arctum suum nexum cum Christo contestantur 12, 1—14. — Apologiam suam nonnisi eum habere finem affirmat, ut lectores emendentur; repetit, se severius acturum esse post suum adventum, nisi priora vitia fuerint correcta; ut se ipsos probent, monet, et Deum rogat, ut sibi contingat, ne severitate uti cogatur 12, 19—13, 10. Brevis adhortatio et salutatio 13, 11—13.

## §. 176.

### Tempus et locus hujus epistolae scriptae.

Post primam ad Corinthios epistolam Paulus Corinthum cum alio fratre ablegavit Titum, ut effectum illarum literarum observaret ac promoveret (II. Cor. 2, 12. 13. 12, 18.). Apostolus post discessum suum Epheso non quidem, ut speraverat, Troade, sed in Macedonia demum invenit Titum Corintho revertentem, et de statu ecclesiae nuncia accuratiora adferentem (II. Cor. 2, 13. 7, 6. 7.), quo facto *secundam hanc ad Corinthios scripsit epistolam, ergo brevi post festum pentecostes anni 57. aerae vulgaris, duobus aut tribus circiter mensibus elapsis post primam, et quidem in Macedonia* (II. Cor. 9, 2.). *Locus determinari nequit;* subscriptiones nonnullorum codicum et versionis Peschito nominant Philippos.

### §. 177.

**De utriusque epistolae ad Corinthios destinatione, authentia et can. auctoritate.**

Utraque ad Corinthios epistola, ut innuitur in I. 1, 2. et clare indicatur in II. 1, 1., proxime quidem Corinthiis, simul vero omnibus Christianis Achaiae destinata erat. Cum enim religio Christi Corintho propagaretur in universam Achaiam, ecclesiae filiae cum matre arctiori in nexu manebant, ejusque ut virtutum, ita etiam errorum ac vitiorum magis minusve participes erant. Quod cum Apostolus supponeret aut edoctus sciret, alteram epistolam *„omnibus sanctis, qui sunt in universa Achaia"*, inscribere non haesitavit.

*De authentia et canonica auctoritate* harum epistolarum nullum unquam monebatur dubium; in ecclesiis enim statim ac innotuerunt, ad publicam praelectionem admittebantur, et praeter catalogos N. T. librorum eisdem disertum testimonium reddunt *Irenaeus, Clemens Al.* et *Tertullianus*,[1] et ad singula earum effata clare alludunt: *Clemens Rom., s. Polycarpus, Justinus, epistola ad Diognetum et s. Ignatius.*[2] Accedit testimonium gravissimum, quod primae epistolae perhibent *Clemens Romanus et Polycarpus.*[3] Inter ipsos haereticos *Marcion et Valentinus* cum asseclis suis utramque receperunt.

## 6) Epistola ad Romanos.

### §. 178.

**De ecclesia Romana.**

*Ecclesia Romana tempore, quo s. Paulus ad eam scripsit,*

1. *numerosa erat* (16, 3. seqq.), et fide atque obedientia ubique locorum inclaruerat (1, 8. 16, 19.);

2. *ex Judaeo- et ethnicochristianis, attamen e pluribus horum, quam illorum constabat;* nam 4, 1. seqq. 7, 1. seqq. Apostolus Judaeochristianos, et 11, 13. ethnicochristianos alloquitur; praeterea lectores hujus epistolae 1, 5. 6. 13. ἔθνοις adnumerat et 15, 15. 16. jus sibi utpote gentium Apostolo tribuit, Romanis liberius scribendi. Ecclesia Rom. erat

3. *accuratius edocta novam salutis oeconomiam;* etenim Aposto-

[1] S. Irenaeus adv. haer. III. 7.: Quod autem dicunt, aperte Paulum dixisse in secunda ad Corinthios: In quibus Deus etc. (II. Cor. 4, 4.).
Clemens Al. stromm. IV. 16. *τὴν δὲ κοινὴν διδασκαλίαν τῆς πίστεως ὀσμὴν γνώσεως εἴρηκεν (ὁ ἀπόστολος) ἐν τῇ δευτέρᾳ πρὸς Κορινθίους* (cfr. II. Cor. 2, 14.).
Tertull. de pudicitia c. 13. coll. c. II. Cor. 2, 6—11.

[2] Clemens Rom. ep. I. ad Cor. c. 47.

[3] Polycarp. ep. ad Philipp. c. 11.: „An nescimus, quia sancti mundum judicabunt? sicut Paulus docet (I. Cor. 6, 2.). Cfr. ibid. cum II. Cor. 6, 7. Justinus apolog. I. c. 13. — Epist. ad Diognet. in Justini operibus edit. Paris. p. 420. S. Ignat. ep. ad Ephes. c. 2. et c. 5. coll. c. I. Cor. 1, 10. et 1, 18. seqq.

lus Romanos videre desideravit, non ut eos instituerct, sed ut eis aliquid impertiretur gratiae spiritualis ad consolandos eos et ad audita in memoriam revocanda 1, 11. 12. 15, 14. 15.;

4. *praepositos habebat et magistros idoneos,* ut patet e 12, 6. seqq. et e statu, qualis in epistola supponitur, quamvis presbyterorum et diaconorum non aperta fiat mentio;

5. *inimicitiae et odio Judaeorum incredulorum non ut in aliis locis exposita erat,* proinde a synagoga jam separata, ut intelligimus e c. 1., si conferatur cum Act. 28, 22. seqq., ubi Judacorum procercs de Christianorum secta cum contemtu quidem loquuntur, non autem acerbius aut exulcerato animo in eam invehuntur; nam inquietus animus et exspectationes sensuales Judaeos ad continuos excitaverant tumultus, ita ut *Claudius* cos omnes, etiam Judaeo-christianos Româ expellcret (Act. 18, 2.); hi vero cum illis post mortem Claudii reversi omnem nexum cum synagoga solverant; imo

6. *ne inter Christianos quidem ex Judaismo et ethnicismo conversos rixae ac contentiones vigebant;* hi namque et illi non addubitabant, quod Apostolus 15, 8. monet, Christum Judaeorum ministrum factum esse ob veritatem Dei ad comprobandas patrum promissiones, gentes autem vocari ob misericordiam secundum prophctarum oracula.

Ex omnibus hisce intelligimus, ecclesiam Romanam jam bene ordinatam fuisse, cum Paulus ad cam suam mitteret epistolam, ergo a longiori tempore fundatam ac rectam, antequam Apostolus Romam venisset (coll. 1, 13—15. et 15, 22. 23.), quod nonnisi per Apostolorum quemdam cffici potuit. Atqui antiquorum nemo testatur, praeter Petrum et Paulum alium Apostolorum praedicandi causa venisse Romam; ergo ecclesia a Petro fundata sit necesse est, et quidem anno 42. aerae vulg.[1]

Attamen non negamus, jam prius Christum professos esse plures Judaeorum, qui magno numero Romae degebant. Pompejus enim Hierosolymis anno 63. a. Ch. captis multa Judaeorum millia cum Aristobulo in servitutem miserat Romam, qui serius libertate donati novis aucti sunt advenis. Jam vero Judaei Romani uti alii in dispersione degentes in rebus religionis cum patria sua, in specie cum synedrio Hierosolymitano in arctiori nexu manebant, templi dona mittebant et festa frequentabant, ita ut singuli saltem spem Israëlis impletam edoceri possent. Procul dubio jam nonnulli eorum Judaeorum et proselytorum Romanorum, qui coll. Act. 2, 10. effusionis Spiritus s. testes erant facti, per Apostolos conversi, uberius instituti et domum reversi alios etiam Christi cognitione imbuerunt. Cum vero Petrus Apostolus Romae in synagogis Judaeorum Christum praedicaret, etiam ethnici proselyti doctrinam christianam cognoscendi occasionem habuerunt et ut alibi, etiam in orbis metropoli Judaeis proniores erant ad amplectendam novam salutis oeconomiam, absque legis mosaicae jugo eis oblatam.[2]

---

[1] Cfr. §. 140. 2.
[2] Cfr. §. 77. ad b).

## §. 179.

### Occasio et scopus epistolae ad Romanos.

Epistola haec non ad talem ecclesiam est missa, quae a Paulo erat fundata, neque occasionem habuit in lectorum adjunctis, quae peculiarem institutionem necessariam reddidissent; sed *motivum et consilium eam scribendi situm erat in ipso auctore ejusque destinatione.* Apostolus jam a multis annis desiderium fovebat Romam veniendi, ut et Romanis aliquid conferret gratiae spiritualis ad eos confirmandos, desiderio autem huic nondum satisfacere potuit (1, 10. seqq. 15, 20. seqq.). Votum illud enatum erat ex intima Apostoli conscientia, se debitorem esse omnibus gentibus, ad quas etiam Romani pertinebant (1, 5. 6. 13.), et eo justius apparebat, quo magis sperare licebat, fore, ut religio Christi in Urbe firmiter fundata radices suas in orbem diffundens ethnicismum sensim everteret. Jam vero Apostolus in eo erat, ut desiderio suo satisfaceret (15, 23. 24.); hinc epistolâ Romanos ad adventum suum praeparare voluit. — *Quale thema sibi eligeret tractandum dubius haerere non potuit;* nam si Paulus omnibus gentibus debitor erat, omnium gentium Apostolus, omnes gentes evangelio indigere sponte consequebatur. Ut jam Romani hanc indigentiam perspicerent et necessitatem cognoscerent evangelium toto animo amplectendi eique non obstantibus adversariorum objectionibus diversis et calamitatibus variis firmiter adhaerendi: Apostolus statum ethnicorum et Judaeorum religiosum et moralem exposuit et cum aeterna lege divinâ comparavit, unde clare patebat, quales esse deberent et propriâ culpâ non essent, conditionem itaque eorum esse tristissimam, spe liberationis carentem, et necessariam sequelam aeternam damnationem, e qua miseria nonnisi per novam salutis oeconomiam, gratiâ divinâ omnibus hominibus patefactam, et in evangelio annunciatam salvari possent, et e qua Christiani gratiâ Domini nostri Jesu Christi jam liberati spe vitae aeternae firmissimâ inter ipsas calamitates qualescunque gaudent. Dum Apostolus haec doceret, negligere haud potuit varias objectiones, quas aliis in locis ex parte Judaeorum erat expertus; quare haec epistola hic ibi apologeticum et polemicum induit characterem. Quae in parte practica tradit, peculiaribus Romanorum originem debebant adjunctis, quae Apostolus per cognatos suos et familiares erat edoctus.

Alii Paulum, ut epistolam hanc scriberet, motum esse censent *peculiaribus Christianorum Romanorum adjunctis.* Quia ecclesia haec a Petro, circumcisionis Apostolo, cooperantibus aliis originis judaicae evangelistis, erat fundata: evangelium non purum, sed sententiis judaicis mixtum Romae praedicatum esse statuunt, et Paulum suâ sponte scripsisse, ut doctrinam Christi ab additamentis judaicis restitueret purgatam. — Ast haec sententia omni caret fundamento; etenim quomodo Petrus de judaismo ejusque juribus cogitaverit, et proinde etiam Romae docuerit, in Apostolorum concilio Act. c. 15. clarissime manifestavit. Viros autem illos, qui e Judaea oriundi evangelii ministerio semet dicarunt, judaismo favisse, temere suppo-

nitur; etenim Paulus omnes Rom. 16, 3. seqq. nominatos salutans secum consentientes supponit. Imo Apostolus 16, 17—19. non rogat, nisi ut lectores observent eos, qui dissensiones et offendicula faciant contra doctrinam, quam didicissent, et 15, 14. Romanos plenos esse scit dilectione et repletos omni scientia, ita ut se invicem monere possint.

Alii hujus epistolae scribendae occasionem Apostolo praebuisse putant *lites inter Judaeo- et ethnicochristianos Romae ut in aliis ecclesiis ortas*, et ad suam sententiam probandam provocant ad locos, ubi judaismus et ethnicismus sibi opponuntur, et ad 14, 1. seqq. — Verum Apostolo aliud fuisse consilium, quam ejusmodi componere lites, quae nullibi aperte nominantur, totius epistolae argumentum ostendit, et monitum, in nulla epistola ad ecclesiam mixtam superfluum, sibi invicem parcendi in rebus non essentialibus, quales c. 14. nominantur, differri non potuisset usque ad finem epistolae, si controversiae inter Judaeo- et ethnicochristianos agitatae ecclesiam in factiones scidissent.

## §. 180.

### Argumentum epistolae.

Epistola haec aptissime disposita in duas dividitur partes: *in theoreticam et practicam*. Pars prior a c. 1—11. complectitur demonstrationem evangelicam salutisque christianae apologiam; altera a c. 12—16. continet monita diversa, quae ad mores christianos spectant et adjunctorum illius temporis rationem habent.

*In parte I.* praemissâ dedicatione et consuetâ salutatione 1, 1—7. Apostolus Deo gratias agit pro fide lectorum, se in precibus continuo eorum memorem esse asseverat et eos videndi desiderium manifestat, ut eis aliquid conferat gratiae spiritualis ad eos confirmandos, quum sibi omnibus gentibus, etiam Romanis, evangelii praedicandi demandatum sit munus 1, 8—15.

Thema epistolae proponit dicens: *evangelium esse virtutem divinam ad salutem cuicumque credenti, Judaeo et ethnico*, quia in eo manifestatur via ad justitiam ducens a Deo aperta per fidem v. 16. 17. Hoc jam salutis medium ab omnibus arripiendum esse ostendit ex justitia divina, quae malum quodvis et in quovis punit v. 18.

Ut jam probet, omnes homines poenae divinae esse obnoxios, hoc primo ostendit de ethnicis, qui cognitionem Dei e mundo creato eis revelatam propriâ culpâ amiserunt, imo in vesanum polytheismum commutarunt, unde enata est nefanda morum corruptio, quam propria uniuscujusque conscientia damnat 1, 18—32.

Ex hisce, quae a nemine negari possunt, sequitur, omnibus et singulis peccantibus in manifestatione justitiae divinae in judicio promeritam contingere mercedem absque personarum respectu, et quidem ethnicis secundum legem naturae, Judaeis juxta legem scriptam, quia non externa legis possessio aut carnis circumcisio coram Deo justum facit, sed sola observatio praeceptorum divinorum;

quare Judaei, non obstantibus praerogativis suis, nullo privilegio gaudent, siquidem ipsâ s. scripturâ testante morum perversitate ethnicis non sunt meliores. Inde sponte promanat veritas: *Omnes homines poenas promeruerunt, et sic sive lege gaudeant, sive careant, perniciei obnoxii sunt* 2, 1—3, 20.

Necessitatem redemtionis demonstratam 3, 21—30. sequitur *expositio doctrinae de salute evangelica*. Justitia nunc a Deo nullâ legis cujusdam ratione habitâ ex gratia donatur et per fidem acquiritur; fides in Jesum Christum subjectiva ejus est conditio, et mors Jesu Christi expiatoria fundamentum objectivum. Via haec salutis omnibus absque discrimine patefacta est, ethnicis non minus, quam Judaeis, quia eaedem omnium sunt indigentiae, et Deus ethnicorum ut Judaeorum Deus est.

Haec salutis via absque circumcisione et lege non contradicit veteri foederi, sed jam historiâ sacrâ et effatis divinis ut originaria et vera sistitur. Nam David beatum celebrat hominem, qui Deo in acceptis refert justitiam sine operibus legis, et Abraham promissiones divinas, ut haeres futurus esset mundi, pater multarum gentium, non accepit ob legem aut ob circumcisionem, sed propter fidem, quam promissionibus divinis habuit, et in signum justitiae demum circumcisus est, ita ut exemplar sit et pater omnium credentium e gentilibus et ex Judaeis absque lege, quae non justitiam operatur, sed iram 3, 31—4, 25.

Quod attinet fructus hujus justitiae a Deo datae per fidem, pacem habemus cum Deo et spem gloriae futurae filiorum Dei, imo de ipsis calamitatibus gloriamur ut de mediis, quibus fides nostra probatur et spes vitae aeternae roboratur; spes autem haec certissima redditur charitate Dei in cordibus nostris diffusâ per Spiritum s. nobis datum; quodsi enim charitas Dei luculentissime jam manifestata est, quia Filium suum in mortem tradidit pro peccatoribus: multo magis nunc sanguine ipsius justificati ab omni poenarum timore liberi erimus 5, 1—11.

*Inter utrumque generis humani parentem, Adamum et Christum, analogia quaedam intercedit;* quemadmodum enim per peccatum inobedientiae primi hominis omnes ejus posteri peccatores facti sunt: ita per factum obedientiae Jesu Christi omnes in gratiam recipiuntur, et non ab uno, sed ab omnibus peccatis suis emundantur 5, 12—21.

Ast e dictis perperam colligeretur, in peccando esse perseverandum, quo abundantius gratia divina sese manifestet; nam Christianum esse et peccare sibi contradicit; etenim per baptismum consepulti sumus cum Christo, et cum eodem ad vitam novam continuo sancte agendam resurreximus 6, 1—11.

Peccatum dominium suum in Christianos amisit, quia non sunt sub lege, sed sub gratia 6, 12—14.

Neque inde sequitur, peccare licere; etenim vita hominis est servitium sive peccati ad mortem, sive obedientiae ad justitiam. Fructus vitae prioris peccaminosae erat ignominia et finis mors; qui

vero liberati sunt a peccato, servi autem Dei facti, fructum habent in sanctificationem et tandem vitam aeternam 6, 15—23.

Capite 7. et 8. Apostolus redit ad propositionem in praecedentibus jam pronunciatam (6, 15): *Christianum non amplius esse sub lege, sed sub gratia.* Primum probat exemplo uxoris, quae a lege viri liberatur ejus morte, ita ut, quin sit adultera, alii viro nubere possit, et inde concludit, etiam Christianos in Christo legi mortuos esse et cum eo ad novam resurrexisse vitam, ut fructus ferant Deo, quemadmodum viventes sub lege, quae cupiditates excitavit, fructus tulerunt morti 7, 1—6.

Abhinc Apostolus effectus legis proponit in homine naturali sibi relicto 7, 7—13., et descriptionem adnectit e propria experientia desumtam dualismi infausti et pugnae in vita ethica hominis non redemti 7, 14—25. Effectus nimirum legis est propior et remotior; primo efficit, ut peccatum in homine habitans suscitetur et non tantum cognoscatur, sed etiam per concupiscentiam rebellem excitatam peccato peccata addantur. Nam lex in se bona in homine lapso dualismum, quo bonum approbat et malum agit, non sustulit, sed eum victoriae impotem sibi et maledicto reliquit; dein vero ipse ille dualismus et hominis impotentia agnita redemtionis excitavit desiderium, sicque ad recipiendum Salvatorem disposuit, qui e peccati potestate eriperet. —

*Novum vitae ethicae principium, quod in Christianis locum legis occupat, est gratia promerita a Jesu Christo*, qui in carne sua peccatum devicit, et per Spiritum s. nobis tribuit virtutem carnem vincendi et voluntatem divinam perficiendi 8, 1—4.

Opponuntur sibi effectus vitae secundum carnem et secundum Spiritum. Qui Spiritu Dei aguntur, filii Dei sunt, cohaeredes Jesu Christi, si tamen compatiuntur, ad quod excitat magnitudo gloriae futurae, quam etiam creatura corruptioni non sponte obnoxia ingemiscens exspectat, in quam etiam sperant primitias Spiritus habentes, quae spes firma est, nullâ re labefactanda, cum fundamentum suum habeat in decreto divino, quod temporibus suis executioni datur, ita ut prorsus nihil nos separare valeat a charitate Dei 8, 5—39.

*Cap. 9—11. agit de quaestione, quomodo explicandum sit phaenomenon, partem longe maximam populi judaici, cui tamen salus messiana proxime erat destinata, ab eadem nunc excludi, ethnicos vero, quibus nulla contigit promissio, ejus participes reddi?* Quaestio haec, quae Apostolo a Judaeis procul dubio frequenter erat proposita, non soluta doctrinam apostolicam de salute per Christum in nonnullis fidelibus labefactare potuisset, omni ex parte digna videbatur, quae uberius illustraretur. Hinc Paulus, praemissâ obtestatione de dolore suo ob illud phaenomenon, *theodiceam* adjungit dicens: Promissiones divinae non irritae factae sunt; nam origo carnalis jus non tribuit ad salutem messianam, neque susceptio ab operum propriorum meritis dependet, quia promissiones Abrahamo factae sunt et filiis ejus spiritualibus, non vero omnibus carnalibus (Isaac et Ismaël, Jacob et Esau) 9, 1—13. Nulla propterea in Deo est injustitia,

quia misericordiam suam pro beneplacito largitur (Exod. 33, 19. — Pharao) 9, 14—18.

Ad objectionem contra dicta sibi factam Apostolus respondet: non convenire creaturae cum creatore disputare; homines ipsos contra Dei voluntatem semet obdurare; Deum malos tolerando suam ostendere bonitatem, obduratos puniendo suam manifestare potentiam, et hoc ipso suam clarissime exhibere misericordiam in Christianos, quos juxta prophetarum oracula partim vocavit ex Judaeis, sed paucos, partim e gentilibus, et quidem plurimos 9, 19—29.

Judaei a via salutis exclusi sunt, quia non crediderunt in Christum; gentiles vero ad justitiam et salutem assumti, quia crediderunt 9, 30—33.

Apostolus denuo suum in Judaeos contestatur affectum suumque de eorum salute ardens votum, *laudat eos ob zelum, excusat ob ignorantiam* 10, 1. 2.

Ignorantes veram justitiam a Deo datam, et suae propriis viribus per legem acquirendae studentes Dei justitiae se non subjecerunt; nam quod lex frustra intendebat, est Christus, justitia omni, qui credit 10, 3. 4.

Ipse Moyses hanc justitiam ex fide ut internam et homini naturalem celebrat prae legali, utpote externae; omnia illius officia ad duo revocantur: *ad fidem cordis in justitiam, et ad confessionem oris in salutem,* et quidem cuicunque credenti, sive Judaeus sit, sive ethnicus 10, 5—13.

Ideo fides omnibus annuncianda est et revera omnibus annunciata, sed non omnes obediverunt; multi gentilium crediderunt, plerique Judaeorum obstiterunt 10, 14—21.

*Attamen non omnis Israël a Deo rejecta est,* quod probatur ipsius Apostoli et multorum Judaeochristianorum exemplo, qui per gratiam salvi facti sunt, ergo non ex operibus. Pauci illi fideles ex Judaeis per Dei gratiam reservati sunt, ceteri autem omnes excoecati juxta prophetarum vaticinia. *Ast Judaeorum lapsus non est irreparabilis,* in gentium contigit salutem; quanto magis ergo conversio! Hinc Apostolus gentium se ita munere suo fungi dicit, ut etiam Judaeorum quosdam ad aemulationem provocet 11, 1—15.

Judaei sunt e massa sancta et in sanctis patriarchis consecrata; sunt rami e radice nobili; quamvis vero eorum plurimi sint fracti et gentiles in eorum locum insiti: ne tamen hi illos spernant, tum quia ipsi ex oleastro olivae inserti sunt, tum quia et ipsi facile frangi possunt et excidere; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, quanto minus insititiis! Dei itaque in Judaeos severitatem metuant, erga se bonitatem agnoscant et fidelitate conservent 11, 16—22.

*Totus Judaeorum populus, quando plenitudo gentium in ecclesiam intraverit, ad Christum convertetur, Deo ob patres semper charus.* Sicut aliquando gentiles fuerunt increduli et per Dei misericordiam ob Judaeorum incredulitatem ad fidem sunt adducti: ita vicissim Judaei gentilium exemplo provocati aliquando credent in Christum et Dei misericordiam consequentur. Quam admiranda est et imperscrutabilis sapientiae divinae altitudo! 11, 23—36.

*In parte paraenetica c. 12—16.*

Apostolus lectores obsecrat, ut corpora sua Deo offerant hostiam viventem et beneplacitam; ut animam juxta voluntatem divinam renovent; ut gratiae dona juxta eorum finem ad communem aedificationem adhibeant; ut proximum diligant; ut ipsi ferventes, orationi instantes, non alta sapientes charitatis opera exerceant, pacem cum omnibus servantes vindictam Deo relinquant et malum bono vincant c. 12.

Monet, ut potestatibus altioribus subditi sint a Deo institutis ad salutem bonorum, ad timorem malorum, ut itaque eis qua Dei ministris non ob metum, sed propter conscientiam obediant, tributa solvant et in genere unicuique suum tribuant 13, 1—7.

Redit ad charitatem omnibus debitam et eam commendat, cum sit legis plenitudo, et fideles somnolentos excitat spe salutis propinquae, urgetque, ut abjectis operibus malis virtuti studeant, Dominum Jesum Christum induant 13, 8—14.

Hortatur, ut infirmos suscipiant, ne ob cibos aut festa sint disceptationes aut judicandi pronitas, quum de fratre judicium non nobis, sed soli Christo competat; ne quis alterum cibo scandalizet, ut potius ob aedificationis finem a licitis etiam abstineatur; ne infirmior contra persuasionem suam agendo peccet c. 14.

Firmiores in specie monet, ut exemplo Christi moti benigne ferant infirmiorum imbecillitates; ne sibi vivant, sed ut proximorum aedificationi et saluti studeant 15, 1—4.

Precatur, ut Dei gratiâ omnes unanimes uno ore honorent Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui omnes suscepit, Judaeorum minister factus ob Dei fidelitatem, ita tamen, ut etiam gentiles ob misericordiam suscepti sint ad Deum glorificandum juxta prophetarum vaticinia 15, 5—13.

De lectorum dilectione et scientia confidens Apostolus epistolam suam excusat munere, cui satisfaciens evangelium ubique praedicasset ab Hierosolymis usque in Illyricum; se ad illos venturum promittit in itinere suo in Hispaniam; obsecrat, ut pro ipso ad Deum orent, ut omnibus feliciter peractis laetus Romam veniat 15, 14—30.

Commendat Phoeben, ecclesiae Kenchrensis diaconissam, et multos fideles nominatim salutat 16, 1—16.

Romanos hortatur, ut observent dissensionum et scandalorum auctores eosque fugiant, quum non Christo, sed ventri suo serviant, et lectorum obedientia divulgata sit in omnem locum; optat, ut sapientes sint in bono, simplices in malo, et ut Deus adversarios eorum brevi confundat. Denique plurium nomine Romanis salutem dicit, et solenni benedictione ac doxologia epistolam finit 16, 17—27.

## §. 181.

**Quo tempore et loco haec epistola scripta sit.**

Quando et ubi haec epistola scripta sit, e sequentibus cognoscitur: Act. 19, 21. legimus, s. Paulum in tertio itinere Ephesi commorantem propositum cepisse per Macedoniam et Achaiam iter faciendi, indeque Hierosolymam et tandem Romam proficiscendi, quod propositum revera ita exsecutus est, ut, cum Epheso pulsus per Macedoniam in Achaiam venisset, inde non brevissimâ viâ maritimâ Syriam peteret, sed Judaeorum insidias evitaturus coll. Act. 20, 3. itinere terrestri utens per Macedoniam reverteretur in Asiam minorem, indeque in Palaestinam navigaret coll. Act. 20, 1—21, 17., et etiam, quamvis captivus, Romam veniret coll. Act. c. 28. — Jam vero Apostolus, cum ad Romanos scriberet, in eo erat, ut pecunias per Macedoniam et Achaiam collectas Hierosolymam perferret coll. Rom. 15, 25—27., quo negotio peracto et Romam abire, nec non in Hispaniam proficisci voluit coll. Rom. 15, 23. 28. Unde patet, *epistolam nostram esse scriptam in tertio Pauli itinere, et quidem in loco et tempore, quo pecuniae Hierosolymam deportandae in promtu erant, ergo peragratâ jam ab Apostolo Macedoniâ atque Achaiâ.* Ast Achaiâ nondum relictâ, idque *Corinthi, dum Apostolus tertio in hac urbe versaretur, anno 58. aerae vulg.,* has literas esse exaratas, inde patet, quia ibidem commemorantur Corinthii, qui Romanis partim salutem dicunt, partim a Paulo commendantur, ut, quod primum attinet, *Cajus,* Apostoli hospes (coll. 16, 23. cum I. Cor. 1, 14.), et *Erastus,* qui serius quaestor erat Corinthi (coll. Rom. 16, 23. cum Act. 19, 22. et II. Tim. 4, 20.); si respiciamus ad alterum: *Phoebe,* Kenchrensis ecclesiae Corintho vicinae diaconissa coll. Rom. 16, 1.

Obj. 1. Paulus ad Romanos 16, 3. *Aquilam et Priscillam*[1] *salutat,* ergo hosce tempore exaratae ad Romanos epistolae Romae degere supponit. Atqui cum Apostolus in tertio suo itinere Corinthi esset, Aquila et Priscilla non Romae, sed Ephesi morabantur; nam Paulus in tertio itinere per superiores Asiae minoris regiones veniens Ephesum Aquilam et Priscillam non tantum ibi adhuc invenit, sed per totum tempus commorationis suae in hac urbe apud eos habitavit coll. I. Cor. 16, 19. Cum Apostolus Epheso relicta per Macedoniam Corinthum veniret, Aquilam quoque et Priscillam profectos esse, nullibi legimus; quare Ephesi remansisse censendi sunt. Quodsi vero haec ita se habent, epistola ad Romanos scribi non potuit tempore et loco indicato.

Resp. Inter epistolam ad Corinthios primam et illam ad Romanos scriptam totius anni spatium erat interpositum; nam illa scripta est Ephesi anno 57. ante tempus paschale (coll. 5, 7.), haec vero anno 58. ante pascha, quod Apostolus ex Achaia redux Philippis celebravit coll. Act. 20, 6. Jam vero hoc temporis intervallo Aquilla et Priscilla

[1] De Aquila et Priscilla cfr. Act. 18, 1—26. I. Cor. 16, 19. Rom. 16, 3. II. Tim. 4, 19.

Romam redire poterant salutarique ut ibidem praesentes ab Apostolo, utpote cui, illos hoc iter esse suscepturos, Ephesi degenti jam erat notum.

Obj. 2. Ad Romanos Paulus dicit 1, 8.: *„Primum gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro vobis omnibus, quod fides vestra annunciatur in universo mundo"*; dein 16, 19.: *„Vestra obedientia in omnem locum divulgata est."* Ex hisce locis recte colligitur, Romae tempore hujus epistolae exaratae ecclesiam christianam floruisse; atqui ante primum Pauli adventum Romae anno 61. Christiani in hac urbe non erant; nam *a)* in actibus App. nihil legimus de laetitia Christianorum Romanorum ob Pauli adventum; *b)* Judaeorum proceres ad Paulum vocati de Christianis loquuntur ut de secta, de qua solum famâ, et quidem parum honorifica audivissent coll. Act. 28, 22.; quare statuendum est, epistolam hanc demum scriptam esse post primam captivitatem Romanam, idque eo magis, quod *c)* Lucas Act. 28. nihil refert de fructibus, quos epistola haec in ecclesia Romana tulerit.

Resp. Praeter ea, quae de origine ecclesiae Romanae et de itinere Petri Ap. in orbis metropolim ante Pauli captivitatem primam Romae suis locis disseruimus,[1] illi argumentationi opponi possunt rationes negativae et positivae.

*α) Negativae:* Ad *a)* Verum non est, de laetitia Christianorum Romanorum ob Pauli adventum in actibus App. nihil commemorari; Lucas enim 28, 15. ait: *„Et inde cum audissent fratres* (Romae), *occurrerunt nobis usque ad Appii forum et Tres tabernas, quos cum vidisset Paulus, gratias agens Deo accepit fiduciam."* Quodsi igitur Paulo Christiani Romani obviam venerunt, tales ante primum ejus adventum Romae adfuisse, in aprico est. Ad *b)* Judaeorum proceres, quos Paulus ad se convocavit, solum profitentur, se scire, Christianorum sectam ubique, i. e. tam Romae quam in aliis locis impugnari, non autem ignorant, Christianorum ecclesiam etiam Romae existere. Ad *c)* Lucam in actibus App. de Christianis Romanis non plura referre, mirum esse nequit, cum, ut ipsa forma c. 28. docet, ad finem operis properaret.

*β) Positivae:* Rom. 1, 13—15. auctor dicit: *„Nolo autem vos ignorare fratres, quia saepe proposui venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc, ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus"*; et 15, 22. 23.: *„Propter quod et impediebar plurimum, quominus ad vos venirem. Jam vero cum in his regionibus ulterius locum non habeam, cupiditatem vero habeam a multis annis veniendi ad vos: spero fore, ut in Hispaniam profecturus transeundo vos videam".* Qui loci nequaquam de desiderio Apostoli Romanos denuo videndi, sed nonnisi de voluntate Romam prima vice veniendi intelligi possunt, idque eo magis, cum epistola haec nihil eorum commemoret, quae s. Paulo Romae prius praesenti accidissent, quod tamen in epistolis Paulinis missis ad ejusmodi ecclesias, in quibus prius erat commoratus, inveniri solet.

---

[1] Cfr. §. 140. et 179.

## §. 182.

### Authentia et integritas epistolae.

Epistolam ad Romanos genuinum esse s. Pauli opus, omnis antiquitas christiana uno contestatur ore. Ut de catalogis librorum N. T. nihil dicamus, cum Pauli nomine eam citant Patres et scriptores antiquissimi: *s. Irenaeus*, *Clemens Alex.*, *Tertullianus*, *Theophilus Antioch.*, et citata indubia jam occurrunt apud *s. Polycarpum*, *Clementem Rom.*[1] Etiam haeretici, ut *Basilides, Valentinus, Marcion* al. ad eam frequenter respiciunt.

Authentia vero c. 15. et 16. sicque *integritas epistolae a pluribus est impugnata* e sequentibus causis:

1. Origenes testatur, in Marcionis codice haec capita defuisse.[2]

2. Documenta nostra critica in collocanda doxologia 16, 25—27. inter se discordant; alia[3] enim eam ad finem c. 16. continent, alia[4] post finem c. 14., alia[5] in utroque loco, alia[6] denique eam plane omittunt.

3. Faustorum apprecatio ter occurrit, et proinde toties epistolae finis indicatur: 15, 33. 16, 20. 16, 24., quod ineptum est.

Hisce moti alii haec duo capita appendices habuerunt a Paulo serius additas (Semler), alii c. 16. appendicem, c. 15. autem postscriptum declararunt serius epistolae adpositum (Eichhorn); alii hoc de utroque capite asseruerunt (Griesbach); alii denique utriusque capitis originem Paulinam negarunt (Bauer).

Verum utrumque caput genuina est epistolae pars, non post longius temporis intervallum scripta. Etenim *a)* omissio in Marcionis codice nullius plane est momenti, quum ab homine illo haeretico sacras scripturas pro arbitrio tractatas esse, abunde constet. *b)* Ut vox ἀμήν ad finem c. 11., ita etiam triplex faustorum apprecatio haberi nequit epistolae finitae indicium; denique *c)* diversitas loci, ubi in antiquis monumentis doxologia legitur, e praelectionibus ecclesiasticis sufficienter explicatur; cum enim c. 16. nihil contineat, quod ad auditorum institutionem aut ad aedificationem moralem promovendam esset aptum, in conventibus sacris non praelegebatur; attamen ne praeclara doxologia ad finem capitis 16. posita omitteretur, cumque ad finem c. 15. jam adesset faustorum apprecatio,

---

[1] Cfr. Iren. adv. haeres. III. 16., Clem. Alex. stromatum III. 4. 11. al., Tertull. coron. mil. c. 5. contra Marc. V. 13., Theophil. ad Autol. III. 14., Polycarp. ad Philadelp. c. 6. al., Clem. Rom. ad Corinth. I. c. 33.

[2] Orig. comment. ad Mt. 16, 25. dicit: Caput hoc (doxologiam) Marcion, a quo scripturae evangelicae atque apostolicae interpolatae sunt, de hac epistola penitus abstulit; verum non solum hoc, sed etiam ab eo loco, ubi scriptum est: Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est (14, 23.) usque ad finem cuncta dissecuit.

[3] BCD*E, Sinait. 16. 66. 80. 127. 176., codd. Rufin., codd. apud Erasmum, Syr. Erpen. Copt. Aeth. Vulg. PP. latini.

[4] J, omnes fere minusculi, lectionaria, verss. Arab. in polygl., Slav. ms. Arm. al. Rufin. Chrys. Theodoret. Joannes Damasc. al.

[5] A. 5. 17. 109. latin.

[6] D**FG, codd. apud Hieronym., ap. Erasm.

adponebatur ad finem capitis 14., et primo in margine adnotata serius textui ipsi inserebatur. Dum itaque doxologia illa in codicibus, qui ad usus ecclesiasticos non erant destinati, locum suum competentem, i. e. ad finem c. 16. occuparet: in libris, qui praelectionibus publicis inserviebant, jam post c. 14., jam post c. 16., ergo bis scripta est. Haec ipsa vero codicum diversitas alios librarios permovit, ut doxologiam illam plane omitterent.

## §. 183.

### Gravitas hujus epistolae.

Haec epistola tum argumenti gravitate, tum res tractandi ratione inter omnia scripta Paulina eminet.

Ut nulla alia, haec epistola *integram doctrinam de salute per Christum complectitur.* Apostolus miseriam spiritualem totius generis humani ante Christum vividissime et teste historia verissime depingit; pugnas inter carnem et spiritum in optimo quoque non interruptas, illiusque victorias continuatas describit, et usque ad fontem tristissimi hujus phaenomeni ascendit: ad primi hominis peccatum, quod in omnes ejus posteros transit, et tantum in cunctos sibi relictos exercuit dominium, ut vel sanctâ Dei lege ad peccatum augendum abuteretur. Peccati vero exuberantis cognitio et impotentia hominis agnita, semet ab illo liberandi, desiderium excitavit redemtoris. Redemtor hic est Jesus Christus, alter generis humani parens, Adamo similis, quatenus sicut per hunc peccatum intravit in mundum et per peccatum mors: ita per illum justitia venit in mundum et per justitiam vita. Christus in carne sua peccatum in se susceptum devicit, justitiae divinae non pro uno, sed pro omnibus peccatis satisfecit, gratiam et Spiritum s. nobis promeruit, ita ut omnes, qui in eum credunt, justificentur, filii Dei reddantur, cohaeredes Jesu Christi secundum spem firmissimam, neque calamitatibus labefactandam, quia in aeterno Dei decreto fundamentum suum habet, ita ut nihil separare nos possit a charitate divina, cujus pignus certissimum est Spiritus s. in cordibus nostris effusus. Quid natura valeat, quid gratia efficiat, quid sit justificatio, quomodo nobis contingat et sola pretium coram Deo habeat: — haec omnia clare edocemur ex epistola nostra, quae divinâ sapientiâ tradit praeparationis et demonstrationis evangelicae lineamenta.

Praeterea Apostolus in dissertatione sua erudita non ab hypothesibus dubiis progreditur, sed factis certissimis nititur; omnes theses suas probat et contra objectiones vindicat, imo hae ipsae occasionem suppeditant ad materias diversas profundius tractandas. Neque orationis lumina desunt; nam antiqui jam in admirationem abrepti sunt locis, ut 5, 3. seqq. 8, 31—39., quibus Apostolus artem suam rhetoricam clarissime manifestavit.

Ipsa vero haec materiae et formae sublimitas et ubertas incautis et sciolis omnium temporum periculosa erat. Quum enim non tam singula exponantur dogmata, quam potius principia tradantur,

quibus integrum doctrinae christianae systema innititur; quum praeterea lex et gratia, fides et opera, justitia humana et justitia a Deo data etc. sibi opponantur: epistolâ hac omnium fere saeculorum haeretici abutebantur ad placita sua fulcienda. Dum enim hanc vel illam sententiam antitheticam justo plus urgerent et premerent, aut ultra Apostoli consilium extenderent: factum est, ut Apostolo non obstante perspicuitatis studio sententiae plane contrariae obtruderentur. Sic *Valentiniani* invenerunt voluntatis libertatem negatam; *Pelagiani* theoremata sua de libero arbitrio et de virium naturalium hominis sufficientia ad omne opus bonum tradita, et contra hos *Praedestinatiani* doctrinam suam de electione divina, *reformatores* placita sua de hominis naturâ plane corruptâ et de justificatione Christi imputata, *Calvinistae* horrendam doctrinam de reprobatione divina etc. ex epistola nostra probare conati sunt. Sola ecclesia cath. ope traditionis continuae omnia feliciter evitavit pericula.[1]

## C) Epistolae Pauli Ap. in prima captivitate Romana scriptae.

### 1) Epistola ad Ephesios.

§. 184.

**De Epheso et de primis epistolae lectoribus.**

*Ephesus, olim Joniae, sub Romanorum imperio Asiae proconsularis erat metropolis.* In hac civitate, templo Dianae celeberrimâ (Act. 19, 28. Ptolem. V. 2.), Paulus in secundo itinere apostolico Hierosolymam proficiscens tempore verno anni 54. primum ecclesiae fundamentum posuit (Act. 18, 20.), in tertio autem itinere peragratis superioribus Asiae minoris regionibus denuo venit Ephesum (tempore auctumni ejusdem anni), et ibidem per biennium et tres menses docuit, ita ut tota Asia verbum Dei audiret (Act. c. 19. et 20.). Serius ex Achaia per Macedoniam et Asiam minorem Hierosolymam proficiscens non venit quidem Ephesum, attamen presbyteros Ephesinos vocavit Miletum eisque valedicens ecclesiae curam commendavit.

In Canone nostro invenitur etiam epistola Pauli ad Ephesios inscripta, et eam Ephesiis missam esse, jam testantur *s. Ignatius M.*, *s. Irenaeus*, *Tertullianus* et *s. Epiphanius*;[2] idem edicunt codices et versiones, quae 1, 1. haec verba exhibent: *Παῦλος ἀπόστολος — — τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ καὶ πιστοῖς ἐν Χρ. Ἰησοῦ.* Ex hisce patere videtur, epistolam solis Ephesiis fuisse destinatam. Huic tamen sententiae sequentia obstant:

---

[1] Cfr. Reithmayr Einleitung p. 599. seqq.

[2] S. Ignatius M. ad Ephes. c. 12.
S. Irenaeus adv. haer. V. 2. *Καθὼς ὁ μακάριος Παῦλός φησιν ἐν τῇ πρὸς Ἐφεσίους ἐπιστολῇ. ὅτι μέλη ἐσμέν λ.*
Tertull. adv. Marc. V. 11.
S. Epiphan. haeres. 42. n. 9.

1. *Marcion*[1] in sua epistolarum Paulinarum collectione nostram ad Ephesios epistolam ad Laodicenos inscriptam habuit;

2. *s. Basilius*[2] testatur, in antiquis codicibus voces ἐν Ἐφέσῳ in textu non esse lectas, et revera in codice antiquissimo B formula illa nonnisi in margine, licet a prima manu scripta invenitur, in codice Sinaitico plane deest;

3. *argumentum epistolae non tales supponit lectores, quales erant Ephesii*, nimirum Apostolo optime cognitos, et quibus ipse erat notissimus, et in genere nihil continet, quod certo loco eique soli conveniret; nam *a*) in dedicatione et in fine nemo nominatur comitum Apostoli, ut in epistolis eodem tempore scriptis ad Coloss. et ad Philemonem; *b*) Apostolus neminem in specie salutat, sed generali formulâ omnibus fratribus apprecatur fausta 6, 23.; *c*) Paulus eorum, quae sibi evenissent aut quae ipse fecisset inter lectores praesens nullam facit mentionem, imo se majori lectorum parti nonnisi famâ notum esse et de eorum fide per alios audivisse supponit 3, 1. seqq. 1, 15. coll. c. Coloss. 4, 8., et non omnes lectores per ipsum edoctos esse innuit 4, 20. 21.

Quae cum ita sint, *epistola nostra solis Ephesiis scribi non potuit. Eo minus probanda est Marcionis sententia*, quatenus solos Laodicenses primos epistolae nominat lectores; nam explicari non posset, quomodo factum sit, ut antiquorum nemo cum illo consentiat, et nullus codex, versio nulla inscriptionem ad Laodicenses exhibeat.

Quare *epistola haec*, ut integer ejus character docet, *encyclica habenda* est, missa nimirum ecclesiae tum Ephesinae, tum Laodicensi, tum aliis ecclesiis filiabus in circuitu hujus et illius serius enatis. Ex hac sententia varia phaenomena in praecedentibus nominata facile explicantur; etenim

1. in epistola destinata non uni, sed pluribus ecclesiis, quarum non omnes ab ipso Apostolo erant fundatae, omnino ita loqui poterat, acsi lectores sibi minus cogniti essent et famâ tantum noti et vice versâ, et omittere commemorationem comitum.

2. Literis encyclicis generalis salutandi formula magis conveniens erat, quam salutationes speciales.

3. Abesse etiam debebat mentio eorum, quae auctori, dum inter Ephesios versaretur, evenerant.

4. Hac tantum sententiâ admissâ explicatur, cur jam mature epistola ad Laodicenses Paulo sit supposita; nam ipse Apostolus praecipit, ut Colossenses repetant epistolam a Laodicensibus et legant (Coloss. 4, 16.). Colossensibus Laodicenses proximi erant, saltem propiores, quam aliae Asiae minoris ecclesiae; facile igitur pot-

---

[1] Tertull. cont. Marc. V. 11.: Epistola, quam nos ad Ephesios praescriptam habemus, haeretici vero ad Laodicenos.

[2] Contr. Eunom. II. 19. *Ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἐφεσίοις ἐπιστέλλων ὡς γνησίως ἡνωμένοις τῷ ὄντι δι' ἐπιγνώσεως, ὄντας αὐτοὺς ἰδιαζόντως ὠνόμασεν εἰπών· τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Οὕτω γὰρ οἱ πρὸ ἡμῶν παραδεδώκασι καὶ ἡμεῖς ἐν τοῖς παλαίοις τῶν ἀπογράφων εὑρήκαμεν* Cfr. s. Hieronym. comment. in ep. ad Ephes. 1, 1. et Origen. ad eundem locum.

erant epistolam hanc, si encyclica erat et ad Laodicenses etiam missa, accipere legendam. Paulum vero, dum mandatum illud Colossensibus injungeret, in mente habuisse nostram (ad Ephesios) epistolam, non autem aliam ad Laodicenses missam et mature deperditam, inde colligitur, quod utriusque epistolae argumentum fere idem est, pars vero dogmatica in illa ad Colossenses, pars paraenetica in ea ad Ephesios uberius et clarius tractatur, ita ut illa ad Ephesios et Laodicenses Colossensibus et vice versâ perquam utilis esset ad has vel illas partes illustrandas. Attamen Apostolus epistolam a Colossensibus expetendam non dicit *τὴν πρὸς Λαοδικείαν*, quia non exclusive Laodicensibus erat dedicata, sed *τὴν ἐκ Λαοδικείας*, quia *Laodiceâ* cum aliis erat communicanda.

5. Ex encyclico epistolae nostrae charactere explicatur varietas codicum antiquorum in vocibus *ἐν Ἐφέσῳ* positis aut omissis. Epistolam hanc Ephesiis fuisse destinatam, nemini erat dubium; attamen antiquos non latebat, eam non solis Ephesiis esse scriptam, sed omnibus ethnicochristianis Asiae minoris; hinc formulam *ἐν Ἐφέσῳ* aut omiserunt, aut in margine notarunt.

6. Denique ex encyclica epistolae destinatione intelligitur, quomodo Marcion illius titulum in illum ad Laodicenses mutaverit; si enim praeter alias Asiae minoris ecclesias etiam Laodicensibus erat dedicata, utique fieri potuit, ut Marcion unum alterumve codicem cum inscriptione ad Laodicenses inveniret, et hac re nixus, ut *„diligentissimus explorator"* videretur, contra orthodoxorum legendi consuetudinem inscriptionem mutaret.

Etsi vero epistola haec encyclica erat, eam tamen ab antiquis a metropoli Asiae proconsularis epistolae ad Ephesios nomine compellatam esse, mirandum non est.

## §. 185.

### Occasio, scopus et argumentum epistolae.

Inter viros de ecclesia Christi optime meritos, qui ad s. Paulum tempore captivitatis ejus primae Romam venerunt, erat etiam *Epaphras*, qui Apostolo attulit nuncium, plures Asiae minoris civitates, et inter has etiam Colossas et Laodiceam religionem christianam suscepisse; simul vero Apostolo nunciabat pericula, quae his ecclesiis recenter fundatis et lacte efflorescentibus ut Ephesinae pararentur per falsos doctores Judaeo-christianos, qui cum erroribus suis theosophicis perversa conjungebant principia ascetica. *Nuncia haec Apostolo occasionem praebuerunt epistolae hujus scribendae, qua lectores contra seductionis pericula praemunire voluit, in genuinae fidei professione confirmare et ad vitam vere christianam instituere.*

Etiam haec epistola partem continet *dogmaticam et paraeneticam. Pars prima c. 1—3.* occupatur expositione modi, quo Deus juxta decretum suum aeternum etiam gentiles ad salutem messianam vocavit; *pars altera c. 4—6.* sub forma admonitionis tradit morum

praecepta, quibus vita vere christiana in diversis adjunctis est conformanda.

Praemissâ dedicatione et salutatione 1, 1—3. Apostolus Deum laudibus celebrat ob salutem evangelicam, qua, quod in gloriae suae laudem et gratiae manifestationem ab aeterno decrevit, nunc exsecutus est in Christo Jesu, per quem et Judaei et ethnici vocati pignus haereditatis acceperunt Spiritum s. 1, 3—14.

Pro fide et charitate lectorum sibi nunciatâ Apostolus Deo continuas agit gratias, simul vero precatur, ut augeatur eorum cognitio et sapientia, in specie scientia magnitudinis et gloriae haereditatis exspectandae et sublimitatis Christi, qui virtute divinâ a mortuis suscitatus in coelum elevatus est super omnes spiritus et ecclesiae caput constitutus 1, 15—23.

Dum Apostolus lectoribus in memoriam revocat pristinum eorum statum moralem perversum, in quo justitiae divinae erant obnoxii, summum renovationis spiritualis eis ob oculos ponit beneficium, quod eis non e propriis contigit meritis, sed e charitate et gratiâ Dei 2, 1—10.

Ethnico-christianos in specie monet, ut memores sint, se prius alienos fuisse a vita religiosa populi israëlitici, sine bonorum promissorum spe, absque Deo, nunc vero, quum Christus per mortem suam lege abrogatâ parietem inter Judaeos et ethnicos destruxerit, cum illis in unum corpus esse conjunctos, cum Deo reconciliatos et regni divini participes factos 2, 11—22.

Commemorat suum Apostoli gentium munus et officium, redemtionis mysterium sibi revelatum inter omnes gentes praedicandi; denuo precum suarum meminit, ut lectores in fide et charitate crescant, salutis infinitae cognitione imbuantur, et supereminentem cognoscant charitatem Christi 3, 1—21.

*In parte practica* dictorum consectaria exponuntur ad vitam vere christianam formandam. Fundamentum et conditio hujus vitae est omnium unitas in fide et in charitate, qua diversa Spiritus s. dona unicuique concessa secundum institutionem Christi ad communem adhibentur utilitatem, omnis doctrinae incertitudo removetur, viva veritatis agnitio et mutuo auxilio cunctorum perfectio promovetur 4, 1—16.

Ex intima cum Christo unione enascitur officium, ut priori vitae ethnicae valedicant, spiritualiter semet renovent, ita ut se abdicant ab omnibus animi passionibus: ab iracundia, furto etc., et virtutes contrarias colant, eo magis vero fugiant flagitia, ut avaritiam, fornicationem etc., quae a regno Dei plane excludunt. Omnis doctrina his contraria vana est et rejicienda 4, 17—5, 20.

*Ad vitam socialem* transiens Apostolus docet, quaenam sint peculiaria officia conjugum, parentum et liberorum, servorum et dominorum 5, 21—6, 9.

Sequitur adhortatio ad vigilantiam, ad strenuam pugnam spiritualem et ad orationem; additur, Tychicum accuratiora nuncia esse allaturum et faustorum apprecatio epistolam finit 6, 10—24.

### §. 186.

**Quando et ubi scripta sit haec epistola?**

*Si epistola nostra cum illis ad Colossenses et ad Philemonem comparatur, eam cum hisce in prima Apostoli captivitate Romana, et quidem ad ejus finem scriptam esse, statuere licet.* Etenim

1. In epistola ad Ephesios et ad Colossenses diserte adnotatur: Paulum evangelii gratia esse captivum quidem (Eph. 3, 1—7. Col. 1, 24—27. 4, 19.); attamen non in carcere detentum, sed ad evangelii praedicationem libertate quadam frui (Eph. 6, 20. Coloss. 4, 3.). Quae docent, epistolam ad Ephesios et ad Colossenses scriptam esse *in captivitate Pauli mitiori,* qualis erat prima Romae, ad finem actuum App. delineata.

2. Epistolam ad Ephesios et ad Colossenses *circa idem tempus* ab Apostolo scriptam esse et simul missam, inde colligitur, quod utramque idem *Tychicus* ad lectores detulit (Eph. 6, 21. Col. 4, 7. 8.); quod insignis est in utraque epistola argumenti similitudo; denique quod auctor Colossensibus praecipit, ut hanc epistolam Laodicensibus legendam tradant, et vicissim ab his sibi expetant epistolam ad eos missam (Col. 4, 16.).

3. Quum autem epistola ad Colossenses non tantum cum illa ad Ephesios inscripta, sed etiam, ut e Col. 4, 9. patet, simul cum illa ad Philemonem missa sit: *hae tres epistolae sub finem primae captivitatis Pauli Romanae exaratae sunt;* nam coll. Philem. v. 22. Apostolus hospitium sibi parari desiderat a Philemone, quod spem ejus, finem captivitatis imminere supponit.

Epistolam ad Ephesios illâ ad Colossenses prius exaratam esse missamque, plures inde colligunt, quod quidem tempore hujus, non vero illius scriptae Timotheus apud Apostolum Romae praesens fuerit. Attamen epistolam ad Ephesios ante illam ad Colossenses chartae esse mandatam, ex hujus 4, 16. patet; longius vero temporis spatium inter utramque exaratam fuisse interpositum, e Timothei mentione in epistola ad Ephesios omissâ, in illa autem ad Colossenses additâ colligere haud licet; potius in epistola (ad Ephesios) encyclica procul dubio ex eadem causa Timothei nomen reticetur, ob quam Apostolus salutatione nonnisi generali omnes lectores complectitur.

## 2) Epistola ad Colossenses.

### §. 187.

**De ecclesia Christianorum Colossensi.**

Inter civitates Phrygiae majoris, regionis in Asia minori foecundissimae, *Laodicea* metropolis, *Colossae* et *Hierapolis* eminebant. *Colossae* (in multis codd. Colassae) teste *Herodoto* sitae erant in ea Phrygiae parte, qua *Lycus* fluvius terrae hiatum subit, et post quinque fere stadia emergens *Menandro* infunditur. Urbs haec, olim am-

plitudine et opulentiâ insignis, ab *Herodoto et Xenophonte* clarissimis Asiae civitatibus adnumeratur,[1] Apostolorum autem aevo famae multum perdiderat; *Strabo* enim Colossas nonnisi *πόλισμα* nominat.[2] Non diu post epistolam hanc scriptam, Nerone adhuc imperante, Colossae una cum Laodicea et Hierapoli terrae motu devastatae corruerunt;[3] denuo quidem restitutae sunt et pluribus adhuc saeculis superstites erant, attamen nunquam amplius ad pristinum florem evectae; saeculo XII. ipso nomine mutato dictae sunt *Χῶναι*;[4] hodie non supersunt urbis hujus vestigia.

*S. Paulus*, licet in 2. et in tertio itinere, evangelii praedicandi causa ad gentiles suscepto, in Phrygiam venisset, *Colossis* tamen, ut *Laodiceae* et *Hierapoli, ecclesiam non fundavit, neque doctrinam Christi praedicavit;* nam

*a*) ut Colossenses de motivo et consilio suo ad eos scribendi instruat, Apostolus 2, 1. dicit: *„Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro iis, qui sunt Laodiceae, et quicunque non viderunt faciem meam in carne.“* Colossenses itaque iis adnumerantur, qui Apostolum nunquam viderant.

*b*) Ut ad Ephes. 3, 1—11., ita etiam ad Colossenses 1, 23. 25. Apostolus opportunum censet monere, sibi concreditam et demandatam esse evangelii praedicationem inter gentes, ideoque suum esse omnium habere curam. Denique

*c*) in epistolis ad ecclesias a se fundatas Apostolus monet, *ut firmiter teneant doctrinam a se traditam* (cfr. Gal. 4, 11. seqq. Philipp. 2, 12. 16. al.); ast in epistola nostra 1, 7. 8. *Epaphram* nominat eum, per quem Colossenses evangelium audivissent et cujus operâ ad Christum essent conversi. Proinde ecclesia Colossensis non ab ipso Paulo est fundata, sed ab *Epaphra* Colossensi (4, 12.), qui, ut *Philemon* (v. 2.) procul dubio discipulus erat Apostoli, et vel in ipsa Phrygia, vel Ephesi ad munus evangelistae institutus. Epaphram vero activitatem suam ac sollicitudinem etiam ad Laodicenses et Hierapolitanos extendisse, coll. Col. 4, 16. concludere licet.

## §. 188.

### Occasio et argumentum epistolae.

1. *Occasionem hujus epistolae scribendae periculum praebuit, ne Colossenses cum vicinis Hierapolitanis et Laodicensibus per falsos doctores a genuina Jesu Christi doctrina abducerentur,* quod eo magis erat timendum, quum lectores non ab Apostolorum quodam essent instituti. Hinc s. Paulus hac epistolâ doctrinam Epaphrae auctoritate suâ apostolicâ confirmare voluit.

---

[1] Herodot. hist. VII. 30. Xenoph. Anab. I. 6.
[2] Strabo geogr. c. 12.
[3] Euseb. chronic. ad ann. D. 64. Paul. Oros. hist. VII. 7. Strabo geogr. 12.
[4] Theophyl. Comment. in Col. 1, 2.: *Κολοσσαὶ πόλις Φρυγίας, αὕτη ἡ λεγομένη νῦν Χῶναι.*

Ceterum errores, qui in illis spargebantur ecclesiis, iidem erant, qui Ephesi et in civitatibus vicinis, praecipue Laodiceae serpebant; hinc argumentum fere idem est, ac epistolae ad Ephesios, quae etiam Laodicensibus erat destinata. Inde etiam explicatur illud Apostoli monitum ad Col. 4, 16.

2. Ut illa ad Ephesios, ita etiam haec epistola partem *didacticam* continet et *paraeneticam*. *In parte didactica* Apostolus denuo exponit doctrinam de Jesu Christi persona et de redemtionis opere ab eo peracto, et placita philosophica Judaeo-christianorum contraria refutat. *In parte paraenetica* a morte et resurrectione fidelium spirituali progrediens tradit vitae christianae praecepta, quae diversis conditionibus respondent.

Praemissâ dedicatione et salutatione v. 1—3. Apostolus Deo gratias agit ob fidem, charitatem et spem christianam lectorum, evangelium, quod ab Epaphra acceperant, verum esse testatur, et certiores eos facit de precibus suis continuis, ut perficiantur et confortentur 1, 3—12.

Ad eorum confirmationem ostendit, quanta sit redemtionis gratia per Christum, hujus dignitatem ac majestatem exponit, et eis in memoriam revocat, etiam ipsos per Christum reconciliationem et sanctificationem consecutos esse et receptos in communionem ecclesiae ejus, cujus gratiâ aerumnas muneris sui apostolici laetus perferat 1, 13—29.

Apostolus repetit, quanta sibi sit sollicitudo, ut lectores in fide et in christiana scientia confirmentur, et severe monet, ut sibi caveant a fallaci sapientiâ humanâ, quae a Christo et a plenitudine sapientiae divinae in eo revelatae abducit, et a statutis judaicis, quae nunc lege sublatâ Christianos cum Christo mortuos et ad novam vitam resuscitatos minime obligant 2, 1—23.

Transit jam ad monita, omnia sua studia a terrenis avertendi et ad coelestia dirigendi, peccata et scelera deponendi et novam vitam per omnium virtutum exercitium manifestandi 3, 1—17.

Sequuntur monita, quae respiciunt officia conjugum, parentum et liberorum, servorum et dominorum, orationem et agendi rationem erga incredulos 3, 18—4, 6.

Nuncia, salutationes et mandata, et clausula propriâ Apostoli manu scripta, qua lectoribus benedicit et rogat, ut vinculorum ipsius memores sint 4, 7—18.

*De tempore et loco* hujus epistolae scriptae cfr. §. 186. dicta.

§. 189.

### 3) Epistola ad Philemonem.

*Philemon* Colossis habitabat ibique presbyteri vel diaconi fungebatur munere; nam v. 2. ab Apostolo dicitur *συνεργὸς ἡμῶν*. Praeter Philemonem vero brevis haec epistola etiam Appiae cuidam, probabiliter illius uxori, et Archippo, ecclesiae antistiti, dedicata erat.

Philemoni erat servus, *Onesimus*, qui, postquam dominum suum damno affecerat, poenam timens aufugit, et cum Romam usque venisset et Paulum invenisset, ab eo ad Christum est conversus. Apostolus ministerio ejus aliquamdiu usus est Romae, tandem vero dimittere eum decrevit, et coll. Coloss. 4, 9. una cum Tychico redeunti literas commendatitias ad Philemonem tradidit.

*Scripta est haec epistola eodem tempore, quo illae ad Ephesios et ad Colossenses sunt exaratae.*[1]

Ceterum epistola haec *mere familiaris est;* attamen salutarem docet influxum, quem religio christiana in ipsorum servorum sortem mitigandam exercuit; praeterea christianam humilitatem, nobilem et urbanum Apostoli characterem egregie manifestat; hinc mirum non est, eam non obstante brevitate, destinatione et indole ab omnibus ecclesiis antiquis inter scripta canonica esse receptam, ut *catalogus Muratorii, versio Peschito, Tertullianus et Origenes*[2] testantur; ipse *Marcion* inter epistolas Paulinas eam referebat.

## 4) Epistola ad Philippenses.

### §. 190.

**De urbe et ecclesia Philippensi.**

Urbs *Philippi, olim Kronides* dicta, a Philippo Macedone novo nomine donata, amplificata, in arcem conversa, sita erat trans *Strymonem* fluvium in ea Macedoniae parte, quae prius ad Thraciam pertinebat. Sub Romanorum imperio adjecta est Macedoniae primae, i. e. primae parti Macedoniae quatripartitae, ab Augusto ad coloniam Romanam evecta et jure italico praedita. Act. 16, 12. *πρώτη πόλις* hujus partis Macedoniae appellatur, quod tamen non designat metropolim, qualis erat Amphipolis (Liv. lib. 45. c. 19.); sed urbem gravioribus privilegiis ornatam; testantibus enim nummis antiquis haec denominatio *πρώτη πόλις* non raro duabus aut tribus ejusdem provinciae civitatibus tribuitur.

Philippi coll. Act. 16, 12. seqq. prima erant urbium Europae, in qua s. Paulus in secundo suo itinere apostolico praedicavit, et *Lydiam*, purpurariam Thyatirensem, proselytam, cum tota ejus familia ad Christum convertit. Cum tamen Apostolus e puella spiritum pythonicum ejecisset, una cum *Sila* in forum ad magistratum est ductus, virgis caesus et in carcerem conjectus, sequente autem die acceptâ a magistratu satisfactione dimissus, et cum Timotheo ac Sila discedens

---

[1] Cfr. §. 186.

[2] Tertull. c. Marcion. v. 21.: Soli huic epistolae brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet. Miror tamen, cum ad unum hominem factas receperit, quod ad Timotheum duas et unam ad Titum de ecclesiastico statu compositas recusarit.

Origenes homil. in Jerem. XIX.: *Ὅπερ καὶ ὁ Παῦλος ἐπιστάμενος ἔλεγεν ἐν τῇ πρὸς Φιλήμονα ἐπιστολῇ περὶ τοῦ Ὀνησίμου* λ. al.

Cfr. s. Chrysost. Comment. in ep. ad Philem. Argum.

*Lucam* ibi reliquit, qui opus coeptum tanto cum effectu continuavit, ut brevi ecclesia florens enasceretur, quae Apostolo gaudio erat et desiderio et gloriae (Phil. 4, 1.).

*Ecclesia Philippensis e multis constabat ethnicochristianis et e paucis Judaeis natis,* qui in illa civitate non erant numerosi, ideoque non synagogam habebant, sed nonnisi oratorium (προσευχήν Act. 16, 12.). Praeterea ecclesia illa non obstantibus calamitatibus, quibus erat obnoxia, *firmiter Christo ejusque doctrinae adhaerebat et sincero amore Paulo erat addicta;* etenim s. Paulum a solis Philippensibus pecunia sublevatum esse tum Thessalonicae et Corinthi, tum Romae in prima captivitate, ex epistolae 4, 15. 16. et e II. Cor. 11, 8. 9. edocemur.

## §. 191.

### Occasio, scopus, argumentum, tempus et locus epistolae scriptae.

Philippenses Paulo, patri suo ac magistro, sincerissimo amore addicti, ad eum cum pecuniis miserunt *Epaphroditum,* tum ut ei adjutorio essent et ministerio, tum ut de rebus Apostoli certiores redderentur. Cum Epaphroditus, qui ad mortem Romae aegrotavit, demum convaluisset, Paulus cum hac epistola eum remisit, *ut gratias ageret Philippensibus de ipsorum beneficentia, et eos de statu suo edoceret.* S. Paulus tamen non simpliciter gratias agit, sed in hac epistola, quae ceteris omnibus est laetior et blandior, modo congratulatur, modo consolatur, modo hortatur. Congratulatur lectoribus ob beneficentiam, ob perseverantiam in fide et in bonis operibus, ob constantiam in calamitatibus; consolatur ob persecutiones, quas propter Christum passi sunt, quod magnum Dei donum est; hortatur, ut vitam agant evangelio dignam; ut in adversis firmi persistant; ut sint unanimes, concordes, pacifici; ut Christi humilitatem et obedientiam imitentur; ut pseudoapostolis, qui sint mali operarii, inimici crucis Christi, aurem animumque occludant; ut omnes virtutes christianas exerceant, utque filii lucis et quasi stellae inter ethnicos fulgeant. — In specie vero Apostolus singularem suum erga Philippenses declarat affectum; gratias agit ob illorum beneficentiam; rogat, ut illorum charitas magis magisque abundet in scientia et in operibus bonis 1, 1—12.

Ad lectores consolandos docet, vincula sua evangelii propagationi profuisse; etsi cupiat dissolvi et esse cum Christo, ad eorum tamen utilitatem vitam praefert, et ad eos se venturum promittit 1, 12—26. Quidcumque vero evenerit, hortatur ad dignam Christianis conversationem, ad patientiam in persecutionibus pro Christo, quae magna Dei dona sunt 1, 27—30.

Impensius et emphatice monet, ut mutuam colant concordiam, charitatem fraternam et omnimodam humilitatem, et hunc in finem exemplum Christi proponit, qui cum in forma Dei esset, semet ipsum exinaniens formam servi accepit, et obediens factus est usque ad mortem crucis, ideo autem a Deo exaltatus est et donatus nomine ab omnibus creaturis adorando 2, 1—11.

Hortatur, ut cum tremore salutem suam operentur, et virtutibus suis fulgeant quasi luminaria inter generationem pravam, et pro lectorum salute se ad sanguinis sui sacrificium offerendum paratum esse affirmat 2, 12—18.

Promittit, se missurum ad eos Timotheum, fidelissimum sibi et de Philippensibus maxime sollicitum, se interim ablegasse dicit Epaphroditum, quem laudibus celebrat, et se venturum sperat 2, 19—30.

Monet, ut sibi caveant a doctoribus judaizantibus, carne quidem, non vero, ut Christiani, corde circumcisis; se plus omnibus illis de praerogativis judaicis gloriari posse dicit, attamen propter Christum omnia vilipendisse, et eo solum tendere, ut meritorum illius particeps fiat 3, 1—11.

Apostolus ideo non perfectum se reputat, sed ad vocationis suae perfectionem magno conatu contendit, et hoc exemplum Philippenses imitentur, non autem falsos doctores, qui sunt inimici crucis Christi, ventri servientes, nihil nisi terrena sapientes; Christiani, municipes coelorum, mente et corde conversentur in coelis, unde et Salvatorem nostrum exspectamus Jesum Christum, qui etiam corpus nostrum humile conformabit corpori suo glorioso 3, 12—21.

Philippenses amicissime hortatur ad perseverantiam, ad concordiam, ad gaudium spirituale, ad modestiam, ad orationem, ad gratiarum actionem, ad omnia laudabilia, honesta et sancta 4, 1—9.

Pristinam et praesentem lectorum erga se liberalitatem laudat, idque eorum causa; nam ipse abundare scit et penuriam pati. Denique eis bona apprecatur et eos omnes salutat.

*Scripta est haec epistola in prima Apostoli captivitate Romana,* et quidem, ut ex ipso argumento cognoscere licet, *circa finem ejusdem.*

## D) Epistola Pauli missa inter I. et II. captivitatem Romanam: ad Hebraeos.

### §. 192.

**De auctore, canonica auctoritate et linguâ originali hujus epistolae.**

*De auctore epistolae ad Hebraeos et veteres dissenserunt et recentiores adhucdum disputant.* Temporibus s. *Hieronymi* nondum tota ecclesia occidentalis eandem Pauli Apostoli opus agnovit, orientalis vero eam ab initio jam Paulinam et canonicam habuit, licet et ejus doctores nonnulli dubitarent. Rationes dubiorum sitae sunt in eo, quod

1. nomen Apostoli fronti epistolae non sit inscriptum; quod
2. alius in ea sit stylus aliaque dictio, quam in epistolis Pauli Apostoli; quod denique
3. in hac epistola contineantur quaedam, quae a Paulo scribi non potuissent, ut 2, 3. 6, 4—6. 9, 1—4.

Hae tamen rationes internae non sufficiunt, ut epistolam hanc Paulo Apostolo abjudicemus, et vel *Barnabae*, vel *Apolloni*, vel *Clementi Romano*, vel *Lucae* vel *alii comitum* Apostoli ab eo independenti adscribamus auctori. Nam

Ad 1. nomen Apostoli in fronte non esse adscriptum, vix mirum esse poterit, si attendatur *a)* opus hoc non tam epistolam esse, quam potius tractatum eruditum (λόγον τῆς παρακλήσεως 13, 12.). Praeterea *b)* scripta est Judaeochristianis Palaestinensibus, quorum plures Paulo Apostolo minus favebant, qui itaque ab ea legenda facile essent aversi, si statim in ejus fronte viri, ut putabant, ipsis inimici nomen invenissent; non adscripto autem nomine legebatur, quo facto cognita rationum momenta persuasionem gignebant, quae non facile everti potuit, etsi serius, auctorem esse Paulum, innotuit. Licet vero ab initio epistolae auctoris nomen desit, ad finem tamen talis fit Timothei mentio, qualis nonnisi relationi ejus ad s. Paulum prorsus conveniens est coll. 13, 23.

Ad 2. Quod stylum et dictionem attinet, diversitatem quamdam hanc inter et reliquas s. Pauli epistolas adesse, inficias iri nequit; invenitur enim in ea diligentia quaedam et elegantia structurae et oratorius sermonis habitus, quo reliquas superat Pauli epistolas, nec desunt formulae Apostolo huic alias inusitatae, et hisce motus jam Origenes professus est: *Sententiae sunt Pauli, quis autem scripserit epistolam, Deus scit.* Ast ne haec quidem obstant, quominus Pauli Apostoli opus habeatur, dummodo adsint alia, quae huic sententiae patrocinentur. Styli enim diversitas explicatur, si *a)* perpendas operis characterem, utpote qui non tam est epistolaris, quam potius tractatus eruditi indolem exhibet; vel si *b)* sententiam amplectaris *Clementis Alex.* tradentis, epistolam hanc a Paulo hebraice scriptam, ab alio autem in gratiam Graecorum in linguam graecam esse translatam; vel si *c)* statuamus, libellum hunc volente aut mandante et dirigente Apostolo esse exaratum a quodam viro, qui s. Pauli per longius tempus comes et adjutor fuerat, et e publica institutione ejusdem nec non e privatis colloquiis ideas Apostoli probe cognitas habuit. Etiam hoc in casu epistola, cujus materiam Apostolus suppeditasset, et quam per alium scribi voluisset et scriptam approbasset, recte diceretur Paulina, et ratio styli diversitatis perspiceretur.

Ad 3. Epistolae talia inesse, quae a Paulo scribi non potuissent, frustra asseritur; nam si Paulus ad Gal. 1, 12. suam doctrinae christianae cognitionem non hominum institutioni, sed Christi ipsius revelationi tribuit, auctor autem epistolae ad Hebr. 2, 3. sese iis adnumerat, in quibus doctrina salutifera confirmata esset ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων, ab immediatis Christi auditoribus: observandum est, confirmationem doctrinae christianae a testibus immediatis profectam non excludere institutionem immediate divinam; praeterea auctor v. 3. communicative loqui pergit, ut v. 1. coeperat. — 6, 4—8. non contineri doctrinam a christiana abhorrentem, docet collatio cum Mt. 12, 31. 32. I. Jo. 5, 16. II. Petr. 2, 21. al. — Quod denique attinet 9, 1—4., enumeratio eorum, quae in Judaeorum sacrario ad-

fuisse leguntur, non convenit quidem templo Hierosol. aetatis apostolicae; ast auctor describere non voluit templum ejusque vasa sacra serioris temporis, sed ostendit, quomodo sacrum tabernaculum ex legis praescripto fuerit compositum coll. Exod. 25, 5—36. 16, 32—34. Num. 17, 10. — Gravior difficultas enasci videtur e v. 4., ubi auctor Sanctissimo tribuit χρυσοῦν θυμιατήριον, altare vero suffitus in Sancto positum non commemorat. Attamen hoc ipsum altare suffitus per illam designatur expressionem, Sanctissimo autem tribuitur, non quia in hoc positum repraesentetur, sed quod odor suffitus matutini et vespertini in Sanctissimum penetrans precum jugium in coelum ascendentium symbolum erat.

Hisce adversariorum rationibus refutatis argumenta opponimus *positiva.*

## §. 193.

### Continuatio.

A) *Argumenta interna.* Quamvis epistolae forma ab illa reliquarum s. Pauli epistolarum diversa sit: dictionis tamen discrepantia non est tanta, ut alium necessario supponat auctorem, quam s. Paulum; permultae enim occurrunt formulae, phrases et imagines s. Paulo admodum familiares ac peculiares. Sic *a)* Hebr. 8, 5. dicitur de sacerdotibus: „*Umbrae rerum coelestium inserviunt*", et 10, 1. legitur: „*Umbram enim habens lex futurorum bonorum*". Hanc de indole atque pretio rerum et institutorum V. F. cogitandi rationem esse Paulinam, patet ex epist. ad Coloss. 2, 17., ubi Apostolus illa omnia umbram futurorum appellat. *b)* In ep. ad Hebr. typica adhibetur interpretatio, ut c. 7., ubi Melchisedech Christi typus sistitur, dein 9, 24.: „*Non enim in manufacta sancta introivit Christus, quae sunt exemplaria verorum* (ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν), *sed in ipsum coelum, ut appareat nunc coram facie Dei pro nobis*". Hocce interpretandi genus s. Paulo admodum familiare esse ac proprium, patet v. g. e I. Cor. 10, 1—5., ubi, quae Hebraeis antiquis in deserto contigerant, enarrans transitum eorum per mare baptismi typum proponit, et v. 6. addit: „*Haec autem in figura nostri facta sunt* (ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν), *ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt*". Idem repetitur v. 11. In ep. ad Rom. dicit Apostolus 5, 14.: „*Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri*" (ὅς ἐστι τύπος τοῦ μέλλοντος). *c)* Ad Hebr. 2, 2. lex designatur ὁ δι' ἀγγέλων λαληθεὶς λόγος, ut ad Gal. 3, 19. ὁ νόμος — — διαταγεὶς δι' ἀγγέλων; Hebr. 2, 10. de Deo dicitur: δι' ὃν τὰ πάντα καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, ut ad Rom. 11, 36.: ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα (cf. I. Cor. 8, 6.); Hebr. 2, 15. de hominibus non redemtis legitur: ὅσοι φόβῳ θανάτου διὰ πάντος τοῦ ζῆν ἔνοχοι ἦσαν δουλείας; ad Rom. 8, 15.: οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον (cfr. Hebr. 11, 19. cum Rom. 4, 17. Hebr. 10, 30. cum Rom. 12, 19.). *d)* Imagines et expressiones Paulo Apost. adamatae plures occurrunt, v. g. dum verbum Dei in epist. nostra 4,

12. ut ad Eph. 6, 17. gladius vocatur; doctrinae faciliores tironibus tradendae dicuntur lac, firmioribus exponendae solidus cibus ad Hebr. 5, 13. ut I. Cor. 3, 2.; debiliores vocantur *νήπιοι* Hebr. 5, 13. I. Cor. 3, 1., firmiores appellantur *τέλειοι* Hebr. 5, 14. et I. Cor. 14, 20. etc. etc.

B) Internis hisce criteriis accedunt etiam *argumenta externa*, nimirum testimonia antiquissima, et quidem

1. *in ecclesia Aegyptiaca:*

*Pantaenus* (circ. ann. 170. p. Ch.) teste Clemente Alex. non dubitavit, quin Paulum haberet auctorem, et rationem etiam reddere conabatur, cur in fronte epistolae nomen suum non adscripserit.[1]

*Clemens Alex.* saepe Pauli nomine locos ex hac epistola adfert et observat, eam ab Apostolo hebraice scriptam, a Luca vero in gratiam Graecorum in graecam esse translatam.[2]

*Origenes* frequenter Pauli nomine allegat effata epistolae ad Hebraeos, et etsi apud Eusebium dicit: *„Sententiae sunt Pauli, quis autem scripserit epistolam, Deus scit“:* tamen in eodem loco praecedit: *„Si quae ecclesia epistolam hanc Pauli habeat, approbetur in hoc; non enim temere veteres eam Paulinam tradiderunt.*[3] Vir ergo hic rei criticae peritus in explicanda styli diversitate conjecturis, in nominando vero auctore veterum traditione nititur.

Qui post Origenem in Aegypto et Alexandriae floruerunt, uno ore et quidem absque ulla haesitatione epistolam nostram Paulinam agnoverunt, ut *Dionysius Alex., Petrus episcopus, s. Athanasius, auctor synopsis s. scripturae* et alii.[4]

Eandem sententiam confirmant codices antiqui superstites et versiones; sic in cod. B epistola ad Hebraeos ab initio post illam ad Galatas posita erat; in versionibus vero superioris Aegypti plane post II. ad Corinthios legebatur, in cod. Sinaitico post II. Thess. occurrit.

2. Non alia de epistola hac *in ecclesia Orientali* vigebat sententia; nam *synodus Antiochena* (circ. ann. 264.) in litteris ad Paulum Samosatenum datis Pauli nomine 11, 16. allegavit;[5] *Methodius*, epi-

---

[1] Euseb. h. e. VI. 14. e Clementis Alex. hypoth. de Pantaeno dicitur: *Εἶτα ὑποβὰς ἐπιλέγει* (Clemens) *ἤδη δὲ ὡς ὁ μακάριος ἔλεγε πρεσβύτερος* (Pantaenus), *ἐπεὶ ὁ κύριος ἀπόστολος ὢν τοῦ παντοκράτορος ἀπεστάλη πρὸς Ἑβραίους, διὰ μετριότητα ὁ Παῦλος, ὡς ἂν εἰς τὰ ἔθνη ἀπεσταλμένος οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Ἑβραίων ἀπόστολον· διὰ δὲ τὴν πρὸς τὸν κύριον τιμὴν, διὰ δὲ τὸ ἐκ περιουσίας καὶ τοῖς Ἑβραίοις ἐπιστέλλειν ἐθνῶν κήρυκα ὄντα καὶ ἀπόστολον.*

[2] Clem. Al. ap. Eus. h. e. VI. 14. — *τὴν πρὸς Ἑβραίους δὲ ἐπιστολὴν Παύλου μὲν εἶναί φησι* (Clemens), *γέγραφθαι δὲ Ἑβραίοις ἑβραϊκῇ φωνῇ· Λοῦκας δὲ φιλοτιμῶς αὐτὴν μεθερμηνεύσαντα ἐκδοῦναι τοῖς Ἕλλησι· ὅθεν τὸν αὐτὸν χρῶντα εὑρίσκεσθαι κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ταύτης τε τῆς ἐπιστολῆς καὶ τῶν πράξεων.*

[3] Ap. Eus. h. e. VI. 25. *Ἐγὼ δὲ ἀποφαινόμενος εἴποιμ' ἂν, ὅτι τὰ μὲν νοήματα τοῦ ἀποστόλου ἐστὶν, ἡ δὲ φράσις καὶ ἡ σύνθεσις ὑπομνημονεύσαντός τινος τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ διδασκάλου. Εἴ τις οὖν ἐκκλησία ἔχει ταύτην τὴν ἐπιστολὴν ὡς Παύλου, αὕτη εὐδοκιμείτω καὶ ἐπὶ τούτῳ· οὐ γὰρ εἰκῇ οἱ ἀρχαῖοι ἄνδρες ὡς Παύλου αὐτὴν παραδεδώκασι. Τίς δὲ ἔγραψεν τὴν ἐπιστολὴν, τὸ μὲν ἀληθὲς θεὸς οἶδεν.*

[4] Dionys. ap. Euseb. h. e. VI. 41. Petrus Can. poenit. c. 9. Alexander apud Theodoret. h. e. I. 3. Athenas. epist. festiv. 39.

[5] Cfr. Euseb. h. e. VII. 29. 30.

scopus Olympi in Lycia, serius Tyri (c. a. 290.) in opere: Convivium decem virginum orat. 10. plures locos ex epistola nostra citavit, praecipue e 10, 1. 12, 1.; non tantum *Ephraemus Syrus*, sed etiam magister ejus, *Jacobus Nisibeus* ut Pauli Ap. opere eâdem utebatur;[1] imo ecclesiam Syrorum hanc epistolam statim ab initio habuisse in Canone suo, antiquissima versio Peschito testatur.

3. *In ecclesia graeca* eandem de epistola nostra viguisse persuasionem, ex *Eusebio Caesar.* discimus, qui in Canone suo 14 Pauli epistolas in classe *τῶν ὁμολογουμένων* ponit, et alia solum occasione adnotat, epistolam ad Hebraeos a Latinis addubitari, quod tamen improbat.[2]

Idem patet e *concilii Laodicensis* can. 60., e *Cyrilli Hieros.* catechesibus, e *Gregorii Naz., Epiphanii, Basilii, Gregorii Nyss., Chrysost.* scriptis.[3]

4. Non tanta vero sententiarum conformitas invenitur *in latina ecclesiae parte.* Etenim Clemens Rom. in epistola ad Corinthios (c. a. 96.) non tantum integrum fere caput primum epistolae ad Hebr., sed etiam locos alios huic epistolae peculiares ita adfert, ut auctor non nominetur quidem, attamen indubium sit, eum epistolam hanc opus apostolicum agnovisse.[4] — Si subsequum spectemus tempus, *Tertullianus* epistolam hanc Barnabae adscribit;[5] *Cajus* presbyter Rom. sub finem saec. II. nonnisi 13 Pauli epistolas agnovit;[6] *ignotus auctor* fragmenti cat. Rom. tredecim Pauli enumerat epistolas, demta illa ad Hebr.; *s. Irenaeus* in opere adv. haeres., cujus latina tantum versio maximam partem superest, epistolae hujus mentionem quidem non facit, in deperdito autem libro *διαλέξεων διαφόρων* teste Eusebio h. e. V. 26. occurrebat locus e nostra epistola petitus.

Ex omnibus hisce sequitur, epistolam hanc in ecclesia latina mature fuisse cognitam (Clem.), non vero ut Paulinam traditam et ideo non talem agnitam. Cum deinde pugnae essent exortae contra *Novatianos,* qui 6, 4—8. ad suas sententias probandas citabant; quum praeterea Pauli nomen deesset, styli diversitas et nonnullorum locorum argumentum difficultates pararet: non deerant, qui epistolam Paulo Ap. abjudicarent aut plane rejicerent. Attamen Graecorum et Orientalium traditio etiam in ecclesiam occidentalem inde a concilio Nicaeno I. vim suam exseruit, ita ut concilia *Hipponense, Carthaginiense III. et IV., Romanum* 60 episcoporum, *Gelasius I.* et *Innocentius I.* eam Paulinis scriptis annumerarent. Primi, qui dubia

[1] Jacob. Nisib. serm. II. c. 13. III. 3. XII. 7. 8.

[2] Eus. h. e. III. 3. *Τοῦ δὲ Παύλου πρόδηλοι καὶ σαφεῖς αἱ δεκατέσσαρες· ὅτι γε μέν τινες ἠθετήκασι τὴν πρὸς Ἑβραίους πρὸς τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας ὡς μὴ Παύλου οὖσαν αὐτὴν ἀντιλέγεσθαι φήσαντες, οὐ δίκαιον ἀγνοεῖν.*

[3] Cyrill. catech. IV. 36. Gregor. Naz. Carm. 33. v. 35. Epiphan. haeres. 76. Basil. adv. Eunom. I. 14. IV. 6. al. Gregor. Nyss. de beat. orat.

[4] Cfr. Eus. h. e. III. 38. Hieronym. de viris illust. c. 15.

[5] De pudicit. c. 20.

[6] Eus. h. e. VI. 20. *Τῶν τοῦ ἱεροῦ ἀποστόλου δεκατριῶν μόνων ἐπιστολῶν μνημονεύει, τὴν πρὸς Ἑβραίους μὴ συναριθμήσας ταῖς λοιπαῖς.*

antiqua resuscitarunt, erant *Cajetanus Card.* et *Erasmus Rotterodamus*, eisque promto animo assensum praebuerunt *Luther*, *Calvin* et *Beza;* concilium autem *Trident.* antiquorum persuasionem de epistolae nostrae origine Paulina et auctoritate canonica simpliciter repetiit.

## §. 194.

### Continuatio.

Paulinam epistolae ad Hebr. originem cum illius peculiaritatibus jam antiqui conciliare conati sunt. Inter Alexandrinos *Pantaenus* omissionem dedicationis consuetae ab initio ex relatione Pauli ad Hebraeos explicavit; *Clemens Alex.* causam styli diversi in eo reposuit, quod epistola ab origine hebraice scripta sit, a Luca vero in graecam translata; *Origenes* cogitata Pauli agnovit, epistolam vero elucubratam censuit ab alio, qui verba magistri commentatoris instar exposuisset; quis hic fuerit? solum Deum scire dicit, traditionem vero historicam nominare *Clementem*, Romanae ecclesiae episcopum, aut *Lucam*, qui evangelium et actus Apost. scripsit. Inter Latinos saltem *a Tertulliano epistolae scriptor Barnabas habitus est.*[1] — Si jam has sententias examinemus, Barnabam scripsisse epistolam, omni probabilitate caret; nam praeter Tertullianum a nemine antea aut postea nominatur, neque illum cum Apostolo in prima captivitate Romae fuisse legimus. *Lucas* apud Apostolum Romae quidem erat; attamen rationes gravissimae internae atque externae *Clementem Rom.* praeferendum esse monent. Nam a Clemente epistolam ad Hebr. in formam praesentem esse redactam, inde ab Origine fere omnes consentiunt, ut *Eusebius*, *Euthalius Al.*, *Theodoretus*, *Cosmas Indicopleust.*, *Joannes Damasc.*, inter Latinos: *Philastrius* et *s. Hieronymus.*[2] — Argumenta interna suppeditat collatio I. Clementis epistolae ad Corinth. cum nostra ad Hebraeos; nam quo gradu epistolae nostrae dictio discedit ab illa Pauli, eodem cum Clementina concordat; in utraque eadem inveuitur linguae puritas, eadem structurae elegantia, idem oratorius sermonis habitus, eadem conjunctio adhortationis cum tractatu dogmatico; imo in utraque epistola longiores earundem sententiarum occurrunt series, quin ulla citationis formula adhibeatur. Hinc Eusebius ob multos parallelismos in verbis et in rebus in utraque epistola obvios Clementem Rom. epistolae ad Hebr. metaphrastam agnovit, et s. Hieronymus, peritus hac in re judex, grandem in utraque epistola similitudinem professus est.[3]

---

[1] Cfr. §. praec.

[2] Eus. Hist. eccl. III. 38. Euthal. Galland. bibl. vet. Patrum X. 399. Theodoret. interpr. in ep. ad Hebr. argum. Cosmas de mundi opificio; Damasc. excerpta in Hebr. 13, 24. Hieron. de vir. ill. c. 5.

[3] Hieronym. de viris illust. c. 15.: „Quae (epistola·Clementis) mihi videtur characteri epistolae, quae Pauli nomine ad Hebraeos fertur, convenire. Sed et multis de eadem epistola non solum sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem abutitur. Omnino grandis in utraque similitudo est.“

Praeterea Clementem Pauli cooperatorem et cum eo in prima captivitate Romae fuisse, ex epist. ad Philipp. 4, 3. edocemur.

Quodsi omnibus his perpensis statuere fas est, Clementem in ep. ad Hebr. scripta quasdam habuisse partes, quaestio oritur, quid hoc respectu ejus cooperationi debeatur? Duplex hac in re inter antiquos vigebat sententia; juxta antiquiorem et vulgarem a Clemente Rom. epistola Pauli hebraice scripta elegantius et liberius in graecum esset versa; secundum alteram, quae Origenem habet auctorem, Clemens commentatoris instar cogitata magistri exposuisset. Praesentem epistolae formam haberi non posse simplicem e lingua hebraica in graecam translationem, inficias iri nequit, et quidem ob styli elegantiam et ob structuram periodicam, ob paronomasias plures graecae tantum linguae peculiares, ob locos V. F. juxta versionem Septuaginta citatos etiam ibi, ubi haec a textu hebraico discedit, ut 10 5—7. coll. c. Ps. 40, 7. 8. — Attamen utramque sententiam illam conciliare licet adoptando relationem s. Hieronymi, qui de viris ill. c. 5. ait: *„Scripserat ut Hebraeus Hebraeis hebraice, i. e. suo eloquio disertissime, ut ea, quae eloquenter scripta fuerant in Hebraeo, eloquentius verterentur in graecum“*, et simul adnotat: *„Quem* (Clementem) *ajunt ipsi adjunctum sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone“*. Utra autem harum sententiarum praeferatur, Paulus epistolae nostrae auctor principalis agnoscendus est. Si ob testium auctoritatem praeferatur prior, inde simul explicatur ecclesiae Romanae agendi ratio; nam quamdiu Clemens superstes erat et ecclesiae Romanae episcopus, in hac epistola nostra Judaeochristianis Palaestinensibus destinata non publice praelegebatur neque in canonem recipiebatur; cum dein serius post mortem Clementis Romae innotesceret, ob antiquiorum testium defectum non recipiebatur, et ob argumenta interna et propter Novatianos addubitabatur.[1]

## §. 195.

### Quibus lectoribus scripta sit haec epistola.

Epistola haec consueta caret dedicatione, in qua auctor et lectores nominentur. Attamen habet inscriptionem πρὸς Ἑβραίους, quam non tantum superstites exhibent codices graeci, sed etiam omnes versiones et multi scriptorum eccl. antiquiorum, ut *Pantaenus, Clemens Alex., Tertullianus*, ita ut statuere liceat, eam usque ad aetatem apostolicam pertingere, et ab ipso s. Paulo vel immediate vel mediate descendere.

In N. T. Ἑβραῖοι dicuntur 1. Judaei respectu patriae Palaestinensis et linguae aramaicae vernaculae, et ab eis distinguuntur Ἑλληνισταί i. e. Judaei exteri, graece loquentes (Act. 6, 1.); 2. Judaei generatim ratione habita nationis et religionis (II. Cor. 11, 22. Philip. 3, 5.), et eis opponuntur Ἕλληνες, ethnici. — In inscriptione epistolae nostrae non intelligendos esse Judaeos incredulos, sed Christianos e Judaeis conversos, epistolae argumentum docet; etiam s. Jacobus

[1] Cfr. Reithm. Einl. in den Brief an die Hebr.

Judaeochristianos, quibus epistolam suam dedicavit, ratione habita originis et religionis pristinae vocat duodecim tribus in dispersione. — Neque vero intelligi possunt Judaeochristiani ubicunque terrarum degentes; huic enim sententiae praeter alia obstat 13, 23., ubi Paulus se ad lectores Timotheum misisse dicit et cum hocce reverso se ipsum venturum promittit, quod illis tantum promitti poterat Judaeochristianis, qui certam regionem aut locum incolebant. De regione autem hac diversissimae vigent opiniones; alii nominant *Alexandriam*, alii *Leontopolim* in nomo Heliopolitano Aegypti, alii *Antiochiam* Syriae, alii *Galatiam* aut *Macedoniam* aut *Phrygiam* aut plane *Hispaniam.*[1] Quibus tamen omnibus neglectis *cum Clemente Alex., Eusebio, s. Hieronymo aliisque tenenda est sententia, epistolam nostram esse scriptam ad Judaeochristianos Palaestinenses, praecipue Hierosolymitanos.*[2] Hanc sententiam gravissimae rationes commendant imo postulant, et quidem sequentes:

1. Argumentum epistolae supponit lectores splendore cultus levitici circumfulsos, Judaismo addictos (8, 4. 9, 6. seqq. 10, 1. seqq.), qui unum Christi sacrificium non sufficiens considerantes sacrificia legalia ad expiationem et sanctificationem necessaria habent media (10, 1. seqq. 9, 9. 10.), et erga religionem Christi adeo sunt indifferentes, ut conventus Christianorum sacros frequentare negligant (10, 25.). Omnia haec Judaeochristianos produnt in Palaestina, praecipue Hierosolymis et in vicinia degentes coll. Act. 15, 5. 21, 20.

2. In epistola nostra nulla occurrunt monita ad mutuam concordiam inter Judaeo- et ethnicochristianos colendam, quod supponit ecclesias e solis Judaeochristianis constantes, quales nonnisi in Palaestina, praecipue Hierosolymis existebant.

3. Lectores hujus epistolae a longo jam tempore ad Christum erant conversi (5, 12.), et eorum ecclesiae gravissimas jam pertulerant calamitates: opprobria, conjectionem in carcerem, bonorum suorum rapinam (10, 32—34.), imo nonnulli praepositorum et doctorum jam morte gloriosâ constantiae praebuerant exemplum. Jam vero Judaeochristiani Palaestinenses ab ipsis Apostolis inde a Spiritus s. effusione erant conversi, et a Judaeis mature mala gravissima habebant toleranda (Act. 8, 1. 26, 10. 11.); inter doctores eorum Stephanus erat lapidatus, Jacobus Major gladio occisus, Jacobus Minor, Hierosolymis episcopus, in tumultu interfectus (Act. c. 7. c. 12. Jos. Ant. 20, 9, 1.). In ecclesiis exteris variae Christianorum vexationes non deerant quidem (I. Thess. 2, 14. 15. I. Petr. 5, 9.); ast tantas calamitates, quantae in hac epistola supponuntur, ante primam persecutionem Neronianam locum habuisse, nullibi legimus.

4. Sententia de epistola hac ab origine hebraice scriptâ pluribus antiquorum arridere non potuisset, nisi scivissent, eam Judaeochristianis Palaestinensibus fuisse destinatam; hi enim soli tantam

[1] Cfr. Bleek Commentar zum Briefe an die Hebraeer. Berlin 1828. I. Bd. S. 42—55.

[2] Cfr.: Die ersten Leser des Hebräerbriefes, von Dr. Jos. Langen, Privatdocent in Bonn in: Theologische Quartalschrift. Tübingen 1863. III. Quartalheft S. 380—442.

linguae hebraicae habebant cognitionem, eâque tantopere delectabantur, ut iis epistola hebraice exarata dedicari posset.

Attamen huic sententiae de primis epistolae lectoribus sequentia opponuntur:

*a)* Palaestinensibus Christus ipse praedicaverat; 2, 3. autem lectores ab Apostolis doctrinam Christi accepisse dicuntur, ergo alii, quam Palaestinenses fuerunt.

Resp. Doctrina Christi lectoribus non dicitur tradita ab Apostolis, sed confirmata ab iis, qui Christum audierant; porro ipsi Palaestinenses a Christo ad novam religionem praeparati, per Apostolos autem demum conversi erant, et denique spatio annorum circiter 30 nova accreverat generatio, quae Dominum non viderat, per Apostolos autem et alios Christi auditores ad fidem mota erat.

*b)* Christiani Palaestinenses erant pauperes, opus enim erat collectis in juvamen illorum instituendis; lectores autem hujus epistolae 6, 10. ob liberalitatem laudantur.

Resp. Verosimile non est, omnes Christianos Palaestinenses adeo fuisse pauperes, ut alios ecclesiarum sodales juvare non possent; dein ut quis liberalitatis laude ornari mereatur, non est necessarium, ut multa largiatur, sed sufficit, si de paucis pauca lubenti animo tribuat (Mr. 12, 42—44.).

*c)* Christiani Palaestinae atrocissimas experti erant persecutiones, Stephanus, Jacobus uterque martyrium plane subierant; atqui auctor in hac epist. 12, 4. scribit: „Nondum usque ad sanguinem restitistis“.

Resp. Auctor l. c. non negat Stephani, Jacobi Majoris et Minoris necem, imo hos ipsos imitanda fidei exempla proponit; potius in memoriam eis revocat mala, quae auctor fidei nostrae et consummator Jesus perpessus est, et cum eis comparat calamitates lectorum multo inferiores.

*d)* Si epistola haec revera est Paulina, Judaeochristianis Palaestinensibus et praecipue Hierosolymitanis scribi non potuit; nam auctor 13, 18. 19. dicit: *„Orate pro nobis, quo celerius restituar vobis“*, et v. 23. promittit, se ad illos esse venturum. Atqui Hierosolymitani, apud quos Apostolus in summo vitae periculo erat versatus, cum videndi desiderio vix adeo flagrabant, eisque Apostolus non ita scripsisset.

Resp. Non auctoribus Judaeochristianis Palaestinensibus, sed Judaeis asiaticis Paulus ante quinquennium tumultu excitato Hierosolymis in vincula erat conjectus (Act. 21, 27.). Praeterea quamvis non deessent inter Judaeochristianos Palaest. praecipue Hierosolymitanos, qui Paulo gentium doctori minus faverent: longe maxima tamen eorum pars non poterat non summo animari desiderio, denuo videndi virum, cujus amori ac sollicitudini eleemosynas in exteris ecclesiis collectas repetitis vicibus in acceptis referebant, ideoque pro ejus restitutione orare.

## §. 196.

### Occasio et scopus.

*Occasio hujus epistolae sita erat in lectorum justo majori Judaismi aestimatione et in statu illorum externo.* Judaeochristiani nimirum Palaestinenses, licet in conventibus peculiaribus cultui divino vacarent et sacra christiana peragerent, non omnem tamen nexum cum popularibus suis in rebus religionis solvebant, sed festa judaica celebrabant, templum frequentabant, ceremonias diversas observabant et aemulatores erant legis (Act. 21, 20.), et haec agendi ratio ipsius Christi et Apostolorum probari videbatur exemplo. Quod vero Christus legi subditus et Apostoli infirmitati humanae parcentes observarunt, Judaeochristiani Palaestinenses sensim ad salutem aeternam necessarium esse duxerunt, ideoque erga bona messiana indifferentes evaserunt, de eorum pretio dubitare coeperunt, et in periculo versabantur deficiendi a Christo et ad Judaismum revertendi (6, 4—6. 10, 26—28.). Periculum hoc augebatur tum Judaeorum incredulorum argumentis, a splendore cultus mosaici et ab humilitate religionis christianae petitis, tum calamitatibus, quibus Christiani in Palaestina ob suam religionis professionem erant pressi. Ecclesiae nimirum Palaestinenses non tantum prius persecutiones erant perpessae, sed etiam nunc malis gravissimis obnoxiae, imo graviora imminere videbantur (6, 12. 10, 36. 11, 35—38. 12, 1—11. 13, 7.); quemadmodum enim post Stephani necem, ita etiam post Jacobi Minoris mortem (ann. 62.) persecutio erat orta, et procul dubio fuisset aucta, nisi per *Albinum* procuratorem Anani pontificis furori audaciaeque obex esset posita.

Hae jam circumstantiae sufficiens praebuerunt incitamentum, ut Jacobo e vivis erepto Apostolorum quisquam absens attentionem suam converteret in ecclesias Palaestinae, duce et magisto orbatas, utque per epistolam amorem religionis Christi vivificaret, animos excitaret ad fidem firmam, ad spem certam, ad constantiam inconcussam.

*Hic erat scopus* epistolae hujus, quem ut auctor assequeretur, infinitam religionis christianae prae mosaica praestantiam solide probare et ostendere sibi proposuit, Judaismi instituta non continere, nisi umbram, symbola et typos eorum bonorum, quae in religione christiana revera praebentur. Cum doctrinis theoreticis V. F. subnixis auctor severa conjunxit monita, quae ad infirmos confortandos, ad pressos erigendos et ad salutarem timorem omnibus inspirandum maxime idonea erant. — Epistola haec 13, 22. dicitur *λόγος τῆς παρακλήσεως*, sermo adhortationis, quod cum argumento ejus theoretico et practico apprime concordat.

§. 197.

**Argumentum.**

*Argumentum epistolae* in duas partes dividi solet: in dogmaticam a c. 1—10, 18., et in practicam a 10, 19—12 fin. Cum tamen in parte quoque sic dicta dogmatica occurrant monita applicationis instar addita; cumque etiam ea, quae 10, 19—c. 12. incl. leguntur, ad eundem cum praecedentibus scopum tendant: potius statuendum est, epistolam a c. 1—12. sublimem et eruditum continere tractatum, quo summa religionis christianae praestantia demonstratur, et unde motiva repetuntur ad eam constanter profitendam. In capite demum 13. appendicis instar addito variae virtutes christianae lectoribus speciatim commendantur.

*In tractatu jam auctor summam religionis christianae eamque infinite majorem quam judaicae probat praestantiam, et quidem e summa dignitate ac majestate auctoris illius et ex ejusdem sacerdotio.* Jesum Christum, religionis christianae auctorem, excelsiorem esse dicit et probat cunctis mediatoribus revelationis veteris, et quidem Jesum Christum, Dei Filium, opponit prophetis in genere, per quos Deus multifariam multisque modis locutus est 1, 1—3.; dein transit ad angelos, coelestes legislationis Sinaiticae mediatores, et ostendit, a Deo in s. scriptura angelorum nemini, sed nonnisi Messiae nomen tribui Filii, quem, cum denuo in mundum venerit, omnes angeli adorare jubentur, et quem ss. literae Dominum, aeternum et coelestem omnium rerum creatorem delineant, dum angeli non sunt, nisi spiritus ministrantes 1, 4—14.

Additur adhortatio e praecedentibus sponte promanans, firmiter tenendi salutis doctrinam, primo ab ipso Christo annunciatam, et a Deo variis miraculis atque Spiritus sancti donis confirmatam 2, 1—4. Non angeli, sed Christus novae salutis oeconomiae etiam caput est. Quodsi brevi temporis spatio in vita sua terrestri et in passione angelis minor est factus, hoc necessarium erat, ut pro hominibus eorumque salute mortem subiret, et ut, humanae naturae ejusque tentationum ac calamitatum particeps factus, misericors fieret pontifex 2, 5—18.

Admonitione praemissâ, ad huncce legatum divinum et pontificem religionis nostrae omnem attentionem dirigendi, auctor transit ad majestatem Jesu Christi prae Moyse, terrestri legis latae mediatore. Licet uterque in munere suo peragendo esset fidelis: Jesus Christus tamen ad Moysen se habet, ut auctor, filius et dominus familiae ad hujus sodales et servos 3, 1—6. — Additur etiam hic adhortatio innixa Ps. 95, 6—11., invitationi ad salutem arripiendam promto animo morem gerendi, ne lectoribus idem eveniat, quod accidit proavis, qui ob incredulitatem a requie Dei exclusi sunt, quum verbum Dei omnia penetrans, judicans et puniens non careat efficaciâ 3, 7—4, 13.

Auctor paraenesi 4, 14—16. praemissâ transit ad Christi sacerdotium, jam 2, 27. 3, 1. paucis commemoratum. Ante omnia osten-

ditur, proprietates sacerdotis pro hominibus instituti in Christo inveniri, nimirum naturam humanam et mala exantlata, ut condolere possit errantibus, et vocationem divinam 5, 1—10. Ad hancce probandam etiam provocatur ad Ps. 109., ubi Messias vocatur sacerdos ad instar Melchisedechi, sicque transitus paratur ad exponendam praestantiam infinite majorem Jesu Christi, N. T. sacerdotis, prae sacerdotibus et pontificibus leviticis. Ob lectorum tarditatem et indolentiam auctor dicit, de hoc themate uberius sibi esse agendum, ideoque inserit embolium, quo reprehendit, monet, terret et spem meliorem manifestat, ut lectores excitet atque institutionis sublimioris capaces reddat, et demum ad objectum principale redit 5, 11—6, 20.

Auctor grandem aggreditur de sublimi Christi sacerdotio sermonem, et quia Christus juxta s. scripturam sacerdos est secundum ordinem Melchisedechi, hujus nomen, statum, generationem etc. typos Christi fuisse, et Christum ad instar Melchisedechi sacerdotem excelsiorem Abrahamo et Levi et omnibus sacerdotibus leviticis esse docet, quia Abraham, Levitarum pater, Melchisedecho ut majori decimas solvit, et ab eo benedictionem accepit 7, 1—10. —

Per Christum, sacerdotem secundum modum Melchisedechi, sacerdotium leviticum et lex mosaica illi annexa abrogata sunt; nam individua est sacerdotii levitici et legis mosaicae unio; ablato itaque illo et in melius translato etiam lex sublata est et meliori locum cessit; lex vero cum sacerdotio antiquo abrogata est, quia nihil ad perfectionem adducere potuit; nova lex et Christi sacerdotium introducta, quia ad salutem efficiendam potentissima sunt et ad Deum adducunt 7, 11—19.

Christus a Deo, secus atque alii, sacerdos constitutus est vi jurisjurandi et in aeternum habet sacerdotium, ideoque se mediatore accedentes ad Deum semper salvare potest; Christus illis gaudet qualitatibus, quae in sacerdote, hominibus necessario, requiruntur; ipse solus, quia ex omni parte perfectus, reconciliatione non indiget, sed uno sui sacrificio omnia totius mundi expiavit peccata 7, 20—28.

Quod vero praecipuum et omnium praerogativarum summa est: Christus ad dexteram Dei sedet et sacrorum minister est in coelo, vero tabernaculo a Deo fundato, dum tabernaculum mosaicum, in quo sacerdotes levitici deserviunt, non esset, nisi imago illius, umbra 8, 1—5. Ministerium Christi eo excellentius est, quo praestantioris testamenti et meliorum bonorum mediator invenitur. Hanc mutationem futuram Jeremias praedixit et abrogationem V. F. annuuciavit 8, 6—13.

Etiam V. F. Dei cultum quidem habuit et tabernaculum sacrum e Sancto et Sanctissimo constans, varia continens; in Sanctum sacrificiorum causa sacerdotes quotidie ingrediebantur, in Sanctissimum autem nonnisi pontifex semel per annum, et hoc ipso a Spiritu s. significatum erat, nondum apertam esse Sanctorum viam ad Deum, quamdiu Sanctum adhuc existeret, atque hac ratione infirmitas et insufficientia V. T. designatur, quod hostiis suis et ritibus non potuit sanctificare animas, et nonnisi usque ad melioris testamenti intro-

ductionem valebat 9, 1—10. — Christus vero non temporalium, sed aeternorum bonorum pontifex est; non per tabernaculum transiit hominum manibus factum, non cum animalium, sed cum suo ipsius sanguine et semel — aeterna redemtione paratâ. Si sanguis animalium legaliter sanctificare potuit; quanto magis sanguis Christi, sacrificii immaculati, animas nostras emundabit ad Dei servitium! 9, 10—14.

Ob hoc sanguinis sui sacrificium Christus N. T. mediator factus est ad delenda omnium peccata et ad haereditatem promissam omnibus parandam, quod nonnisi morte ejus effici potuit; nam testamentum validum non est, nisi morte intercedente testatoris; hinc etiam V. T. absque sanguinis effusione non est sancitum. Attamen inter V. et N. T. id intercedit discriminis, quod illud typicum typico animalium, hoc verum autem vero Jesu Christi sanguine confirmatum est; nam Christus non in manufactum Sanctissimum introivit, sed in coelum illo praefiguratum, ut semper fungeretur pro nobis sacerdotis munere coram Deo, non sui sacrificii iteratione, sed continuâ hostiae semel oblatae repraesentatione; non in sanguine alieno, sed proprio, rursus vero apparebit non ut hostia, sed exspectantibus se in salutem 9, 14—28.

Auctor legalium sacrificiorum ad peccatorum remissionem impotentiam, et unius sacrificii Christi necessitatem ac sufficientiam probat, idque s. scripturae effatis confirmat 10, 1—19. — Hebraeos ad constantiam in fide hortatur, eos ab apostasiae crimine deterret tum ob terribilem hujus sceleris enormitatem, tum ob horrendum Dei judicium, et denique terrorem lenit commemoratione pristinae illorum fortitudinis et mercedis magnae in adventu Christi brevi exspectandae 10, 20—39.

Fidei definitionem longa sequitur series eorum, qui antiquis temporibus fide eminuerunt, quin tamen mercedem promissam, nisi spe sint consecuti c. 11.

A tot fidei ac spei exemplis in V. F. auctor transit ad ipsum Christum, auctorem ac consummatorem fidei nostrae, qui sponte passiones suscepit et nunc ad dexteram Dei sedet; variarum tentationum utilitatem ostendit et fructum dulcem, et inde concludens monet, ut lectores excussâ socordiâ alacriter et per viam rectam currant, pacifici sint et sancti, ne quis desit gratiae Dei, ne quis scortator sit aut profanus ut Esau, imo ut tanto sanctiores sint et puriores, quanto ad perfectius et melius testamentum pertineant. Urget ad obediendum Christo tum ex punitione eorum, qui legi mosaicae non obedierunt, tum e severitate judicii futuri c. 12.

*In appendice c. 13.* auctor hortatur, ut lectores in charitate fraterna perseverent, hospitalitatem exerceant, benignitati erga miseros studeant, avaritiam fugiant, praepositis obediant, se a Judaeis eximant, mala patienter ferant. Additis paucis de se et de Timotheo notitiis Apostolus apprecatione et salutatione epistolam finit.

## §. 198.

### Quando et ubi epistola sit scripta?

Epistola haec ante annum 66. scripta est; cum enim hoc anno in Palaestina exordirentur tumultus judaici, quos reipublicae sequebatur eversio: auctor tum temporis aut serius scribens vix omisisset Christianos monere, ne tumultuantibus sese adjungerent, sed potius fugam caperent.[1] Neque tamen libellus hic mature exaratus est; nam lectores coll. 5, 12., 10, 32. seqq. 13, 7. per longum jam tempus Christum professi erant, et coll. 2, 3. generatio, cui Dominus ipse praedicavit, maximam partem emortua; denique si epistola haec scripta esset Jacobo Minore adhuc superstite, hujus Apostoli insignis mentio vix deesset; ast 13, 17. lectores in genere tantum ad obedientiam praepositis praestandam monentur. Inde concludere licet, *epistolam exaratam esse post necem Jacobi ann. 62.*[2] Tempus et locus accuratius determinatur 13, 23., ubi Apostolus cum Timotheo, si celerius redierit, ad lectores se venturum esse promittit, et 13, 24.: ἀσπάζονται ὑμᾶς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, qui locus uterque supponit, Apostolum jam fuisse liberum, attamen in Italia adhuc versatum, cum epistolam hanc mitteret. *Quare epistolam hanc ad finem captivitatis primae Romae scriptam esse, et tempore verno anni 63. ex Italia missam, statuere licet.*

## E) Epistola s. Pauli in secunda captivitate Romana scripta: II. ad Timotheum.

## §. 199.

### Epistolae occasio et argumentum.

Paulus Romae captivus mortem sibi instare praesentiebat; hinc ipsi nihil magis curae cordique erat, quam suos et praecipue dilectissimum *Timotheum* confirmare in fide et excitare ad munus suum rite obeundum. Simul vero et maximo tenebatur desiderio, discipulum charissimum ante mortem suam videndi. *Haec Apostoli adjuncta ac desideria hujus epistolae scribendae praebuerunt occasionem.* Hinc Cap. 1. praemissâ salutatione dicit, se Timothei sui continuo memorem persuasumque esse de ejus religionis studio; dein monet, ut in hoc studio pergat munerique sibi demandato accurate satisfaciat et constantem se exhibeat.

Cap. 2. iterum hortatur, ut neglectis omnibus ea unice, quae muneris ejus sunt, agat, haereticos, praesertim illos devitet, qui mortuorum resurrectionem negant, item desideria juvenilia omnesque lites fugiat.

Cap. 3. describit mores haereticorum futurorum perversos, et

---

[1] Cfr. Eus. h. e. III. 5. Epiph. haeres. XXIX. 7.
[2] Jos. Fl. Ant. 20, 9, 1.

Timotheo constantiam in tenenda doctrina a se traditâ et lectionem ss. literarum commendat, ut munere sibi demandato rite fungi possit.

Cap. 4. eidem injungit, ut doctrinam Christi praedicet, et quia mortem sibi brevi instare praesentiebat, eum monet, ut cito Romam veniat. Additis dein paucis notitiis de comitibus et adjutoribus suis epistolam finit.

## §. 200.

### Quando scripta sit haec epistola?

*Secundam ad Timotheum epistolam in altera captivitate Pauli Romanâ scriptam esse, sequentia probant argumenta:*

1. Si actus Apost. 28, 16—31. cum epistolis ad Ephesios, ad Coloss., ad Philemonem et ad Philippenses conferimus, invenimus, priorem Apostoli captivitatem Romae neque admodum ignominiosam, neque calamitatibus et periculis valde obnoxiam, Apostolum potius liberationis spe gaudentem nullâ ex parte impeditum fuisse, quominus libere praedicaret evangelium. — Ast longe alius erat s. Pauli status, alia animi conditio et spes tempore, quo secundam ad Timotheum exaravit epistolam. Nam Apostolus *a*) timet, ne et ipsum Timotheum vinculorum ejus pudeat, et commoto gratoque animo commemorat, Onesiphorum ipsius non puduisse, sed cum Romam venisset, ipsum sollicite quaesivisse et refrigerasse (II. Tim. 1, 8. 16—18.); *b*) asserit, se ob evangelium pati quasi maleficum (2, 9.); *c*) affirmat, se jam in maximo vitae periculo esse versatum, ab omnibus, quorum fuisset ipsum juvare, derelictum, a Deo autem liberatum (4, 17.); de appropinquante martyrio suo persuasus Timotheo ultimam voluntatem suam manifestat, erectus solatio, nullam calamitatem in verum ejus malum cedere posse, et spe firmissima fretus, fore, ut praemium incorruptibile ipsum maneat (4, 5—8. 18. 1, 12.). — Quae omnia priori captivitati non conveniunt.

2. Apostolus tempore, quo nulla liberationis spes ipsi affulsit, 4, 9. scripsit: *„Demas me reliquit, diligens hoc saeculum;"* sub finem autem primae captivitatis Rom. idem Demas apud Apostolum erat, quum se ad Philemonem brevi venturum promitteret (Philem. v. 22. 24.). Si haec epistola ad Tim. in prima captivitate Romana esset scripta, statui deberet, quod probabile non est, Demam ab initio captivitatis Apostolum deseruisse, serius autem ad eum esse reversum.

3. In epistola nostra non fit mentio *Aristarchi*, qui tamen coll. Act. 27, 2. una cum Paulo et Luca Caesareae navim conscenderat, et circa finem captivitatis primae apud Apostolum erat Romae (coll. Philem. v. 24.).

4. Verba 4, 20.: *„Erastus remansit Corinthi"* vix aliud denotare possunt, nisi: Erastus me huc proficiscentem comitatus est Corinthum usque, ibi autem remansit; unde patet, epistolam hanc non in prima captivitate Rom. esse scriptam, quia Apostolus hac occasione non per Corinthum Romam profectus est, sed juxta Cyprum, Cretam et Melitam navi vectus.

5. Quae 4, 20. leguntur: „*Trophimum autem reliqui infirmum Mileti,*“ Apostolus non in prima captivitate Rom. scribere potuit; nam Trophimus cum s. Paulo in tertio itinere Corintho per Miletum Hierosolymam proficiscens (Act. 20, 4.) non Mileti relictus erat, sed Hierosolymam usque pervenit, ibique occasionem praebuit, ut Apostolus in vincula conjiceretur (Act. 21, 19.). Lectioni *ἐν Μιλήτῳ* substituere *ἐν Μελίτῃ* mere arbitrarium est, et dictis Act. 27, 2. contrarium; neque *ἀπέλιπον* vertere licet per: reliquerunt, quod exprimendum fuisset per: *Τρόφιμος ἀπελείφθη ἐν Μιλ. ἀσθενῶν.*

6. *Apostolus 4, 13. desiderat, ut Timotheus relictam Troade paenulam, libros et membranas adferat.* Quae etiam potius alteri, quam priori Romae captivitati conveniunt; nam probabile non est, Apostolum res hasce in tertio itinere Corintho Hierosolymam facto Troade relictas post tres demum annos elapsos expetiisse in prima captivitate Romana.

Quae omnia et plura alia pro sententia militant, epistolam nostram in secunda captivitate Pauli Romana esse scriptam. Idem tenuerunt *Eusebius, s. Hieronymus, Theodoretus et auctores subscriptionis* in pluribus codicibus: *Πρὸς Τιμόθεον δευτέρα τῆς Ἐφεσίων ἐκκλησίας πρῶτον ἐπίσκοπον χειροτονηθέντα ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης, ὅτε ἐκ δευτέρου παρέστη Παῦλος τῷ καίσαρι Νέρωνι.*

## B) Epistolae catholicae.

### §. 201.

**Denominationis hujus ratio.**

Apostolorum epistolae septem, quae praeter Paulinas in N. T. collectae inveniuntur, communi nomine vocantur *epistolae catholicae,* suntque: una Jacobi, duae Petri, tres Joannis, una Judae.

*De ratione denominationis hujus,* quae jam apud Origenem, Dionysium Alex., Eusebium etc. occurrit, diversae sunt sententiae. *Hugius* statuit, epistolas has septem ideo catholicas esse dictas, ut hac compellatione designaretur collectio seu classis sacrorum librorum peculiaris, epistolas omnium, qui praeter Paulum scripserunt, Apostolorum complectens. Ad hanc sententiam probandam provocatur ad *Clementem Alex.,* qui simili modo epistolam Apostolorum, de qua Act. 15, 23. est sermo, *ἐπιστολὴν καθολικὴν τῶν ἀποστόλων ἁπάντων* nominat. Sed quamvis tota epistolarum harum collectio *καθολικὸν σύνταγμα* vocari potuisset: non intelligitur, quomodo singulae ab antiquis catholicae vocari potuerint, nisi alia denominationis hujus ratio adfuisse censeatur. Nam etsi tota collectio contineat epistolas, ab omnibus, qui praeter Paulum scripserunt, Apostolis exaratas: singulae tamen earum nonnisi unum habent auctorem. — Alii formulam: *ἐπιστολαὶ καθολικαί* ita explicant, ut denotet epistolas ab omnibus ecclesiis receptas, utque proinde idem sit, ac *κανονικαί* vel *ὁμολογούμεναι* apud Eusebium. Sed ipse Eusebius, qui epistolas has catholicas vocat, eas excepta I. Petri et I. Joannis inter *ἀντιλεγόμενα*

refert; non potuit itaque ei vox καθολική idem significare, quod ὁμολογουμένη. Praeterea cur non alia etiam N. T. scripta catholica dicta essent, non perspicitur, si antiqui vocem καθολική illo significatu de epistolis nostris adhibuissent. — Praeferenda itaque est sententia, ἐπιστολὴν καθολικὴν antiquis idem significasse, ac encyclicam i. e. talem, quae non ad unam solum, sed ad plures ecclesias, vel ad omnes certi generis homines data sit. Vox καθολικός, sive etymologiam spectes, sive usum loquendi, omnino universalitatis notionem continet. Hoc significatu ab antiquis etiam illae epistolae dici poterant catholicae, quarum auctoritas canonica nondum ubique erat agnita.

Obj. 1. Si hoc significatu epistolae illae vocatae essent catholicae, etiam epistolae ad Galatas, ad Ephesios et ad Hebraeos in hanc classem referri debuissent.

Resp. Nominatae epistolae ad peculiarem epistolarum Paulinarum classem jam pertinebant; hinc non erat, quod, etsi encyclicae sunt, e sua classe eximerentur et in alia collocarentur.

Obj. 2. Epistola II. et III. Joannis ad personas singulas data est, et tamen in hac epistolarum catholicarum collectione utraque invenitur; hinc epistolae catholicae non idem esse potest, ac epistolae encyclicae.

Resp. Reliquae quinque epistolae, quae ad hanc classem pertinent, revera sunt encyclicae et hoc significatu catholicae; cum vero II. et III. Joannis epistolae neque alii librorum classi inseri, neque ob brevitatem suam novae classi idoneae viderentur: in ea collocatae sunt, in qua jam prima ejusdem Apostoli epistola aderat, ita ut septem epistolae a potiori parte spectatae catholicae dicantur.

## 1) Epistola Jacobi.

### §. 202.

**Epistolae hujus auctor.**

*Auctor hujus epistolae 1, 1. ipse se vocat Jacobum, Jesu Christi servum,* quo epitheto Apostoli, non tamen soli, semet designare solebant. Jam vero in N. T. nomine Jacobi duo Apostoli insigniuntur: *Jacobus Major,* Zebedaei et Salomae filius, frater Joannis, et *Jacobus Minor,* Alphaei et Mariae filius, frater Judae Thaddaei seu Lebbaei. Nonnulli insuper Jacobum, ad Gal. 1, 19. fratrem Domini dictum distinguunt; sed hic non est diversus a Jacobo, Alphaei filio; nam

1. Mt. 13, 55. Mr. 6, 3. fratres Domini vocantur *Jacobus, Joses, Simon* et *Judas;* Jacobus et Judas etiam in Apostolorum catalogis occurrunt, ita ut eos fratres fuisse innuatur Luc. 6, 16., et inde jam colligere licet, fratres illos Domini: Jacobum et Judam atque Apostolos fratres ejusdem nominis eosdem fuisse viros.

2. E Matthaei 27, 56. Mr. 15, 40. coll. c. Jo. 19, 25. patet, quo significatu Jacobus et Judas Apostoli fratres Domini sint dicti; nam *Maria,* quae a Matthaeo et Marco ll. cc. dicitur *mater Jacobi et Josis* (Mr. 16, 1.), Jo. 19, 25. nominatur *soror Mariae, matris Jesu;* erant

itaque illi Jesu *consobrini vel cognati*, ideoque latiori significatu Jesu fratres.

3. Pater Jacobi et Judae Apostolorum coll. Luc. 6, 15. 16. Act. 1, 13. erat *Alphaeus*, pater fratrum Domini, i. e. Jacobi, Josis, Simonis et Judae, Jo. 19, 25. dicitur *Klopas;* atqui utrumque nomen non est, nisi diversa pronunciatio hebraici nominis חָלְפַי vel חַלְפַּי.

4. *Jacobum, a Paulo coll. Gal. 1, 19. Hierosolymis praeter Petrum visum et fratrem Domini cognominatum, esse Jacobum Minorem, Apostolum, Alphaei et Mariae filium, et proinde Jesu cognatum,* sequentia probant:

*a*) Iter a Paulo commemoratum idem est, cujus mentio fit Act. 9, 26—30., ut adjunctorum aequalitas ostendit; jam vero Act. l. c. Barnabas Saulum ad Apostolos duxisse narratur, ergo duo saltem Apostoli tum temporis Hierosolymis praesentes esse debebant; quodsi vero Paulus praeter Petrum neminem Apostolorum se vidisse affirmat, nisi Jacobum, fratrem Domini: hic Apostolus fuerit necesse est, et quidem Jacobus Alphaei, proindeque utrumque praedicatum: Apostoli et fratris Domini, eidem Jacobo tribuitur, et plane arbitrarium est, formulam *εἰ μή* non exceptivam, sed exclusivam habere hoc sensu: Alium vero Apostolorum praeter Petrum non vidi, vidi autem Jacobum fratrem Domini.

*b*) Paulus suum in finem praeter Petrum nonnisi Jacobum, fratrem Domini commemorans clare indicat, huncce ab omnibus Christianis magnae, et quidem majoris auctoritatis habitum esse virum, quam Barnabam, quem licet insignis esset doctor christianus (Act. 11, 22—24. I. Cor. 9, 6. Gal. 2, 13.), Apostolus nominare non necessarium duxit. Atqui tanta auctoritas non e sola cognatione cum Domino, sed nonnisi e dignitate apostolica enascebatur.

*c*) Hac occasione Hierosolymis a Paulo visum esse praeter Petrum etiam Jacobum, Alphaei filium, mirum esse nequit; potius si contrarium evenisset, mirandum foret, si verum est, quod antiqui testantur, Jacobum Minorem ab Apostolis statim post Christi in coelum ascensionem Hierosolymorum episcopum esse constitutum, et ecclesiam hanc usque ad mortem suam rexisse, id quod Act. 12, 17. 15, 13. 21, 18. Gal. 2, 9. 12. confirmatur. Denique

*d*) si viros nomine Jacobi insignitos inde a Christi in coelum ascensione prosequamur, sacros auctores ita de iis loquentes deprehendimus, ut praeter Jacobum Zebedaei et Jacobum Alphaei filium, nullum hujus nominis doctorem christianum insignem existere supponant, proinde Jacobum Alphaei et Jacobum fratrem Domini eundem virum fuisse testentur; nam quamdiu uterque Jacobus inter vivos erat, unus ab altero accurate distinguitur; quam primum autem Jacobus Major anno 42. aerae vulg. erat occisus, Jacobus superstes absque ulla nominatur distinctione. Sic *α*) Lucas in act. App. 1, 13. et 12, 2. utrumque Jacobum accurate discernit; ast statim post mortem Jacobi, Zebedaei filii, alterum Jacobum nullo epitheto adposito simpliciter nominat. Etenim narrat 12, 17., Petrum e carcere liberatum Christianis in domo Mariae, matris Marci, congregatis mandasse, ut, quae sibi evenissent, nunciarent Jacobo et ceteris fratribus; 15, 13.

in concilio Hierosolymitano, postquam tacuerunt Petrus, Barnabas et Paulus (v. 6—12.), Jacobum loqui coepisse; 21, 18. Paulum, cum Hierosolymam venisset, comites suos praesentasse Jacobo, apud quem omnes presbyteri congregati erant. β) Paulus in epistola ad Galatas de primo suo adventu Hierosolymis anno 38. aer. vulg., ergo de tempore loquens, quo Jacobus Major nondum erat occisus, 1, 19. dicit: „Alium vero Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum, fratrem Domini;“ ast de tertio suo itinere Hierosolymam suscepto ad Apostolorum concilium agens 2, 9. dicit: Jacobum, Kepham et Joannem sibi et Barnabae dexteras dedisse, quin Jacobum discernat, occiso videlicet altero (cfr. v. 12. I. Cor. 15, 6.). γ) Auctor epistolae inter catholicas primae, omnibus Judaeo-christianis, qui in dispersione vivebant, destinatae, 1, 1. semet simpliciter Jacobum, et Judas in epistola sua v. 1. sese nominat fratrem Jacobi, qui itaque omnibus notus erat, ita ut cum nullo alio confundi posset.

*Praeter Jacobum Majorem itaque et Minorem non erat tertius ejusdem nominis doctor christianus aetate Apostolorum insignis.* Ex hisce duobus unus auctor epistolae nostrae est habendus, et quidem Jacobus Minor, Alphaei filius, quem ecclesiae Hierosolymitanae caput et nomine Justi celebrem fuisse, *Hegesippus* tradit.[1] Scripta est enim haec epistola ad omnes Judaeochristianos extra Palaestinam degentes; religio itaque Christi, quum haec epistola scriberetur, jam extra Palaestinam longe lateque propagata esse debuit; atqui hoc factum non est ante Jacobi Majoris, filii Zebedaei necem anno 42., sed per Paulum Ap. potissimum effectum est ab anno 42—58. Hinc *Jacobus Minor epistolae nostrae auctor habendus est,* quem ecclesiam Hierosolymitanam per 30 annos rexisse refert *s. Hieronymus,* et cujus necem *Josephus Flav.* narrat.[2]

---

[1] Apud Eus. h. e. II. 23. *Ὃς διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο δίκαιος.*

[2] Jos. Fl. Ant. 20, 8, 1.: „Caesar autem (Nero) auditâ Festi morte Albinum in Judaeam misit procuratorem. Interea Ananus junior, quem pontificatum accepisse jam diximus, ferox erat ingenio et insigniter audax; sectam etiam Sadducaeorum sequebatur, qui prae ceteris Judaeis in judicio acerbi et immites erant, quemadmodum antea dijudicavimus. Talis igitur cum esset Ananus, opportunum tempus sibi adesse ratus, eo quod Festus vitâ excessisset, Albinus vero adhuc in itinere esset, concilium Judaeorum coëgit, inductoque in judicium fratre illius Jesu, qui vocabatur Christus (Jacobus ei nomen), et cum eo quibusdam aliis, in eos ut legis violatae reos instituit statimque lapidandos tradidit. Sed quicunque inter cives modestissimi legisque observandae studiosissimi habebantur, graviter hoc tulerunt, atque clam legatos ad regem mittunt hortantes, ut Ananum per literas monere vellet, ne quid deinceps simile moliretur, neque enim primum illud recte atque ex jure ab illo factum fuisse. Cum etiam nonnulli eorum Albino, ab urbe Alexandria iter facienti, occurrerent, eum monuerunt, non licuisse Anano absque illius consensu concilium Judaeorum convocare. Horum oratione persuasus Albinus literas plenas furoris et iracundiae Anano misit minatus, se de illo poenas sumturum. Proinde rex Agrippa ademto ei pontificatu, quem per tres menses gesserat, Jesum, Damnaei filium, pontificem constituit.“

## §. 203.

### Authentia et canonica auctoritas hujus epist.

De authentia et auctoritate canonica hujus epistolae primis saeculis plures dubitarunt; quare etiam *Eusebius eam inter ἀντιλεγόμενα collocavit, simul vero adnotavit* hist. ecc. II. 23., *eam in plerisque ecclesiis publice legi.*

Quodsi jam diversarum ecclesiae partium rationem habemus:

1. Inter Patres et scriptores *ecclesiae latinae Clemens Rom.* in sua ad Cor. epistola prodit, se Jacobi epistolam legisse: nam de fide et operibus disserens doctrinam Jacobi proponit, et sententiis argumentisque, nec non expressionibus utitur in nostra epistola obviis.[1] — *S. Irenaeus* adv. haer. 4, 16. adfert effatum, quod nonnisi Jac. 2, 23. legitur: *„Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei factus est.“ S. Hieronymus et s. Augustinus* genuinitatem et canonicam auctoritem hujus epistolae agnoverunt. Prior (de vir. illust. c. 2.) haec dicit: *„Jacobus — — unam tantum scripsit epistolam, quae de septem catholicis est, quae et ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem“* (cfr. ep. II. ad Paulin.). Etiam *concilium Carthag. III.* Jacobi epistolam plena cum fide opus authenticum et canonicum recepit.

2. E Patribus et scriptoribus *graecis Clemens Alex.* saec. II. epistolam Jacobi cum reliquis cath. interpretatus est, ut Eusebius testatur. *Origenes* primus epistolae hujus claram et apertam facit mentionem, et in comment. in Joannem nominatim eam citat. Per expressionem adhibitam: *φερομένη Ἰακώβου* non manifestat dubia; nam teste Eusebio h. e. II. 15. etiam dicit: *Μάρκον, οὗ τὸ εὐαγγέλιον φέρεται,* et III. 25. *τὴν φερομένην Ἰωάννου προτέραν.* — *Dionysius Alex.* provocat ad Jac. 1, 13. et 4, 1. — *S. Athanasius* epistolam nostram inter canonica et apostolica scripta numerat (Eus. h. e. III. 25.). *Gregorius Naz., Epiphanius, Chrysostomus* eam mox inter libros N. T. numerant, mox addito vel omisso auctoris nomine citant.

3. Maxima attentione hac in re dignum est ecclesiae *Syriacae* testimonium; doctores enim ejus de authentia et canonica auctoritate

[1] Clem. Rom. c. 38. loqueus de genuina sapientia, quae opere manifestatur, eadem fere adhibet verba, quae leguntur Jac. 3, 13.: *Ὁ σόφος ἐνδεικνύσθω τὴν σοφίαν αὐτοῦ μὴ ἐν λόγοις, ἀλλ᾽ ἐν ἔργοις ἀγαθοῖς.* Cap. 30. incipit verbis Jac. 4, 6.: *Ὁ γὰρ θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται,* et paucis interpositis transit ad *καταλαλίαν,* ut Jac. 4, 11., et ad finem proponit doctrinam Jac. de justificatione: *ἔργοις δικαιούμενος καὶ μὴ λόγοις.* Exemplum Abrahami et Rahab non tractat, ut Paulus ad Hebraeos, qua epistola frequenter utitur, sed sequitur Jacobum. Sic c. 10. dicit: *Ἀβραὰμ ὁ φίλος προςαγορευθεὶς,* uti Abraham in sola nostra ep. 2, 23. dicitur. Paucis interjectis prosequitur: *ἐπίστευσε Ἀβραὰμ τῷ θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην,* dein vero ostensurus, Abrahamum opus cum fide conjunxisse, provocat ad ejus sacrificium, ut Jac. 2, 21. Eodem modo dicit, Rahab opera cum fide conjungendo, dum exploratores Josuae suscepit, salutem esse consecutam: *Διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν ἐσώθη Ῥαὰβ ἡ πόρνη — — εἰςδεξαμένη αὐτοὺς ἔκρυψεν εἰς τὸ ὑπερῷον — — καὶ ἐξήγαγε αὐτούς.*

libelli in vicina Palaestina scripti optime judicare pŏterant. Jam autem versio ecclesiastica *Peschito* epistolam hanc semper opus apostolicum habuit, et in eadem cum I. Petri et I. Joannis classe posuit. *Ephraemus Syrus* eâdem in operibus suis frequenter utitur, et eam simul Jacobi, fratris Domini epistolam nominat.

Quodsi autem, praecipue *inter Latinos*, non deerant, qui originem apostolicam hujus epistolae non agnoscerent (catalog. ap. Murator.): id procul dubio factum est ob traditionis indubiae defectum, cui mox accesserunt rationes criticae; pluribus enim s. Jacobus de fide et operibus in hac epistola disserens talia docere videbatur, quae cum s. Pauli doctrina de fide conciliari non possent, quod dubiis de epistolae authentia et canonica auctoritate occasionem praebuit tamdiu, quamdiu certissima traditio vim suam nondum exseruit.

## §. 204.

### Quibus lectoribus, qua occasione et quo consilio scripta sit epistola.

1. Epistola haec coll. 1, 1. dedicata erat ταῖς δώδεκα φύλαις ἐν τῇ διασπορᾷ. Intelligendos esse Christianos, integrum epistolae docet argumentum, utpote quod in lectoribus ubique locorum fidei christianae supponit cognitionem et professionem (cfr. 1, 18. 22. 25. 2, 1. 5. 7. 12. 5, 14. etc.); designari Judaechristianos, e formula patet: ταῖς δώδεκα φύλαις, quae solennis est gentis judaicae denominatio (Mt. 19, 28. Act. 26, 7. Apoc. 21, 12.); indicari Judaeochristianos in terris gentilium extra Palaestinam degentes, clare innuunt voces ἐν τῇ διασπορᾷ. *Epistola itaque Jacobi scripta est ad Judaeochristianos in gentilium terris viventes*, et quidem non solum ad illos, qui ob persecutionem in Judaea ortam coll. Act. 8, 1. in exteras fugerant provincias; sed etiam ad eos, qui per Apostolos, praecipue per Paulum extra Palaestinam erant conversi, et in quos Jacobo, Apostolo circumcisionis (Gal. 2, 9.), et ecclesiae Hierosolymitanae capiti, docendi et monendi jus competebat.

2. *Occasio hujus epistolae sita erat in peculiari cogitandi et vivendi ratione Judaeochristianorum*, de qua Jacobus ob arctiorem nexum inter provincias exteras et Hierosolymam non poterat non accuratiora accipere nuncia. Attamen nuncia illa non erant laeta; nam quemadmodum Judaei ob originem suam ab Abrahamo populi electi se habebant sodales, Deo charos et bonorum paternorum haeredes: ita etiam Judaeochristiani, male expositâ Pauli doctrinâ, ob solam religionis christianae cognitionem et fidem se novi regni cives habebant, internam autem renovationem, vitam novam praeceptis Christi conformem non necessariam putabant ideoque parum curabant. Praeterea jam s. Paulus saepe conqueritur de eorum rixandi et in rebus religionis disputandi libidine, de immoderato quaestus studio, de superbia et zelo, quo doctorum muuus sibi arrogarent, confiteutes *„se nosse Deum, factis autem negantes,“ „habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes“* (Tit. 1, 10. 16. I. Tim. 1, 4—6. 6, 3—10. II. Tim. 3, 5.). Hinc etiam Judaeochristiani,

quos s. Jacobus respiciebat, variis vitiis indulgebant, ut vilipensioni pauperum, comessationibus, injustitiae, invidiae, calumniae, litibus. Accessernnt calamitates ex parte Judaeorum incredulorum, quae eo periculosiores erant, quo minus animus eorum vere erat renovatus. — *Consilium itaque s. Jacobi erat Judaeochristianos hortari ad constantiam in cujuscunque generis tentationibus, fidei vivae necessitatem ad salutem ostendere, vitiis diversis occurrere et ad serium pietatis studium excitare.*

Dum Jacobus fidei mere theoreticae justificandi vim abnegat et bona opera seu vitam vere religiosam postulat, doctrinae Pauli de fide et operibus rationem quidem habet, illi vero nequaquam repugnat. Illud patet ex iisdem exemplis ab Abrahamo et Rahab petitis (coll. Jac. 2, 21—25. cum Rom. 4, 2—5. Gal. 3, 6. Hebr. 11, 17—19. 31.); hoc inde probatur, quod uterque Apostolus per fidem et opera non idem intelligit. *Paulus* nimirum per fidem designat *novae vitae principium*, quod verâ fide susceptum totum hominem penetrat, ejus non tantum cogitandi, sed etiam sentiendi et agendi rationem transformat, i. e. *fidem, quae per charitatem operatur* (Gal. 5, 6.), et huic soli vim tribuit justificandi ac salvandi; operibus autem legis seu lege praescriptis vim justificandi vel justificationem conferendi denegat (Rom. 3, 20. 28.). *Jacobus* vero per fidem indicat *solam religionis christianae cognitionem seu merum intellectus assensum doctrinae christianae praestitum, et per opera vitam praeceptis Christi conformem*, et fidem illam sine operibus mortuam esse affirmat (2, 24.). Quod itaque Jacobus per fidem et opera exprimit, idem Paulus per fidem designat.

## §. 205.

### Quando et ubi scripta sit epistola ejusque argumentum.

1. *Epistola inter annum 58. et 62. scripta est;* nam erroneam Judaeochristianorum de fide sententiam post ultimam demum Pauli missionem in exteris regionibus invaluisse, ratione habitâ ejus epistolarum supponere licet, et Jacobus anno 62. occisus est. Utrum auctori doctrina Pauli de fide et operibus ejusque exempla (Abrah. Rah.) ex epistolis ad Galatas et ad Rom., an ex relationibus discipulorum ejus cognita fuerint, determinari nequit; hoc autem certum est, Paulum doctrinam suam Petro, Jacobo et Joanni in concilio Hierosolym. anno 52. jam exposuisse et eorum assensum tulisse (Gal. 2, 9.).

2. Si, ut constat, Jacobus Minor epistolae est auctor, haec scribi non potuit, nisi *Hierosolymis*, ubi Apostolus erat episcopus et usque ad mortem suam commoratus.

3. *Argumentum:* Praemissâ dedicatione Apostolus commendat patientiam in diversis tentationibus, cum probationem et constantiam efficiant et sic ad perfectionem ducant. Ut lectores ad hunc vitae scopum perveniant, opus est sapientiâ, quam Deus confidenter petentibus largitur, non autem dubitantibus 1, 1—8. Pauper de exaltatione suâ gaudeat, dives autem de possessione sua instabili et brevi

durante ne glorietur 1, 9—11. Qui probatus fuerit in tentationibus, eum corona vitae manet; tentationes vero ad malum auctorem non habent Deum, sed concupiscentiam, quae ipsi assentientes ad peccatum ducit et ad mortem; a Deo non descendit, nisi bonum, utpote qui per verbum suum nos regeneravit 1, 12—18. Quare quivis promtus sit ad audiendum, tardus vero ad loquendum, omnem malitiam abjiciat et tranquille excipiat Dei verbum, quod parat salutem. Ast vera pietas non in sola rerum divinarum scientiâ consistit, sed in morum vitaeque sanctitate, in misericordia cum diversi generis miseris 1, 19—27.

Apostolus reprehendit partium studium erga divites et contemtum pauperum, quibus Deus in regno suo tribuit praerogativas, dum divites Christianos opprimunt. Qui partium studio deditus est, legem charitatis violat; qui autem legem in una parte violat, contra integram peccat 2, 1—13. Fides sine operibus insufficiens est, ut ipsius s. scripturae exempla docent; nonnisi fides viva salutem parat 2, 14—26.

Vituperat temerarium et periculosum docendi studium observans, ad perfectionem linguam necessario esse refrenandam, cum secus sit omnium malorum et perversitatum radix; sapientia vere christiana et divina pace, mansuetudine, castitate et modestia manifestatur 3, 1—18.

Litium et controversiarum fontem designat cupiditates infrenatas, quibus indulgentes nihil proficiant, quia desit oratio, et si haud deest, non exauditur, quia petita non ad fines honestos desiderantur, sed ut cupiditatibus satisfaciant. Hinc Apostolus monet, ut corde sincero et verâ cum poenitentiâ Deo sese submittant 4, 1—10. Vituperat alios judicandi pronitatem, qua jura unius legislatoris et judicis sibi arrogent, nec non temerariam de negotiis futuris loquendi rationem, quae fastum prodat, Deo displiceat et peccaminosa sit 4, 11—17.

Divitibus superbis, injustis et luxuriantibus exitium annunciat, pauperes vero oppressos auxilii instantis spe et proavorum exemplis erigit; jurisjurandi abusum vetat; pro diversis vitae circumstantiis orationem aut cantum commendat; sacram aegrotorum unctionem urget; mutuam peccatorum confessionem et intercessionem postulat, et denique felicem praedicat eum, qui errantem in viam salutis reduxerit c. 5.

## Epistolae Petri Apostoli.

### §. 206.

#### De s. Petri persona.

*Petrus natus erat Bethsaidae,* oppido Galilaeae ad occidentem lacus Gennesareth sito (Jo. 1, 44.), *patre Jonâ.* Famâ Joannis B. allectus in Judaeam venit cum Andrea fratre, per quem ad Jesum adductus, cum prius Simon vocaretur, novo nomine *Κηφᾶς* (Petrus) appellatus est (Jo. 1, 43.). Postea Jesum in Galilaeam et Hieroso-

lymam comitatus, ad piscaturam exercendam rediit Capharnaumi, ubi cum fratre Andrea habitavit; serius autem coll. Mt. 4, 18. seqq. ad mare Tiberiadis a Jesu vocatus, et postea in Apostolorum electione primus designatus intimâ Jesu fruebatur familiaritate et principem tenuit locum. Erat ei singularis in Jesum amor et pietas, conjuncta cum illa animi vivacitate, quae quovis eventu graviore vehementius commovetur. Ex hac animi indole explicanda sunt varia illa phaenomena, quae in vita Petri, antequam Spiritus s. lumine collustratus esset ejusque donis confortatus, sese manifestarunt. Sic Petrus miraculosâ piscium capturâ ipsi concessâ ad pedes Jesu provolutus dixit: *„Exi a me, quia homo peccator sum, Domine!“* (Luc. 5, 1—8.); porro omnium primus saepe sententiam suam protulit (Jo. 6, 68. Mt. 15, 15. 16, 16. 19, 27. al.); statim ac Jesum in mari ambulantem cognovit, ad eum supra undas veniendi votum manifestavit, periculo autem vix observato de vita conservanda dubitavit (Mt. 14, 28. seqq.); praeterea summa Christi humilitate in stuporem conjectus ab eo sibi pedes lavari recusavit, ast auditâ magistri sententiâ sibi non tantum pedes, sed etiam manus et caput ablui desideravit (Jo. 13, 6—9.); licet certissimam persuasionem suam de Christi dignitate divina repetitis vicibus esset professus (Jo. 6, 68. Mt. 16, 16.); licet serius iteratum fecisset promissum, fore, ut cum magistro potius moreretur, quam ut eum desereret aut abnegaret (Mt. 26, 33. Luc. 22, 33. Jo. 13, 37.), imo Jesum defendendi studio ductus Malcho, pontificis servo, aurem gladio abscinderet (Jo. 18, 10.): brevi tamen posthac tempore, cum periculum sibi imminere crederet, addito etiam jurejurando, se Jesum nosse ter negavit (Jo. 18, 16—27. et ll. parall.), ast solo magistri aspectu tactus, foras egressus amare flevit (Luc. 22, 62.).

Christo in coelum assumto *Matthiam* in locum Judae proditoris eligendum curavit, et post effusionem Spiritus s. primus Christum, praecipue ejus resurrectionem multo cum fructu praedicavit. Sanato ad portam templi speciosam claudo mendicante una cum Joanne in vincula conjectus causam suam coram synedrio intrepide egit et dimissus est (Act. 4.). *Ananiae* postmodum et *Saphirae* fraudes severe puniit et multa miracula patravit (Act. 5.). Post necem Stephani una cum Joanne *ad Samaritanos* conversos missus dona Spiritus s. eis communicavit et *Simonem Magum* severe reprehendit (Act. 8, 6—25.). Hierosolymam reversus inde serius Lyddam venit, ubi Aeneam paralyticum sanavit; dein Joppen abiit ibique Tabitham mortuam suscitavit. Post haec visione coelesti commonefactus *Caesaream ad Cornelium centurionem ethnicum* se contulit, eumque cum tota familia baptismo ecclesiae Christi associavit, et Judaeochristianos, qui eum Hierosolymam reversum hanc ob rem reprehenderunt, ad mitiora erga ethnicos sensa exhortatus est (Act. 9, 32—11, 18.). Cum dein *Herodes Agrippa Jacobum Maj.* occidi jussisset, eandem sortem etiam Petro destinavit in vincula conjecto, qui vero per angelum liberatus Hierosolymis discessit (ibid. c. 12.), et procul dubio prima vice Romam venit. Hierosolymam reversus in Apostolorum concilio jugum legis mosaicae ethnico-christianis non esse obtrudendum declaravit; cum vero ipse Antiochiae hac in re pacis servandae

causa justo cautius agere videretur: Paulus eum palam corrigere non haesitavit (Act. 15. Gal. 2, 11. seqq.). Serius haud dubie altero itinere Romam facto in Orientem reversus *Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam* (proconsularem) *et Bithyniam* peragravit, et tertio Romam petiit, ubi per aliquod tempus commoratus tota antiquitate testante una cum Paulo martyrii palmâ coronatus est.[1]

## 2) S. Petri I. epistola.

### §. 207.

**Ad quos, ubi et quando scripta sit.**

1. *Epistola haec coll. 1, 1. scripta est ad Christianos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia degentes.* Provinciae illae, excepta Asia i. e. Jouia, Lydia et Caria, sitae erant in septentrionali Asiae minoris parte ad Pontum Euxinum. In Galatia et Asia Paulus evangelium praedicaverat; quis autem in reliquis proviuciis Christum anuunciaverit, non coustat; cum vero 5, 12. *Silvanus fidelis lectoribus frater* dicatur et *Marcus* eis notus supponatur: hosce praeter Petrum de regionibus illis bene esse meritos, colligere licet. Epistolam potissimum dedicatam fuisse *ethnicochristianis,* argumentum ostendit; nam lectores 1, 18. redemti dicuntur de vana conversatione paternae traditionis; 2, 10. aliquando non populus, uunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem consecuti, et 4, 3. monentur, sufficere flagitia, quae praeterito tempore a gentilibus in idololatria essent commissa. Inter lectores auteu non defuisse etiam *Judaeochristianos,* ex usu frequentiori V. F. locorum patet, ut 1, 10. 11. 2, 6. 7. 22. 24. 3, 5. 6. 10—12. al. Hinc vox *διασπορά* 1, 1. non ut Jacob. 1, 1. denotat Judaeochristianos in gentilium regionibus viventes, sed translata est ad omnes Christianos, qui *παρεπίδημοι* vocantur, quia ut cives regni coelestis ad omnes reliquos his in terris peregrinorum instar se habent.

2. Auctor 5, 13. dicit: *ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή.* Per ultimam vocem (cum Vulg.) intelligendam esse ecclesiam, docet 1, 1., ubi lectores *ἐκλεκτοὶ παρεπίδημοι* vocantur. Quaeritur autem, quae *Babylon* intelligatur; uam antiqui triplicem distinxerunt: Babylonem antiqnam ad Euphratem, Babylonem novam seu Seleuciam ad Tigridem, et denique stationem militarem ejusdem nominis seu castellum in Aegypto. Altera et tertia intelligi haud potest; etenim illa nullibi simpliciter Babylon vocatur, sed aut Seleucia Babylonica, aut Seleucia ad Babylonem; neque haec adoptari potest, quia nemo antiquorum de Petri praesentiâ in Aegypto mentionem facit. Babylou ad Euphratem tempore Apostolorum diruta quidem erat, nihilominus tamen multa Judaeorum millia ibi habitabant, ita ut Petrus ibi praedicare potuisset.[2] Attamen *traditio anti-*

---

[1] Cfr. §. 139. 140.

[2] Cfr. Strabo geograph. lib. XVI. Plinius hist. nat. VI. 26. Jos. Fl. Ant. XV. 3, 1.: *οὐ γὰρ ὀλίγαι μυριάδες τοῦδε τοῦ λαοῦ περὶ τὴν Βαβυλωνίαν ἀπῳκίσθησαν.* Cfr. 18, 10, 1.

*quissima Romam nominat locum epistolae nostrae scriptae,*[1] et proinde Babylon nomen symbolicum habet. Haec sententia praeferenda est, cum s. Petrum Romae fuisse constet, et etiam Apoc. 14, 8. 16, 19. 18, 2. al. Roma, ecclesiae christianae persecutrix, mystico nomine magna Babylon appelletur.

3. *Tempus*, quo epistola sit scripta, cognoscitur ex argumento; nam Apostolus continuum habet respectum ad gravissimas Christianorum calamitates, quae quidem in Asia minore nondum praesentes, attamen probabiliter imminentes repraesentantur (1, 6. 3, 14. 17.), quibus vero in aliis locis Christiani premantur (5, 9.). Calamitatum harum auctores erant ethnici (2, 12. 4, 4.), et eorum executores magistratus, quia Christiani ob religionis suae professionem ut malefici tractabantur, homicidis, furibus etc. aequiparabantur et horum suppliciis afficiebantur (3, 16. 4, 14—16. 19.). — Christiani mature quidem non tantum Judaeis, sed etiam ethnicis odio erant; attamen in provinciis Romanis sectae judaicae instar considerati diutius magis contemtui et privatorum vexationibus obnoxii erant, quam publicis persecutionibus (Act. 18, 12. seqq. 19, 23. seqq.).

*Tiberius Caesar* relatione Pilati motus Christum inter deos referre voluisse legitur;[2] *Claudius* Judaeos (et Judaeochristianos) impulsore Chresto (Christo) continuo tumultuantes solum Româ expulit.[3] Ast Christiani in dies numero aucti, omnem idololatriae speciem abominantes, gentilium scelera fugientes, mysteria sua in occulto celebrantes et vitam sanctam agentes magis magisque suspicionem incurrerunt atheismi, criminum clandestinorum, et testibus Tacito et Suetonio[4] vulgus eos ut genus hominum superstitionis novae et maleficae respiciebat, ut per flagitia invisos et in odio generis humani convictos. Commune vulgi in Christianos odium ansam praebuit Neroni, jussi incendii Romae infamiam a se amoliendi et in Christi asseclas devolvendi, sicque contra hosce horrendam persecutionem movendi. Exitiabilis Christianorum persecutio ad Urbem erat restricta; quum vero a mense Julio anni 64—68. extenderetur, tyranni saevitia provinciarum praesidibus, quin essent jussi, occasionem praebuit tormentis variis afficiendi homines, qui profiterentur religionem legibus Romanis vetitam, qui essent deorum contemtores, omnium rerum abominandarum auctores. Inter antiquos solus *Paul. Orosius* hist. VII. 7. dicit de Nerone: *„Auxit hanc molem*

[1] Eus. h. e. II. 15. — — *ἣν (ἐπιστολὴν) συντάξαι φασὶν* (Papias et Clem. Alex.) *ἐπ' αὐτῆς Ῥωμῆς σημαίνειν τε τοῦτ' αὐτὸν τὴν πόλιν τροπικώτερον Βαβυλῶνα προςειπόντα διὰ τούτων ἀσπάζεται λ* Hieronym. de vir. ill. c. 1.

[2] Tertull. in apologet. c. 5.

[3] Sueton. in vita Claudii c. 25. Act. 18, 2.

[4] Tacit. Annal. XV. 44.: „Sed non ope humanâ, non largitionibus principis aut deûm placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus est; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat non solum per Judaeam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur, dein indicio eorum

*facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romae Christianos suppliciis et mortibus adfecit ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit.“ Scripta est itaque prima Petri epistola grassante Romae Christianorum persecutione,* non tamen statim ab initio, sed cum timendum esset, ne illa in provincias extenderetur, ergo inter ann. 65. et 67.

## §. 208.

### Occasio epistolae, scopus et argumentum.

*Occasio sita erat in ipsa illa Christianorum persecutione, quae Romae sub Nerone exarserat, et in periculo, ne etiam in Asiae minoris provincias extenderetur;* s. Petrus itaque lectores ad calamitates praeparare voluit probabiliter imminentes. Hunc in finem Apostolus in lectoribus excitare conatur spem vivam in Domini adventum et in glorificationem fidelium cum eo conjunctam, ad constantem fidei professionem et patientiam, ad crescentem animae sanctificationem, ad irreprehensibilem cum gentibus conversationem, ad debitam magistratibus obedientiam, ut refutent falsa adversariorum convicia.

2. *Argumentum:* Praemissâ dedicatione et salutatione Apostolus celebrat Dei gratiam, qua regenerati sumus ad vitam novam cum spe aeternae beatitatis, quae reposita est fideliter pugnantibus, de qua summo desiderio scrutati sunt prophetae, in quam angeli desideraut prospicere 1, 1—12. Hinc lectores in illius beatitatis exspectatione Deo Patri suo, qui eos vocavit, digne serviant, memores magni pretii, quo ex vita peccaminosa redemti et novâ donati sunt; amori Dei et fraternae charitati studeant, omnem malitiam deponant, modo natorum infantium instar lac purum desiderent oblatum a Christo, a quo templo suo spirituali ut lapides inserti sunt et in populum sanctum et electum acquisiti 1, 13—2, 10.

Generali monito praemisso, ut Christiani tanquam peregrini in his terris et aceolae a carnalibus desideriis abstinentes conversationem inter gentes in laudem Dei habeant bonam, Apostolus addit praecepta, quae pro diversa vitae conditione sunt observanda, et in specie agit de officiis subditorum, servorum eonjugumque 2, 11—3, 12. — Haec si observent, nemo eis vere nocebit; etiamsi recte agentibus patiendum esset, in salutem hoc eis contingit. Christiani honorificent Christum, parati semper ad rationem reddendam fidei suae, et conscientiâ bonâ adversariorum convicia confundant. Ad patiendi promtitudinem excitat exemplum Christi, qui innocens mortuus est

multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt; et pereuntibus addita ludibria, ut ferorum tergis contecti laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et Circense ludicrum edebat habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde, quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos, miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publicâ, sed in saevitiam unius absumerentur.“ Sueton. Nero c. 16.: „Afflicti suppliciis Christiani, genus hominum superstitionis novae et maleficae.“

pro nobis peccatoribus, et post mortem descendit in infernum et praedicavit animabus eorum, qui, ut pauci illi in arca Noë salvati sunt, sicut et nunc baptismus nos salvat, bonam conscientiam quaerentes, per Jesu Christi resurrectionem, qui morte destructâ, ut nos vitae haeredes efficeret, in coelo sedet omnibus potestatibus sibi subjectis 3, 13—22.

E passionibus Christi Christianorum promanat officium, peccaminosae gentilium vitae, non obstantibus eorum calumniis, in perpetuum renunciandi, et cum omnium finis appropinquet, prudenter agendi, in oratione vigilandi, charitati studendi et acceptam gratiam in omnium salutem administrandi 4, 1—11. Apostolus denuo monet, ne lectores irruentibus calamitatibus obstupescant et in fervore suo tepescant, sed potius passionum Christi participes facti gaudeant, quia, si non ob male facta, sed ob Christiani nomen patiantur, hoc modo Deum glorificant, cujus judicium severum a propria domo exorditur, et terribiliter in incredulos et injustos irruet 4, 12—19.

Denique s. Petrus sermonem dirigit ad ecclesiarum praepositos et ad fideles eis subditos; illos monet, ut munere suo promte, absque lucri studio fungantur et animo humili; hosce hortatur ad obedientiam praestandam, et omnibus commendat humilem subjectionem sub directrice Dei manu et vigilantiam ad pugnam contra salutis nostrae adversarium. Apostolus fidem lectorum veram esse declarando et salutationibus adjunctis epistolam finit c. 5.

Memoratu dignum est, multos in hac epistola occurrere locos, qui non in rebus tantum, sed in ipsis etiam verbis magnam similitudinem referant cum effatis epistolarum Pauli, ita ut pateat, has Petro fuisse cognitas.[1]

## 3) S. Petri II. epistola.

### §. 209.

**Authentia et canonica ejus auctoritas.**

Prima s. Petri epistola inter scripta *ὁμολογούμενα* semper et ubique erat relata. Non idem asserere licet de hac secunda, quae *a nemine Patrum apostolicorum citatur, neque a Justino, Irenaeo et Tertulliano commemoratur; in versione Peschito deerat; utrum in canone Muratorii agnoscatur, dubium est; Origenes ejus mentionem quidem facit, simul vero eam addubitari adnotat;*[2] *quare Eusebius eam in classe τῶν ἀντιλεγομένων collocat. Accedit diversitas styli inter hanc et I. Petri epistolam et dictum 3, 2., ubi auctor non obstante conatu in pluribus locis dignitatem apostolicam sibi vindicandi, ab Apostolis semet distinguit.* Sic authentiae adversarii.

[1] Cfr. v. g. I. Petr. 3, 18. 4, 1. cum Rom. 6, 3—14.; I. Petr. 2, 13. cum Rom. 12, 6. 7.; I. Petr. 3, 22. cum Eph. 1, 19. etc. — Cfr. etiam I. Petr. 5, 5. 6. cum Jac, 4, 6. 7. 10.

[2] Comment. in Joann. apud Eus. h. e. VI. 25. *Πέτρος μίαν ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην καταλέλοιπεν· ἔστω δὲ καὶ δευτέραν, ἀμφιβάλλεται γάρ.*

Attamen epistola haec genuina et canonica est; nam teste Eusebio *Clemens Alex.* eam cum reliquis catholicis interpretatus est; *Origenes* eam addito Petri nomine saepius citat;[1] *Firmilianus*, episcopus Cappadociae, Originis discipulus et amicus, eandem absque ulla haesitatione agnovit; *Hippolytus*, Irenaei discipulus et *Methodius* ipsam recipiunt,[2] et concilium *Laodicense* can. 60., ut concilia *Carthaginensia* scripturis canonicis adnumerant; teste fragmento ap. Muratorium, quomodocunque verba obscura[3] intelligantur, *in ecclesia Romana* epistola haec aut agnita erat aut saltem cognita; *ipse Eusebius* eam multis utilem visam cum aliis scripturis diligenter lectam esse edicit.[4] Ejus receptae testes praeterea sunt: *Athanasius, Cyrillus Hieros., Gregor. Naz., Ephraemus Syr., Basilius, Epiphan., Philastrius, Hieronym., Ruffinus, Augustinus.*

Testimoniorum antiquiorum defectus inde explicatur, quod epistola sub finem vitae Petri scripta, et probabiliter post hujus demum mortem in Asiam minorem delata ob argumentum speciale non adeo celeriter est progagata. Cum dein serius in aliis etiam regionibus innotesceret, ecclesiarum antistites eam Canoni suo inserere haesitarunt, utpote ab antiquioribus non commemoratam. Accessit difficultas critica, quae teste *s. Hieronymo* e styli diversitate enascebatur.[5] Attamen haec inde explicatur, quod Petrus aut primam epistolam aut secundam aut utramque non ipse scripsit, sed per aliquem comitum scribendam curavit, v. g. per Silvanum, qui primam ad lectores etiam detulit.[6] Denique 3, 2. auctor semet non distinguit ab Apostolis, sed his potius sese adnumerat; nam in sententia: *μνησθῆναι — — τῆς τῶν ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς τοῦ κυρ. λ.* genitivus *τῶν ἀποστόλων* appositio quidem ad pronomen *ἡμῶν* esse posset; ast cum praestantissimis testibus (etiam cod. Sinait.) non *ἡμῶν*, sed *ὑμῶν* legendum est.

Argumentorum externorum pondus rationibus internis augetur; nam auctor statim in inscriptione sese dicit *Simonem Petrum*, servum et Apostolum Jesu Christi; 1, 14. semet sistit eum, cui Christus mortis genus in specie significasset, quod coll. Jo. 21, 19. nonnisi Petro contigit; 1, 16—18. sese repraesentat unum e testibus transfigurationis Jesu in monte, quales non erant, nisi Petrus, Jacobus et Joannes; 3, 1. hanc epistolam dicit secundam a se scriptam, ita ut primam Petri sibi vindicet, et 3, 16. Paulum charissimum fratrem appellat. Auctor itaque hujus epistolae ita se gerens aut Petrus

---

[1] Homil. VI. in Josuam, homil. IV. in Levit., comment. in ep. ad Rom. IV.

[2] Firmil. in opp. Cypriani ep. 75.; Hippolyt. in op. *περὶ Ἀντιχρίστου* c. 2.; Method. apud Epiphan. haeres. LXIV. 31.

[3] ... et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nostris in eccl. legi nolunt.

[4] Hist. ecc. III. 3. — — *τὴν δὲ φερομένην αὐτοῦ* (Petri) *δευτέραν οὐκ ἐνδιάθηκον μὲν εἶναι παρειλήφαμεν· ὅμως δὲ πολλοῖς χρήσιμος φανεῖσα μετὰ τῶν ἄλλων ἐσπουδάσθη γραφῶν.*

[5] De vir. ill. c. 1.: Petrus scripsit duas epistolas ... quarum secunda a plerisque ejus esse negatur propter styli cum priore dissonantiam.

[6] Hieronym. ep. ad Hedib. 9. 11.: Duae epistolae, quae feruntur Petri, stylo inter se et charactere discrepant structuráque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus.

erat Apostolus, aut impostor impudentissimus; impostor autem haberi nequit, quia talis epistolam Petri nomine ornatam ad sententias haereticas commendandas exarasset; atqui placitis haereticis hae literae non tantum non favent, sed potius omni conatu sese eis opponunt; ergo *auctor Petrus Apostolus est habendus.*

## §. 210.

### Ad quos, quando et ubi, qua occasione et quo consilio epistola sit scripta.

1. S. Petrus 3, 1. hanc epistolam dicit alteram a se ad lectores scriptam, sicque declarat, eam *iisdem lectoribus esse destinatam, quibus prior erat dedicata,* nimirum Christianis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae.

2. Auctor 1, 14. dicit: *„certus, me brevi depositurum esse tabernaculum meum;“* quare epistola haec *brevi ante martyrium Petri Romae anno 67. scripta est.*

3. Persecutionis calamitates, ad quas Petrus Apost. lectores in prima epistola praeparavit, ab ecclesiis Ponti, Galatiae etc. Deo volente hucusque erant aversae; ast aliud non minus grave minabatur periculum, ortum e pestiferis doctrinis, quas pseudodoctores, falsis prophetis V. F. similes, in aliis regionibus, ut epistola Judae testatur, jam disseminabant, et quarum propagatio in nominatas Asiae minoris provincias eo magis erat timenda, cum earum initia jam in epistolis Pauli ad Timotheum commemorata inveniantur. Pseudodoctores illi erant homines omnibus flagitiis contaminati, desideriis suis carnalibus servientes, ex avaritia sermonibus dulcibus libertatem altiorem promittentes et celebrantes, et eos, qui luxuriae ethnicae vix erepti erant, in similem morum pravitatem reducere studentes (2, 1—3. 10. 12. seqq. 3, 3. cfr. Judae 4. 8. 11. seqq.). Praeterea sectas introducebant, et eum, qui emit eos, Dominum factis negabant; ob retardatum Domini adventum hunc et cum eo conjunctum judicium irridebant (3, 4. 9. seqq.); Dei potentiam contemnebant, angelos coelestes blasphemabant; epistolas Pauli sicut et ceteras scripturas depravabant ad suam ipsorum perditionem (2, 10. 3, 5. 10. 15. 16.), et per eorum sectatores via veritatis blasphemabatur (2, 2.). Merito itaque Apostoli ejusmodi seductores comparare solebant cum Bileam (2, 15. Jud. 11.), qui Israëlitas olim ad fornicationem et idololatriam seduxit, et s. Joannes eosdem nomine graeco Nicolaitas designavit (Apoc. 2, 6. 14. 15.).

4. *Consilium itaque s. Petri erat lectoribus in memoriam* revocare sanctissimum officium cum religione christiana susceptum, vitae sanctitati omnibus viribus operam navandi, sicque doctoribus illis pessimis aditum occludendi.

§. 211.

**Argumentum.**

*S. Petrus primo agit de Christianorum officio vitae sanctitatem studiosissime colendi; dein vitam et doctrinam pseudodoctorum exponit damnatque; denique argumenta refutat vana, quibus impostores illi incautos seducere conabantur.* Apostolus

Cap. 1. provocando ad ea, quae Deus pro salute nostra effecit et ad praeclaras promissiones, quas dedit, lectores excitat ad omnium virtutum exercitium, ad continuum electionem suam bonis operibus certiorem reddendi studium, ut introitu in gloriosum Christi regnum digni evadant; hunc eorum finem sublimem se eis continuo et eo promtius in memoriam revocare dicit, quum de morte sua brevi instante certus sit. Doctrinam traditam de glorioso Christi adventu non doctis fabulis nitentem Christi majtestae in monte visâ et prophetarum oraculis confirmat.

Cap. 2. annunciat, pseudodoctores esse prodituros, doctrinis suis et principiis multos ad interitum seducturos, sed brevi gravissime puniendos; poenarum divinarum tria nominat exempla: angelos lapsos in tartara detrusos, diluvium omnes impios perdens et Sodomam Gomorrhamque deletam; exemplo Noës et Loth ostendit, quomodo Deus justos sanctosque semper tueatur. Hisce accuratiorem adnectit pseudodoctorum descriptionem.

Cap. 3. horum seductorum objectiones contra Christi adventum refutat, et hujus procrastinationem inde explicandam esse dicit, quod Deus humano temporis calculo non sit obnoxius et ideo moram faciat, ut hac longanimitate sua omnibus poenitendi occasionem suppeditet. Parusiam Christi certissime, et quidem subito cum mundi interitu eventuram esse affirmat, monita e dictis corollariorum instar promanantia adjungit, et brevi Jesu Christi doxologia epistolam finit.

## 4) Epistola s. Judae.

§. 212.

**Auctoris persona et vita.**

*Auctor epistolae nostrae v. 1. semet nominat Judam, fratrem Jacobi,* qui alius esse nequit, nisi Jacobus Minor, etiam frater Domini dictus. Judas hic in Apostolorum catalogis Mt. 10, 4. Mr. 3, 18. cognomine *Lebbaei* seu *Thaddaei* insignitur, et Luc. 6, 16. Act. 1, 13. designatione: *Ἰούδας Ἰακώβου* a Juda Iscariothe distinguitur. Auctor semet non quidem dicit Apostolum, sed solum *Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλον,* imo v. 17. 18. sese ab Apostolis distinguere videtur; attamen dignitatis apostolicae designatio deest etiam in Pauli epistolis ad Thessalonicenses, ad Philipp., ad Philem., in ep. Jacobi, et auctor l. c. non ab Apostolis in genere, sed ab illis solum se distinguit, qui

inter lectores non erant versati. Nihil itaque hac ex parte obstat, quominus Judam Thaddaeum epistolae nostrae habeamus auctorem.

Judas Jacobi, si Apostolornm catalogos excipias, in N. T. libris nonnisi semel adhuc, Jo. 14, 22. commemoratur, et etiam historia ejus serior incerta est. Si recentioribus eccl. scriptoribus fides esset habenda, Judas primo in Judaea et Galilaea praedicasset, dein in Samaria et Idumaea, porro in Syria et Arabia, et denique in Persia martyrium subiisset.[1] Scriptores Syrorum de activitate ejus in Syria ulteriore, in specie Edessae narrant, quin tamen consentiant; alii enim Adai (Thaddaeum) nominant eum, qui Syris primus evangelium annunciasset;[2] alii hocce meritum discipulo ejusdem nominis e 70 numero tribuunt,[3] Adai Apostolum eum serius secutum, dein in Assyriam profectum et post reditum in Phoenicia Baruthi aut Aradi martyrii palmâ coronatum esse tradunt.[4]

## §. 213.

**Quibus lectoribus, qua occasione, quo consilio, quando et ubi epistola scripta sit ejusque argumentum.**

1. *Lectores hujus epistolae* neque in dedicatione accuratius designantur, neque ex incerta s. Judae historiâ determinantur. Cum vero II. Petri epistola scripta esset periculo enato, ne pseudodoctores, quos Judas impugnat, inter Christianos etiam Ponti, Galatiae etc. errores suos disseminarent et asseclas invenirent: colligere licet, proximos epistolae nostrae lectores *in vicinia illarum provinciarum, ergo in partibus Asiae minoris ad orientem et meridiem sitis aut in Syria anteriore* esse quaerendos.

2. *Occasio et scopus* idem fere est, ut in II. Petri, hoc solum discrimine, quod in secunda Petri epistola seductionis periculum imminens repraesentatur, in illa Judae vero malum inter lectores jam grassans sistitur.

3. *Epistola Judae ante II. Petri scripta est,* ut ex mutua utriusque relatione patet; tempus autem accuratius determinari nequit. E v. 1., ubi auctor Jacobi fratrem semet designat, praepropere concluderetur, Jacobum Minorem adhuc fuisse inter vivos; nam hujus Apostoli auctoritas ac veneratio inter Christianos ejus martyrio non erat imminuta, sed potius aucta.

4. *Argumentum* brevioris hujus epistolae cum II. Petri a 2, 1—3, 2. concordat. Auctor se ideo scripsisse dicit, quia pseudodoctores prodiissent, quos dein severe arguit et a Deo, qui impios semper puniendo justitiam suam manifestet, poenas gravissimas exspectandas habere docet. Quam in rem diversa commemorat poenarum divinarum exempla (Israëlitas in deserto perditos, angelos lapsos,

---

[1] Nicephor. h. e. II. 40.
[2] Assemann. bibl. orient. III. 1., Hieronym. ad Matth. c. 10.
[3] Cfr. Euseb. h. e. I. 13. III. 1.
[4] Assemann. bibl. orient. III. 2.

Sodomam et Gomorrham), et prophetiam Henochi ad hosce seductores applicat. Monet tandem lectores, ut firmi persistant in doctrina apostolica, et rogat, ut fratres quoque alios, qui ab haereticis facile decipi possent, non negligant, sed salvare studeant. Solenni doxologiâ epistola finitur.

## §. 214.

### Authentia et canonica auctoritas.

*Epistola Judae a Patribus apostolicis et a s. Justino non adhibetur, neque a s. Irenaeo commemoratur; in versione Peschito deerat; hinc ab Eusebio inter ἀντιλεγόμενα refertur. Attamen in ecclesia Alexandrina et latina haec epistola semper erat agnita, et inter Graecos Syrosque ejus inter scripturas canonicas receptae jam ante conc. Nicaenum I. inveniuntur testes.*

1. *In ecclesia Alex. Clemens* epistolam hanc addito Judae nomine opus Spiritus prophetici vocat;[1] *Origenes* Judam scripsisse dicit epistolam brevem quidem, plenam vero coelestis gratiae verbis, et auctorem vocat Judam Apostolum;[2] *Pamphilus*, Origenis discipulus et Eusebii Caes. magister, epistola hac usus est ut opere canonico,[3] et in Asia minore *concil. Laodicense* can. 60. eam libris sacris adnumeravit.

2. *In eccl. latina auctor catalogi Romani* Judae epistolam inter scripta sacra recensuit; *Tertullianus* ejus mentionem facit, et auctorem Judam Apostolum vocat.[4] Eodem modo judicarunt *s. Hieronymus*,[5] *s. Augustinus* aliique, nec non concilia *Hipponense et Carthaginiensia.*

3. *In eccl. Syriaca s. Ephraemus* epistolam nostram non tantum adhibuit, sed etiam auctoritatem canonicam ei adscripsit.[6]

Quodsi primis saeculis non deerant, qui epistolae nostrae auctoritatem negarent aut saltem addubitarent: hoc nonnisi aliquamdiu et in illis regionibus factum est, ubi traditio certa in aliis ecclesiae partibus vigens vim suam nondum exseruerat. Accesserunt rationes internae, teste *s. Hieronymo* inte petitae, quod auctor scriptis apo-

---

[1] Paedag. III. *Εἰδέναι γὰρ ὑμᾶς, φησὶν ὁ Ἰούδας, βούλομαι, ὅτι ὁ θεὸς ἅπαξ ἐκ γῆς Αἰγύπτου λαὸν σώσας λ.* (Jud. 5. 6. 11.). Strom. III. *Ἐπὶ τούτων οἶμαι καὶ τῶν ὁμοίων αἱρεσέων προφητικῶς Ἰούδαν ἐν τῇ ἐπιστολῇ εἰρηκέναι.*

[2] Comment. in Mt. 13, 55. *Ἰούδας ἔγραψεν ἐπιστολὴν ὀλιγόστιχον μὲν, πεπληρωμένην δὲ τῆς οὐρανίου χάριτος ἐῤῥωμένων λόγων.* Eplanat. in ep. ad Rom. V.: „Judas Apostolus in catholica epistola dicit.“

[3] Cfr. apolog. pro Origene et comment. in Matth. p. 488.

[4] De habitu femin. c. 3.: Henoch apud Judam Apostolum testimonium possidet.

[5] De viris ill. c. 4.: Judas, frater Jacobi, parvam quidem, quae de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de Ennocho, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur; tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter s. scripturas computatur.

[6] Serm. adv. impud. (tom. III. gr.). *Διελέγχει δὲ αὐτοὺς καὶ ἕτερος μαθητὴς λέγων· Ἰούδας, Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου κ. τ. λ.* et tota epistola sequitur.

cryphis utitur, nimirum v. 9. opere: *ἀνάβασις Μωσέως* et v. 14. libro Henoch. Verum s. Judas eodem jure ad libros illos respexit, quo s. Paulus Athenis docens Act. 17, 28. et in epist. ad Tit. 1, 12. ad poëtas gentiles provocavit, et II. Tim. 3, 8. ad Judaeorum traditionem vel ad librum apocryphum referentem, Magos, qui Moysi in Aegypto restitissent, nominatos esse Jannem et Mambrem. Praeterea homines, contra quos epistola haec directa erat, scripturas sacras perversâ interpretatione ad suos sensus contorquere consuevisse, e II. Petri 3, 16. edocemur; quare Apostolus potius argumenta petiit e scriptis apocryphis, quae a pseudodoctoribus illis magni habebantur, ut eos propriis armis profligaret seu *κατ' ἄνθρωπον* disputaret.

## 5) S. Joannis I. epistola.

### §. 215.

**Auctor et lectores, tempus et locus, occasio et scopus epistolae scriptae.**

1. *Auctorem hujus epistolae esse Joannem Apostolum, antiquorum nemini unquam erat dubium;* nam in omnibus librorum canonicorum catalogis cum I. Petri recensetur, in versionem Peschito statim ab initio erat recepta; imo jam *s. Polycarpus,* Joannis Apostoli discipulus, I. Jo. 4, 3. citat,[1] et teste Eusebio *Papias* quoque testimoniis usus est e I. Joannis ut e I. Petri epistola.[2] Eandem persuasionem de epistolae nostrae authentia testantur *s. Irenaeus, Clemens Alex., Tertull. Origenes* et omnes reliqui Patres ac scriptores.[3]

2. Epistola haec, ut illa ad Hebraeos, consuetâ caret dedicatione; attamen modus, quo s. Joannes ut pater ad filios loquitur (2, 1. 12. seqq.), tales supponit lectores, qui auctorem magistrum suum ac praesulem agnoscebant; praeterea desunt, quae speciali conveniant ecclesiae. Ex his colligitur, epistolam omnibus Asiae minoris ecclesiis esse scriptam, quibus Joannes praeerat, et quibus etiam evangelium nec non apocalypsin proxime dedicavit. Quae sententia inde confirmatur, quod lectores a longiore jam tempore ad Christum conversi sistuntur (2, 7. 24.); quod in epistola iidem respiciuntur errores, quibus Joannes in evangelio indirecte sese opposuit: Jesum non esse Christum (2, 22. 5, 1.), non vere humanam habuisse naturam (4, 2. 3.), non esse Dei Filium (5, 5. 10—13.); quod denique lectores 5, 21. moniti, ut a simulacris sibi caveant, ex ethnicis potissimum conversi supponuntur. Quae omnia Asiae minoris ecclesiis apprime conveniunt.

---

[1] Ad Philipp. c. 7.: *Πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ, Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστιν* coll. I. Jo. 4, 3.

[2] Euseb. h. e. III. de Papia dicit: *Κέχρηται δ' ὁ αὐτὸς μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου προτέρας ἐπιστολῆς καὶ τῆς Πέτρου ὁμοίως.*

[3] Irenaeus adv. haeres. V. 16. ap. Euseb. h. e. V. 8. Clemens Alex. strom. libris, Tertull. contra Marcionem V. 16. adv. Praxeam 15. 28. al. Orig. comment. in Mt. 16.

Huic vero sententiae contraria esse videtur inscriptio latina *„ad Parthos“*, quam epistola jam temporibus *s. Augustini* habuit,[1] et e qua nonnulli ad primos lectores Parthos concluserunt. Verum inscriptio illa procul dubio errori originem debet. Altera nimirum Joannis epistola teste *Clemente Alex.*[2] apud antiquos dicebatur epistola ad virgines (πρὸς παρθένους), unde per scripturae compendium ortum est πρὸς Πάρθους, quod in cod. 62. ut subscriptio, in codd. 30. 89. (apud Griesb.) ut inscriptio secundae Joannis legitur. Quod cum non convenire videretur epistolae ad ἐκλεκτὴν Κυρίαν scriptae, facile ad proxime praecedentem epistolam primam, cui magis convenire videbatur, tanquam ejus subscriptio transferebatur, ita ut inde dein oriretur latina illa inscriptio ad Parthos.

3. *Epistola nostra ratione habitâ non tantum lectorum, sed etiam argumenti cum Joannis evangelio in arctissimo nexu posita est.* Nam Apostolus in hac epistola 1, 1. 3. se testari et annunciare dicit: quod fuit ab initio, quod audivit et oculis vidit et manibus contrectavit. Hisce manifeste designatur historica Verbi incarnati apparitio et operatio, quam auctor ut testis immediatus se annunciare dicit. Jam vero haec annunciatio non fit in ipsa epistola, quae potius 1, 4. ab illa aperte distinguitur; hinc Joannes verbis illis respexerit necesse est ad evangelium, quod sive adhucdum ore praedicaret, sive literis consignatum traderet. Atqui epistolae initium: ὃ ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς ad verbum fere concordat cum primis evangelii verbis: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, et hic consensus in sequentibus continuatur: λόγος τῆς ζωῆς — — ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα coll. c. evang. 1, 2. 4. Quare Apostolus praesente tempore verborum μαρτυροῦμεν et ἐπαγγέλλομεν non praedicationem suam vivam designavit, sed evangelium a se scriptum, quocum itaque epistolam hanc simul tradidit. Haec sententia permultis epistolae confirmatur locis, in quibus auctor ad evangelium suum alludit.[3] — Epistola igitur haec post evangelium scripta quidem est, simul vero cum eo lectoribus traditum aut missum, et proinde *tempus, quo et locum, ubi exarata est, cum evangelio habet communem.*

4. *Occasio sita erat in ipso evangelio scripto*, cui s. Joannes in hac epistola partem practicam addidit. Auctor in tota epistola docendo et monendo eo tendit: *ut in lectoribus servetur, augeatur et obfirmetur fides in Jesum Christum, Dei Filium* (5, 5. 13.) *pura et genuina*, libera in specie ab eorum errore, qui humanam in Christo naturam negent (4, 1—3.), *efficax*, i. e. amore Dei et proximi atque observatione voluntatis divinae sese exserens, *nulloque modo labefactanda*, neque eorum assertione, qui negent, Jesum esse Christum (2, 2.), neque mundi et rerum transeuntium amore (2, 51.).

---

[1] Quaest. evang. II. 39.: Secundum sententiam hanc etiam illud dictum est a Joanne in epistola ad Parthos: Dilectissimi, nunc filii Dei sumus etc.

[2] Adumbrat. in II. Jo.: Secunda Joannis epistola, quae ad virgines scripta est, simplicissima est.

[3] Cfr. 2, 1. cum ev. 1, 20.; 2, 5. cum ev. 14, 15.; 2, 24. cum ev. 15, 4. 7. 8.; 3, 5. cum ev. 1, 29. 4, 46.; 3, 8. cum ev. 8, 44.; 3, 11. cum ev. 13, 34. 15, 12.; 3, 14. cum ev. 5, 24.; 3, 16. cum ev. 15, 13.; 3, 22. cum ev. 15, 7.; 3, 23. cum ev. 6, 29.;

## §. 216.

### Epistolae argumentum.

Ante omnia s. Joannes 1, 1—4. affirmat, se, quae doceat de Logo, praesentem testem certissime cognovisse, ideoque tradere, ut lectores communionem habeant cum Deo Patre et Christo. Dein ad institutionem et admonitionem transiens dicit: Deum lucem (purum, sanctum) esse, hominem igitur communione cum Patre frui non posse, nisi a peccatis abstineat, et, si peccaverit, verâ poenitentiâ per Christum, propitiatorem nostrum, cum Deo reconcilietur 1, 5—2, 2.

Addit, veram cum Deo et Christo communionem ostendi, si voluntas Dei observetur, Christi mandata, inprimis praeceptum charitatis erga proximum impleatur 2, 2—11. Praemissâ dein observatione, se talibus scribere, qui Dei beneficio illustrati et facultate ad recte agendum praediti sint (v. 12—14. coll. v. 20. 21.), lectores hortatur, ut a mundi amore abstineant eoque magis Deo obsequantur, quum antichristi insurrexerint varii, in specie tales, qui negent, Jesum esse Christum; hos non esse audiendos, sed doctrinae acceptae firmiter inhaerendum monet 2, 15—28.

Post haec docet: sicut Deus justus est, ita et hominem justum esse debere, ut sit filius Dei, et gloriâ aliquando et beatitate perfruatur; eum contra, qui peccat, esse filium diaboli, in specie vero eum, qui odit fratrem, homicidam esse 2, 29—3, 15.

Charitatem Dei Christi facto, i. e. morte toleratâ demonstratam exemplar proponit charitatis non verbo, sed facto probandae, et partem hanc epistolae claudit observans, eum, qui perfectae charitatis sibi conscius sit, plenam in Deo fiduciam collocare posse, donaque Spiritus s. certum esse communionis cum Deo indicium 3, 16—24.

Adjungit monitum, non cuivis spiritui, sed ei tantum, qui ex Deo est, fidem esse habendam, speciatim vero eos pseudoprophetas vitandos esse veluti spiritu Antichristi animatos, qui negent, Jesum Christum in carne venisse, 4, 1—6.

Posthac docet eum, qui Spiritu div. revera animatur, charitatem habere debere, quia ipse Deus charitas est, et charitatem quidem tam erga Deum, qui prior nos dilexit, quam erga proximum, sine cujus dilectione nec Dei dilectio locum habere potest 4, 7—5, 4.

Tandem fide in Jesum, Dei Filium, mundum vinci asserit, eamque et firmissimo niti fundamento et ad salutem summe necessariam esse dicit 5, 5—12.

Sequitur conclusio epistolae, qua s. Joannes prodit, fuisse sibi consilium lectores monendi, eos tantum vitae aeternae participes fieri posse, qui genuinam habeant fidem in Jesum Christum. Hos etiam in precibus a Deo exaudiri affirmat. Addit regulam preces pro aliis concernentem, et epistolam finit monens lectores, ut ab idolis sibi caveant 5, 13—21.

---

3, 24. cum ev. 14, 23.; 4, 6. cum ev. 8, 47.; 4, 19. cum ev. 3, 16.; 4, 12. cum ev. 1, 18.; 5, 9. 10. cum ev. 5, 32. 36. 37.; 5, 13. cum ev. 20, 21.; 5, 20. cum ev. 1, 1. al.

## 6) et 7) S. Joannis II. et III. epistola.

### §. 217.

**Utriusque epistolae authentia.**

De authentia utriusque hujus epistolae testibus *Origene*, *Eusebio et s. Hieronymo*[1] plures veterum dubitarunt; non defuerunt vero in diversis ecclesiae partibus, qui eas Joanni Apostolo tribuerent.

1. *Ex Alexandrinis: Clemens*, in cujus adumbrationibus, quarum fragmentum ad nos pervenit, legitur: „*Secunda Joannis epistola, quae ad virgines scripta est, simplicissima est,*" et cujus opus *ὑποτυπώσέων* ad omnes epistolas cath. se extendisse Eusebius testatur (hist. eccl. VI. 14.). — *Dionysius Alex.*, acerrimus authentiae apocalypseos impugnator, has epistolas *φερομένας Ἰωάννου* quidem dicit, nihilominus vero ex eis, ut ex evangelio et e I. epistola argumenta contra apocalypsin petit, et eas non, ut apocalypsin, Joanni presbytero Ephesino adscribit, licet auctor in utriusque initio se *πρεσβύτερον* vocet.[2] — *Alexander Alex.* Arii excommunicationem e II. epistolae v. 10. defendebat.[3] — *S. Athanasius*[4] utramque agnovit canonicam, et *Didymus* utramque ut ad catholicarum epistolarum collectionem pertinentem commentario illustravit.

2. *In Occidente: s. Irenaeus*[5] ad epistolae secundae v. 11. provocavit et auctorem Joannem nominavit. Praeterea *auctor fragmenti ap. Murat.* duas Joannis Apost.epistolas nominat. — *In synodo Carthagin. a s. Cypriano* de haereticis baptizandis celebrata aeque ad II. epistolae v. 10. provocatio est facta.

3. *Ecclesia syriaca* utramque epistolam primis saeculis vel nondum novit vel non agnovit, quia in versione Peschito deerat; attamen saec. IV. *s. Ephraemus* secundâ usus est ut authenticâ et canonicâ.

Horum testium pondus *criteriis internis* augetur; nam neque Joannes presbyter, neque alius quicunque sperare potuisset, fore, ut semet per simplicem denominationem: *ὁ πρεσβύτερος* lectoribus suis accuratius designaret; porro etsi hae epistolae brevissimae sunt, ideae tamen, voces et phrases s. Joanni peculiares inveniuntur, ut II. 5—7. coll. cum I. 2, 7. 18. 4, 1—3., *γνῶναι τὴν ἀλήθειαν*, *μένειν ἐν τῇ ἀληθείᾳ* II. 1. 2.; *περιπατεῖν ἐν ἀληθείᾳ, ἐν τῇ ἐντολῇ, μένειν ἐν τῇ διδαχῇ* II. 4. 5. 9. et III. 3. 4.; *ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι, ὁρᾷν τὸν Θεόν* III. 11.; *αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγάπη* II. 6.

Denique ratio reddi potest, cur hae epistolae non statim ab om-

---

[1] Orig. comment. in Jo. V. coll. Euseb. h. e. VI. 25.; Euseb. h. e. III. 25.; s. Hieronymus de viris ill. c. 9.: Scripsit autem Joannes unam epistolam, quae ab universis ecclesiis et eruditis viris probatur; reliquae autem duae, quarum principium: Senior ... Joannis presbyteri esse asseruntur, cujus et hodie alterum sepulchrum apud Ephesios ostenditur.

[2] Cfr. Eus. h. e. VII. 25.

[3] Cfr. Socrat. h. e. I. 6.

[4] Epist. fest. et ad monach.

[5] Adv. haeres. I. 13.

nibus receptae sint et a paucis solum commemoratae; nam *a*) dedicatae erant personis privatis, et quidem non majori dignitate in ecclesia claris, et ideo nec tam celeriter innotuerunt, neque adeo late propagatae sunt, uti alia N. T. scripta; *b*) argumentum earum non est tale, quod ad multiplicanda earum exemplaria incitasset; *c*) saec. II. et III. pluribus notae esse poterant, quin tamen ab illis citarentur, quia secunda paucissima, tertia fere nihil continet, quod ad dogmata theoretica et practica firmanda, vel ad disciplinam et ecclesiam dirigendam instruat; quia secunda v. 10. et 11. talia edicit, quae tractandorum haereticorum norma considerabantur, ejus apud veteres frequentior fit mentio, quam tertiae. Jam vero subsequis temporibus, quibus epistolae nostrae ubique jam cognitae erant, Patres, scriptores et ecclesiae ob summam severitatem, quae in recipiendis libris in Canonem adhibebatur, defectu testium saeculi I. et paucitate saeculi II. motae dubia sua adhucdum manifestarunt usque ad tempus, quo traditio certissima omnes vicit difficultates.

## §. 218.

**Ad quos, quo consilio et quo tempore utraque epistola scripta sit.**

1. *Epistola II. coll. v. 1. dedicata est ἐκλεκτῇ Κυρίᾳ καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς.* Ἐκλεκτὴν Κυρίαν symbolice designare ecclesiam, plures antiquorum et recentiorum credebant; ast in epistola nihil invenitur, quod doceat, eam ecclesiae vel universali vel cuidam particulari esse scriptam, et illi sententiae obstant voces additae: καὶ τοῖς τέκνοις αὐτῆς et v. 13. Rectius itaque alii de matrona quadam christiana in ecclesia Epheso vicinâ degente cogitant. Num vero nomen ejus fuerit Eclecta, an Kyria, certo determinari nequit; cum tamen v. 13. etiam soror ejus ἐκλεκτή vocetur, Kyria autem esset nomen proprium antiquis usitatum: ἐκλεκτή potius nomen appellativum, quam proprium habendum est. Alii utrumque appellativum esse censent redduntque: electae dominae. — Matrona haec probabiliter ecclesiae cujusdam Asiae minoris erat diaconissa, et s. Joannes occasione sibi oblata usus est ad eam et liberos ejus in veritate ac dilectione christiana confirmandos, et, ut sibi a falsis doctoribus caveant, monendos. Sperans fore, ut ipse brevi veniat, in paucissimis adhortationibus acquiescit. Cum epistola haec sit quasi compendium primae, illam post hanc scriptam esse colligere licet.

2. *Tertia epistola data est ad Cajum*, si non ecclesiae cujusdam Asiae minoris diaconum, tamen virum ditiorem et beneficum (v. 5. 6.). Cum nomen Caji frequens esset apud antiquos: Cajus hic vix unus erat ex iis, qui Rom. 16, 23. I. Cor. 1, 14. Act. 19, 29. 20, 4. commemorantur. — Christiani peregrinantes a Cajo ad Joannem venerant illiusque hospitalitatem laudaverant; eis itaquae redeuntibus haec epistola tradita est, in qua etiam Apostolus Cajum ob hospitalitatem laudibus celebrat, et fratres illos ad promovendum itineris scopum ei commendat. Conqueritur simul de *Diotrephis,* ecclesiae praepositi, audacia, qua Apostoli desideriis resistat et fratres pere-

grinos male tractet, quod obstitisset, quominus ecclesiae scriberet; sperat vero, se mox esse venturum. Apostolus procul dubio de eodem itinere loquitur, de quo in II. ep. v. 12. est sermo, ita ut haec epistola circa idem tempus sit scripta cum secunda.

## ARTICULUS III.

# LIBER PROPHETICUS:

## Apocalypsis s. Joannis.

### §. 219.

**Auctor et auctoritas operis canonica.**

Apocalypsis nostra, ut in Canone ultimum occupat locum, ita etiam omnium N. T. librorum ultima est scripta, et ultima ab universa ecclesia recepta, dum ab eadem similia opera constanter essent rejecta, ut apocalypsis Petri, apoc. Pauli, apoc. Thomae et apocalypsis, quam Cerinthus ad commenta sua chiliastica commendanda elucubrasse videtur.

Apocalypsis nostrae auctor ipse se nominat Joannem 1, 1. 4. 21, 2. et 22, 8. Joannem hunc esse Apostolum evangelistamque, testimonia antiquitatis et argumenta interna luculenter probant.

A) *Quod testes attinet antiquos:*

1. *Patres et scriptores ecclesiae Asiaticae praeter Papiam et s. Polycarpum*, ad quos plures provocant, quorum autem clarum hac de re non habemus testimonium,[1] memoratu dignissimi sunt:

*S. Justinus Martyr* (c. ann. 130.), qui gravissimum de apocalypsi, Joannis Apost. libro profert testimonium dicens: „*Joannes, unus ex Apostolis Christi, in apocalypsi sibi facta*“ etc.[2]

*Theophilus Antioch.* (c. ann. 170.), de quo Eusebius dicit: „*Alius etiam exstat ejus liber, quem contra Hermogenis haeresin inscripsit, in quo testimoniis utitur ex Joannis revelatione desumtis.*[3]

*Melito Sardensis*, eodem tempore florens, qui testibus Eusebio et s. Hieronymo peculiarem exaravit librum de Joannis apocalypsi.[4]

*Appollonius*, presbyter Ephesinus sub finem saec. II., teste Eu-

---

[1] Andreas Capp. in prolegomenis in apoc.: „De apocalypseos theopneustia, testantibus eam fide dignam esse viris beatis: Gregorio theologo, Cyrillo et aliis prioribus: Papia, Irenaeo, Methodio et Hippolyto, multa verba facere necesse non est.“

[2] Dialog. cum Tryphone c. 8.: *Καὶ ἐπειδὴ παρ' ἡμᾶς ἀνήρ τις, ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ Χριστοῦ, ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ λ.*

[3] Eus. h. e. IV. 24.: *Καὶ ἄλλο πρὸς τὴν αἵρεσιν Ἑρμογένους τὴν ἐπιγραφὴν ἔχον, ἐν ᾧ καὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου κέχρηται μαρτυρίαις.*

[4] Euseb. h. e. IV. 26. *Μέλτωνος τὰ περὶ τοῦ πάσχα δύο ... καὶ τὰ περὶ τοῦ διαβόλου, καὶ τῆς ἀποκαλύψεως Ἰωάννου.* S. Hieron. de vir. ill. c. 24.: „Melito de diabolo librum unum, de apoc. Joann. librum unum.“

sebio argumenta nonnulla ex apocalypsi Joannis petiit contra Montanum.[1]

*Hippolytus*, Adenae in Arabia episcopus (c. ann. 230.), qui librum scripsit de hexemero, de Christo et Antichristo, in quo inter alia dicit: *„Ipse Joannes in insula Patmo vidit apocalypsin;"* et serius: *„Dic mihi beate Joannes Apostole et discipule Domini, quid vidisti?"*[2]

*Methodius*, episcopus Olympi in Lycia, serius Tyri circa fin. saec. III., commentarios scripsit in apocalypsin, in aliis etiam libris teste Photio ad apocalypsin Joannis provocavit.

*Ephraenus Syr.* saec. IV. apocalypsin adscripsit Joanni theologo, quod peculiare erat cognomen Joannis Apostoli, et eam frequenter in scriptis suis citavit. — Eadem de apocalypsi persuasio erat *s. Basilio, Gregorio Nyss.* et *s. Epiphanio.*

2. Cum antiquissimis hisce testibus Asiae concordant *scriptores eccl. Africani*, uti

*Clemens Alex.*, qui in operibus suis frequenter loquitur de apocalypsi Joannis Apost. ut de libro, de quo inter omnes constet, nec sine multâ laude eandem vocem apostolicam vocat.[3]

*Origenes*, ejusdem discipulus, etsi sciebat, nonnullis Cerinthum libri hujus videri auctorem, tenacissime tamen magistri sui vestigiis inhaerens Joanni Apost. illum vindicavit, atque in librorum canonicorum catalogo recensuit.[4]

*Tertullianus* ad vindicandam Joanni Apost. apocalypsin ad ejus alumnas ecclesias provocat.[5]

*S. Cyprianus* apocalypsin Domini vocem, scripturam sacram in operibus suis vocat.[6]

Huc etiam pertinent *s. Athanas., Didymus, s. Augustinus* aliique.

3. Ex iis, qui *in diversis Europae partibus* scripserunt, commemorari merentur:

*S. Irenaeus* ex Asia minore, probabiliter Smyrnâ oriundus, qui Joannem, Domini discipulum apocalypseos auctorem vocat.[7]

---

[1] Eus. h. e. V. 18.: *Κέχρηται δὲ καὶ μαρτυρίαις ἀπὸ τῆς Ἰωάννου ἀποκαλύψεως.*

[2] Canon pasch. *ὑπὲρ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου καὶ ἀποκαλύψεως.* Ebed Jesu catal. libr. Syr. c. 8.: „S. Hippolytus martyr episcopus composuit librum de dispensatione ... et apologiam pro apocalypsi et evangelio Joann. Apostoli et evangelistae." De Christo et Antichristo §. 36.: „Hic enim (Joannes), cum in insula Patmo versaretur, videt apocalypsin qua detecta horrenda mysteria, eaque narrans etiam alios affatim docet. Dic, quaeso beate Joannes Apost. et Domini discipule, quidnam andivisti et vidisti de Babylone?"

[3] Paedag. II. 12., Strom. VI. 13. al.

[4] Eus. h. e. VI. 25. Orig. comment. in Joann. tom. I. vol. IV. edit. Huet. II. 14. dicit: *Φησὶν οὖν ἐν τῇ ἀποκαλύψει ὁ τοῦ Ζεβεδαίου Ἰωάννης.*

[5] Adv. Marcionem IV. 5.: Habemus et Joannis alumnas ecclesias; nam etsi apocalypsin ejus Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem.

[6] Cfr. de bono patient. c. 24.

[7] Advers. haeres. V. 26.: Significavit Joannes Domini discipulus in apocalypsi edisserens, quae fuerint decem cornua etc. (apoc. 17, 12. 13.). Ibid. V. 30. ad probandum numerum nominis animalis 666 provocat ad testimonium *αὐτῶν ἐκείνων τῶν κατ᾽ ὄψιν τὸν Ἰωάννην ἑωρακότων*, per quos Papiam et s. Polycarpum intelligere creditur (cfr. apoc. 13, 18.).

*Auctor fragmenti apud Murat.* Joannis apocalypsin inter scripturas canonicas nominat. — His adnumerandi sunt: *s. Hilarius, s. Ambrosius, s. Hieronymus, Rufinus* et alii.

B) *Argumenta interna:*

1. Auctor se *simpliciter nominans Joannem* supponit, se ecclesiis, quibus liber destinatus erat, esse notissimum et cum lectoribus in arctiore nexu positum, quod nonnisi Joanni Apostolo convenit, non vero alii ejusdem nominis, v. g. Joanni presbytero, qui accuratius semet designare debuisset, ne impostoris incurreret suspicionem.

2. Auctor 1, 9. seqq. dicit, se, participem in tribulatione et patientia, *fuisse in insula Patmo* propter verbum Dei et testimonium Jesu et accepisse ibidem revelationem, quod nonnisi Joanni Apostolo respondet, utpote qui testantibus antiquis in insulam Patmum ab imperatore Christianis inimico erat relegatus.

3. In epistolis septem ecclesiis Asiae minoris c. 2. et 3. dedicatis auctor nomine Christi quidem, simul vero etiam suo scribens tali utitur sermone, ut ostendat, *sibi jus competere inspiciendi, corrigendi et severius arguendi.* Atqui ejusmodi jus ecclesiae Asiae minoris procul dubio nemini tribuerunt, nisi Apostolo, et nonnisi firmissima persuasio, Joannem Apost. esse auctorem, eas ad librum hunc recipiendum permovere potuit.

4. Apocalypsis nonnisi *mortuo Joanne fingi aut divulgari* potuisset; ast hoc in casu fidem non invenisset in ipsis ecclesiis, quibus Joannes Apost. praefuerat et quibus notissimum esse debuit, quae scripta Apostolus hic reliquerit, et quae ficta nomine ejus divulgarentur.

5. Quamvis *dictio et stylus* non ut in evangelio et in epistolis Joannis ad justas linguae leges conformatus sit, quod operis characteri plane diverso formaeque propheticae adscribendum est: *frequenter tamen occurrunt voces, phrases et ideae Joanni Apostolo adamatae et peculiares,* ut *μαρτυρία* et *μαρτυρεῖν* 1, 2. 9. 6, 9. al., *νικᾶν* respectu ethico, *τηρεῖν τὰς ἐντολάς — τὸν λόγον — τοὺς λόγους* 12, 17. 3, 8. 22, 7. al., *ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ* 3, 10., *δοῦναι εἰς τὰς καρδίας* 17, 17., *ζωῆς πηγαὶ ὑδάτων, ποταμὸς ὕδατος ζωῆς* 7, 17. 21, 6. 22, 1.; designatio Christi per *λόγον τοῦ θεοῦ* et *ἀρνίον* 5, 6. 8.; huc etiam pertinet frequens transitus ad sequentia per formulam *μετὰ ταῦτα* 4, 1. 7, 1. 9. al.; sententiae positive et negative expressae 2, 13. 3, 8. 17.; antitheses et parallelismi membrorum 2, 2. 6. 8. 9, 21. et similia.

C) Authentia itaque et canonica auctoritas apocalypseos nostrae per testimonia et criteria interna adeo certa redditur, *ut argumentis oppositis labefactari haud possit.* Dicunt autem adversarii:

1. Apocalypsis in Canonem Syrorum antiquitus non erat recepta, ut versio Peschito docet.

2. Alogi eam rejecerunt et argumentum ejus impugnarunt.

3. Saeculo III. inter praecipuos ecclesiae doctores *Dionysius Alex.,* Origenis discipulus, opus hoc non Joanni Apostolo, sed *Joanni presbytero Ephesino* adscripsit.

4. *Eusebius* hunc librum partim *ὁμολογουμένοις,* partim *νόθοις* adnumerans dubius haesit; *Cyrillus Hieros.* cum in Canone suo (ca-

tech. IV.), et *Gregorius Naz.* (in carm. 33.) non commemoravit; mentio ejus non est facta in *can. 60. concilii Laodicensis, in canonibus apost.* c. 85.

Respondemus:

Ad 1. Cum versio Peschito conficeretur, apocalypsis serius exarata in Syria orientali procul dubio nondum erat nota; eam vero, licet in versionem Peschito non receptam, in ecclesia syriaca haud esse rejectam, docet *Ephraemus Syrus.*

Ad 2. *Alogi*, ut reliqua s. Joannis scripta, ita etiam in specie apocalypsin in pugna contra Montanistas e rationibus solum internis, praecipue exegeticis rejecerunt; nam a mente s. Joannis alienissimi argumentum libri crasse interpretantes sensum non invenerunt aptum.[1]

Ad 3. Majoris momenti esse videtur *Dionysii Alex.* sententia, cujus autem origo et falsitas facile ostenditur. Invaluerat nimirum in Aegypto doctrina de chiliasmo, cujus praecipuus defensor *Nepos*, praefecturae Arsinoiticae episcopus, non tantum praecipua argumenta ex apocalypsi hausit ad literam expositâ, sed etiam opus edidit: *ἔλεγχος ἀλληγοριστῶν*, in quo symbolicam orthodoxorum interpretationem refutare adnisus est. Post illius mortem Dionysius, ad dignitatem episcopalem vix evectus cum chiliastarum ducibus colloquia instituit errantesque ad veritatem reducere conatus est. Ast nimio firmissimum chiliasmi fulcrum evertendi zelo abreptus eo usque processit audaciae, ut apocalypseos originem apostolicam in dubium vocaret. Ad chiliastas refutandos etiam duos libros exaravit: *περὶ ἐπαγγελίων*, in quibus sententiam suam clarius exposuit. Provocat ad quosdam, qui antea jam apocalypsin *Cerintho* tribuissent, quos tamen non nominat (Alogi), et quorum sententiam ipse improbans dicit: librum hunc viri cujusdam sancti et Spiritu divino afflati esse opus, et probabiliter quidem Joannis presbyteri Ephesini. Argumenta ejus erant sequentia: *a*) Joannem Apostolum neque in evangelio, neque in epistolis sese nominare, quod fiat ab initio et ad finem apocalypseos; *b*) ideas, expressiones et syntaxin in apocalypsi plane discrepare a scriptis Joannis Apostoli; *c*) stylum esse barbarum et soloecismis abundare. Ast argumenta haec mere interna non sufficere ad apocalypsin Joanni Apostolo abjudicandam, jam antiqui agnoverunt; quotquot enim vel Alexandriae post Dionysium hoc de libro mentionem fecerunt, eum Joanni Apostolo adscribere perseverarunt. Nomen auctoris, quod in evangelio et in I. ep. Joannis adnotare non erat necessarium, quodque in II. et III. epist. per expressionem *ὁ πρεσβύτερος* compensatur, in opere prophetico plane erat conveniens, cum et V. F. prophetae semet nominare consueverint; ideas, expressiones et syntaxin in apocalypsi a scriptis Joannis reliquis generatim differre, mirum esse nequit, quum opus non sit historicum aut didacticum, sed revelationes futurorum exhibeat per grandes imagines auctori factas, quibus animus videntis ac scriben-

[1] Cfr. Epiph. haer. 51. 2., ubi Alogos loquentes inducit: *Τί με ὠφελεῖ ἡ ἀποκάλυψις Ἰωάννου λέγουσά μοι περὶ ἑπτὰ ἀγγέλων καὶ ἑπτὰ σαλπίγγων λ.*

tis vehementer erat correptus, et ad quas verbis repraesentandas lingua prophetica V. F. aptissimum obtulit typum. Ceterum in ipsa hac styli diversitate non deesse talia, quae Joanni Apost. peculiaria sint et adamata, prius jam ostendimus. Quodsi recentiores apocalypseos adversarii Dionysii argumentis addunt alia, quae ex doctrina libri apostolicae contrariâ repetunt, sana interpretatio eadem facile evertit.

Ad 4. Cum *Eusebius* *ὁμολογουμένοις* illa tantum adnumeraret scripta, quorum origo apostolica et auctoritas canonica ante ipsum a nemine in dubium esset vocata: apocalypsin ratione habita saeculi II. et primae partis III. non poterat non in illam classem referre; ast ob nonnullorum dubia per Dionysium mota de origine hujus libri apostolica, eum, ut justus appareret arbiter, etiam inter *ἀντιλεγόμενα*, et quidem in altera horum serie, i. e. inter *νόθα* recensuit. Eusebii vero exemplum et Dionysii auctoritas plures dein permovit, ut opus hoc addubitare pergerent aut saltem negligerent, cum propter obscuritatem ejus expositio pararet difficultates, et chiliastae ad ejusdem effata provocare non cessarent. Ex hac causa *Cyrillus Hieros.* apocalypsin catechumenis suis non potuit commendare legendam, et *Gregorius Naz.* in jambis praetermisit, licet ipse eam non repudiaret.[1]

## §. 220.

### Quibus lectoribus, quo consilio, quo tempore et loco apocalypsis sit scripta.

*Apocalypsis coll. c. 2. et 3. proxime destinata erat septem praecipuis Asiae minoris ecclesiis: Ephesinae, Smyrnensi, Pergamensi, Thyatirensi, Sardensi, Philadelphiensi et Laodicensi,* quarum singulis angelis, i. e. antistibus epistola dedicatur. Omnes hae epistolae eo tendunt, ut 1) non obstantibus pseudodoctoribus in ecclesiis fides servetur pura et vita Christianorum sanctificetur; ut 2) inter persecutiones atrocissimas constantia in Christi professione exerceatur. Idem *totius libri est scopus, animos nimirum Christianorum calamitatibus omnis generis pressos erigendi* certitudine victoriae quam ecclesia Christi de omnibus adversariis esset reportatura, et spe haereditatis beatae, quae constantibus in coelo reposita sit, timidis vero et perfidis occlusa (21, 8. 22, 15.), dum pseudoprophetis et omnibus eorum asseclis ignis aeternus paratus est (19, 20. 20, 9.).

*Coll. 1, 9. 10. visiones Apostolo contingerunt in insula Patmo, cum „particeps in tribulatione et regno et patientia“ ibidem esset „propter verbum Dei et testimonium Jesu.“* Verba haec non intelligenda esse de commoratione Joannis in insula Patmo ambitu exiguâ

---

[1] Gregor. Naz. serm. 42. u. 9. ratione habita apoc. 2, 1. dicit: *πείθομαι γὰρ ἄλλους (ἀγγέλους) ἄλλης προστατεῖν ἐκκλησίας, ὡς Ἰωάννης διδάσκει με διὰ ἀποκαλύψεως.* — Etiam s. August. de civit. Dei XX. 17. et s. Hieronym. in ep. 50. ad Paulin. de obscuritate libri conqueruntur; unde factum est, ut ad praelectiones publicas minus aptus videretur, ut ab Euthalio non stichometrice scriberetur et serius demum in capita divideretur.

et fere desertâ ad praedicandum evangelium, sed de exilio, in quod propter evangelium praedicatum et testimonium Jesu Christo redditum erat missus, ipsa mutua dictorum relatio docet et omnes antiqui testantur. Quo vero tempore exilium illud habuerit locum, non eadem omnium erat sententia.

1. *S. Irenaeus, Victorinus Petabionensis, Eusebius et s. Hieronymus Joannis exilium in Domitiani imperium (a. 81—96. aer. v.), et quidem ad ejusdem finem transferunt;* nam *Irenaeus* dicit: apocalypsin non ante multum temporis esse visam, sed paene nostra aetate, ad finem Domitiani imperii;[1] *Eusebius* ad traditionem provocans repetitis vicibus refert, Joannem a Domitiano in insulam Patmum esse missum, *sub Nerva* autem in Asiam reversum.[2] Idem edicit *Hieronymus.*[3]

2. *Clemens Alex.*[4] *et Origenes*[5] exilium quidem Joannis commemorant et reditum, non autem imperatorem nominant.

3. *S. Epiphanius* exilium Joannis Claudio imperatori (41—54.) tribuit.[6]

4. *In synopsi de vita et morte prophetarum et discipulorum Domini, quae Dorotheo episcopo* (saec. VI.) *tribuitur, Trajanus (98—117.) nominatur imperator, qui Joannem relegasset;*[7] denique

5. *inscriptio apocalypseos in versione syriaca Neronem (54—68.) designat.*

---

[1] Adv. haeres. V. 30.: *Εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ* (13, 18.), *δι' ἐκείνου ἂν ἐρρέθη τοῦ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἑωρακότος· οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τὸ τέλος τῆς Δομιτιανοῦ ἀρχῆς.*

[2] Eus. h. e. III. 18. *Ἐν τούτῳ* (Domitiano) *κατέχει λόγος, τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην ἔτι τῷ βίῳ ἐνδιατρίβοντα, τῆς εἰς τὸν θεῖον λόγον ἕνεκεν μαρτυρίας Πάτμον οἰκεῖν καταδικασθῆναι τὴν νῆσον.*

Ibidem III. 23. *Ἰωάννης τὰς αὐτόθι διεῖπεν ἐκκλησίας, ἀπὸ τῆς κατὰ τὴν νῆσον μετὰ τὴν Δομετιανοῦ τελευτὴν ἐπανελθὼν φυγῆς.* Cfr. Eus. chronic. ad ann. 14. Domitiani. Al.

Victorinus Petab., anno 303. sub Diocletiano martyrium passus in opere de apocalypsi (in bibl. Patr. Lugd.) pag. 419. dicit: Oportet autem te iterum prophetare, inquit, populis et linguis, hoc est, quoniam quando hoc vidit Joannes, erat in insula Patmos, in metallum damnatus a Domitiano Caesare. Ibi ergo vidit apocalypsin.

[3] De vir. ill. 9.: Joannes quarto decimo anno secundam post Neronem persecutionem movente Domitiano in Patmos insulam relegatus scripsit apocalypsin. Cfr. adv. Jovinian. 2, 14. et chronicon.

[4] Clem. Al. in op.: quis dives §. 40. et apud Euseb. h. e. 3, 23. dicit: *Ἐπειδὴ γὰρ τοῦ τυράννου τελευτήσαντος ἀπὸ τῆς Πάτμου τῆς νήσου μετῆλθεν εἰς τὴν Ἔφεσον.*

[5] Orig. ad Mt. 20, 22. 23.: *Πεπώκασι δὲ τὸ ποτήριον καὶ τὸ βάπτισμα ἐβαπτίσθησαν οἱ τοῦ Ζεβεδαίου υἱοὶ, ἐπείπερ Ἡρώδης μὲν ἀπέκτεινεν Ἰάκωβον τὸν Ἰωάννου μαχαίρᾳ· ὁ δὲ Ῥωμαίων βασιλεὺς, ὡς ἡ παράδοσις διδάσκει, κατεδίκασε τὸν Ἰωάννην μαρτυροῦντα διά τὸν τῆς ἀληθείας λόγον εἰς Πάτμον τὴν νῆσον.*

[6] Epiphanius haer. 51. 3. Joannem evangelium suum scripsisse dicit *μετὰ ἔτη ἐννενήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς, μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου ἐπάνοδον τὴν ἐπὶ Κλαυδίου γενομένην Καίσαρος.*

[7] Apud Theophyl. in Joan.: *Ὑπὸ δὲ Τραϊανοῦ βασιλέως ἐξωρίσθη ἐν τῇ νήσῳ Πάτμῳ διὰ τὸν λόγον τοῦ κυρίου. — Εἰσὶ δὲ οἱ λέγουσι, μὴ ἐπὶ Τραϊανοῦ αὐτὸν ἐξωρισθῆναι ἐν Πάτμῳ, ἀλλὰ ἐπὶ Δομιτιανοῦ, υἱοῦ Ουεσπασιανοῦ.*

Ad has sententias sequentia observamus:

*a)* Testis gravissimus est *s. Irenaeus* ex illa regione oriundus, ubi Joannes Apost. per longam annorum seriem erat commoratus, et s. Polycarpi discipulus, qui itaque vera hac de re scire potuit, quique ad veritatem numeri 666 contra alteram 616 (apoc. 13, 18.) provocat ad testimonium eorum, qui Joannem a facie viderant. *Clemens et Origenes* cum traditione communi consensisse videntur, eidem saltem non contradicunt.

*b)* Qui cum Irenaeo concordant, ad traditionem provocantes firmo innituntur fundamento, dum reliqui solis conjecturis indulgent, quod jam ex eorum dissensu cognoscitur; nam cum e nonnullis apocalypseos locis colligerent, a s. Joanne Hierosolymorum excidium esse praedictum, visiones ipsas non poterant non transferre in tempus prius, in imperium Claudii aut Neronis.

*c) Testium consentientium fides augetur argumentis internis;* etenim

*α)* inter septem ecclesias c. 2. et 3. quinque non commemorantur in actibus Apost. et in epistolis Pauli; procul dubio itaque serius, attamen a longo jam tempore erant fundatae, quum singulae suum haberent episcopum nomine angeli designatum, tempus primae charitatis, fidei vivae atque morum puritatis esset praeterlapsum, et Nicolaitarum ac Balaamitarum errores asseclas invenissent.

*β)* Apocalypsis visa erat tempore persecutionis Christianorum universalis (13, 7. 8.), in qua Christi asseclae ob religionis suae professionem non tantum interfecti, sed etiam in exilium missi sunt (1, 9. 13, 10.). Ast persecutionem Neronianam in provincias fuisse extensam, praeter seriorem Paulum Orosium nemo testatur,[1] et Christiani non ob religionis suae professionem etiam in exilium missi, sed ob Romae incendium quaesitissimis poenis affecti sunt.[2] — Verum cruentam Domitiani persecutionem fuisse universalem, inde jam colligere licet, quod tyrannus ille majestatem divinam sibi arrogans quoscunque punivit, qui illius laesae suspicionem incurrerunt;[3] jam vero Christiani, qui innumera simulacra argentea et aurea Domitiano ubique locorum posita adorare recusarunt, illam suspicionem effugere non poterant, quum vel certae sectae philosophi delatores age-

[1] Hist. VII. 7. „Auxit hanc molem facinorum ejus temeritas impietatis in Deum. Nam primus Romae Christianos suppliciis et mortibus affecit ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit.“

[2] Suetonius in Domit. c. 13.: Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit: Dominus et Deus noster sic fieri jubet. Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter.

[3] Plinius in panegyr. c. 33.: Demens ille verique honoris ignarus, qui crimina majestatis in arena colligebat, ac se despici et contemni, nisi etiam gladiatores ejus veneraremur, sibi maledici in illis suam divinitatem, suum numen violari interpretabatur, cum se idem quod deos, idem gladiatores quod se putaret.“ Idem auctor, cum de innumeris statuis in sanctissimis locis Domitiano positis verba fecisset, prosequitur: „Ante quidem ingentes hostiarum greges per Capitolium iter, magna sui parte velut intercepti, divertere via cogebantur, cum saevissimi domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.“

rent, quos Nerva supplicio affici jussit.[1] Praeterea Domitianus ipsos cognatos suos ob impietatis accusationem, i. e. ob divinum honorem ei denegatum, aut interfecit, ut *Flavium Clementem* consulem, aut in exilium misit, ut *Flaviam Domitillam*, Clementis uxorem, Pandaterium, et *aliam Domitillam* cognatam in insulam Pontiam.[2]

γ) *Quae apoc. c. 13. et 17. leguntur de bestia coccinea,* plenâ nominibus blasphemiae, de muliere ebriâ de sanguine sanctorum et martyrum Jesu, accuratissimam exhibent imaginem Domitiani, quem Plinius immanissimam belluam dicit nunc propinquorum sanguinem lambentem, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferentem etc.[3]

δ) Hegesippus apud Eusebium refert, Domitianum, qui de adventu Christi perinde ac Herodes sibi metuisset, omnes, qui a Davide generis sui originem ducerent, interfici jussisse, et duos Judae Apostoli posteros a nonnullis delatos ad Caesarem esse adductos, ob vilem vero conditionem suam cum contemtu tractatos.[4] — Quid jam magis probabile est, quam etiam Joannem, Apostolis Christi solum superstitem, a malevolis apud Domitianum esse delatum et ex Asia Romam adductum, atque, ut Tertullianus et s. Hieronymus referunt, in dolium ferventis olei immersum, et cum nihil inde passus exiisset, in insulam Patmum missum?

Joannem sub finem Domitiani imperii in insula Patmo apocalypsin vidisse, s. Irenaeus testatur; post mortem illius tyranni in Asiam minorem reversus est, cum Nerva decreto exulibus revertendi licentiam daret et bona restitueret.[5] Num autem apocalypsis in insula Patmo scripta sit, an post Apostoli reditum, neque e 1, 9. clare patet, neque ab antiquis traditur.

---

[1] Dio Cass. lib. 68. 1. de Nerva dicit: *Πολλοὶ δὲ καὶ τῶν συκοφαντησάντων θανάτου καταδικάσθησαν, ἐν οις καὶ Σέρας ἦν ὁ φιλόσοφος.* Cfr. Plin. de Trajano.

[2] Dio Cass. *Καὶ τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς καὶ τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα, καίπερ ἀνεψιὸν ὄντα, καὶ γυναῖκα καὶ αὐτὴν συγγενῆ ἑαυτοῦ Φλαβίαν Δομιτίλλαν ἔχοντα κατέσφαξεν. Ἐπηνέχθη δὲ ἀμφοῖν ἔγκλημα ἀθεότητος, ὑφ' ἧς καὶ ἄλλοι ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἔθη ἐξοκέλλοντες πολλοὶ κατεδικάσθησαν. Καὶ οἱ μὲν ἀπέθανον, οἱ δὲ γοῦν οὐσιῶν ἐστερήθησαν· ἡ δὲ Δομιτίλλα ὑπερωρίσθη μόνον εἰς Πανδατέρειαν.* Cfr. Eus. h. e. 3, 18. Sueton. in Domit. c. 15. — Flavia Domitilla una erat Clementis uxor, altera sororis filia.

[3] Plinius in panegyr. c. 48.: Nec salutationes tuas fuga et vastitas sequitur, remoramur, resistimus ut in communi domo, quam nuper immanissima bellua plurimo terrore munierat. Cum velut quodam specu inclusa nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages caedesque proferret. Observabantur foribus horror et minae et par metus admissis et exclusis. Ad hoc, ipse occursu quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quispiam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem; nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret.

[4] Cfr. Euseb. h. e. III. 19. 20.

[5] Zonaras p. 583. B. *Τοῖς ὑπ' ἐκείνου (Δομιτιανοῦ) ἐξελαθεῖσι δόγμα ἐπανελθεῖν ἐφῆκε καὶ τὰς οὐσίας ἀπολαβεῖν.*

## §. 221.

### Apocalypseos argumentum.

Liber hic proëmium habet c. 1—3., in quo revelatio haec Deo et Jesu Christo tribuitur, et per angelum Joanni, testi Jesu Christi, in legentium et audientium salutem facta sistitur, septem ecclesiis Asiae minoris dedicatur v. 1—3.; narrat dein Joannes, contigisse sibi in insula Patmo visionem splendidissimam, qua Christus ei apparuit mandans, ut scriberet revelationes, quas accepturus sit 1, 4—20.; sequuntur septem epistolae Christo mandante ad praesules septem ecclesiarum datae, in quibus partim illorum virtutes laudantur, partim defectus severe arguuntur c. 2. 3.

Sequuntur jam ipsae eventuum revelationes. Auctor visione in coelum abreptus conspicit gloriosissimum Dei thronum; librum videt septem sigillis munitum, quae nemo aperire potest praeter agnum stantem in medio throni, quod ille inter laudes et hymnos coelitum perficit, c. 4. et 5.

Aperto sigillo primo heros prodit insignibus victoriae ornatus; aperto altero pax de terra aufertur; aperto tertio fames, soluto quarto mors in terram venit; remoto quiuto servorum Dei persecutio exoritur; sexto aperto sol et luna obscuratur et stellae decidunt; ante ultimum solutum cultores Dei seliguntur et signo Dei signantur. In coelo Dei laudes canuntur c. 6. et 7.

Sigillo septimo reserato silentium oritur in coelo, septem angeli septem tubas habentes prodeunt. Canente primo grando et ignis delabitur et tertia terrae pars comburitur. Altero canente mons ardens in mare cadit, et tertia pars aquarum in sanguinem mutatur. Tertio canente stella magna delapsa tertiam partem fluminum et fontium amaram reddit, hominesque inde bibentes pereunt. Dum quartus angelus tuba canit, tertia pars solis, lunae et stellarum obscuratur, et aquila volans per medium coeli Vae annunciat habitatoribus terrae, ex voce reliquarum tubarum oriturum. Clangente tuba quinta stella de coelo lapsa abyssum aperit, unde cum fumo horrida prodit locustarum turma, cui mandatum est laedere nihil praeter homines signo Dei non signatos. Sonante tuba sexta quatuor angeli, ad Euphratem alligati, soluti tertiam partem hominum plagis perdunt diversis, quin reliqui poenitentiam agant. Ingentis magnitudinis angelus praedicit, quid eventurum sit ad vocem tubae septimae. Joanni traditur liber, ut eum devoret, et jubetur prophetias edere atque templum et altare metiri. Duorum martyrum mors praedicitur in civitate, quae spiritualiter vocatur Sodoma et Aegyptus, in qua et Dominus crucifixus est, et eventura per bellum, quod bestia ex abysso egressa contra illos excitatura sit. Hoc effecto terrae motu concidit decima pars urbis, et septem millia hominum pereunt. Ad tubae tandem septimae vocem coelites triumphalibus vocibus Deum et Christum ejus laudant c. 8—11.

Describitur mulier amicta sole, lunam sub pedibus habens et in capite coronam. Hanc magnus draco, septem capita cum diadema-

tibus habens et decem cornua in capitibus persequitur, ut filium, quem paritura sit, devoret. Parit illa, filius ejus in coelum rapitur, draco victus a Michaële in terram dejicitur, ubi mulieri illi denuo struit insidias, quae tamen in deserta loca aufugit. Draco igitur victus abit, ut proelium faciat cum reliquis de semine mulieris, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi c. 12.

Animal e mari ascendit habens capita septem et cornua decem, et super haec decem diademata, et super capita nomina blasphemiae inscripta. Haec bestia potentiâ a dracone instructa a multis adoratur, quorum nomina non sunt in libro agni, loquitur blasphemias et bellum gerit cum sanctis. Alia bestia cornua duo habens de terra ascendit et cultum prioris promovet c. 13.

Interea agnus in monte Sion stat cinctus multitudine suorum, nomen ipsius in fronte habentium, et laudes Dei audiuntur: Angelus volans per medium coelum portat evangelium aeternum, commendans illud omnibus gentibus terrae. Alius angelus annunciat lapsum Babylonis magnae, et tertius poenas cultorum bestiae. In nubibus conspicitur figura hominis tenens facem, et angelus cum falce; prior demetit messes terrae, alter vindemiat vindemiam terrae c. 14.

Septem angeli prodeunt de tabernaculo Dei cum septem phialis aureis plenis irâ Dei. Effusâ phialâ primâ saevum vulnus oritur in omnibus adoratoribus bestiae; secundo angelo phialam suam effundente aqua maris in sanguinem mutatur; effusâ tertiâ flumina et fontes sanguine implentur; quartâ in solem effusâ homines aestu pereunt; quinto angelo phialam suam super thronum bestiae effundente, tenebris illa obvolvitur, et cultores ejus prae dolore Deum blasphemant. Effusâ sexta flumen Euphrat exsiccatur, ut regibus orientis via paretur. Septimi angeli phialâ effusâ vox magna de coelo audita est dicens: Factum est; horribiles naturae motus sequebantur ad accelerandum Babylonis interitum c. 15. et 16.

E septem illis angelis unus Joanni in desertum abducto aliam ostendit mulierem, sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiae, habentem capita septem et cornua decem. Mulier haec, nomen Babylon in fronte gerens, ebria est e sanguine martyrum Jesu, seducitque populos ad fornicationem. Angelus significationem ejus explicat dicens: septem capita septem esse montes, super quos mulier sedet, et septem reges; decem cornua vero esse decem reges, qui demum venturi sint, et bestiam in interitum vadere c. 17.

Angelus alius prodiens interitum Babylonis proclamat, et populos ad vindictam convocat. In terra lamentationes audiuntur ob lapsum Babylonis, in coelo autem laeta carmina ob appropiuquantes agni nuptias c. 18. et 19, 1—10.

Joannes in coelo conspicit heroëm equo albo insidentem, magno exercitu circumdatum. Nomen ejus est: ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, et in veste et in femore scriptum habet: Rex regum, Dominus dominantium. Angelus in sole stans aves ad coenam convocat oriundam ex caesis hostibus. Bestia cum pseudopropheta et asseclis suis proelium committit adversus exercitum coelestem; sed victa cum pseudopropheta

in stagnum ignis detruditur, reliqui occiduntur et aves carnibus eorum saturantur, 19, 11—21.

Angelus de coelo descendit et draconem ad mille annos in abysso claudit. Per hos mille annos cum Christo regnant, qui non adoraverunt bestiam. Consummato hoc tempore satanas solutus de carcere denuo surgit populosque remotos ad novum adducit bellum, sed frustra; victus enim aeternis traditur flammis. Posthac mortui in vitam revocati undique ad judicium conveniunt, et qui non inventi sunt in libro vitae, in stagnum ignis mittuntur. Novum coelum novaque terra formatur, nova civitas Jerusalem de coelo descendit splendidissime ornata, in qua illi, qui inscripti sunt in libro vitae agni, liberi ab omni malo beatitate summâ fruuntur in perpetuum, a 20—22, 7.

A 22, 8—21. additus est epilogus, quo sanctionis instar promissiones fiunt illis, qui servaverint, quae ex his prophetiis discunt, et poenae illos manere dicuntur, qui addiderint ad ea vel diminuerint de illis aliquid. Salutatio opus finit.

## §. 222.

### Apocalypseos character propheticus, dispositio et visionum significatio.

1. Apocalypsis futurorum continet prophetiam, ut docet 1, 3., ubi „*beatus* praedicatur, *qui legit et audit verba prophetiae hujus et servat, quae in ea scripta sunt; tempus enim prope est.*“ Idem patet e 22, 7. 10. 18. 19. et e 22, 9., ubi auctor prophetis adnumeratur. Apocalypsis est liber futurorum ecclesiae fatorum, pugnarum ejus atrocissimarum et victoriarum gloriosissimarum. Quemadmodum s. Joannes evangelium suum scripsit, ut coll. 20, 31. ad fidem duceret et vitam: ita etiam mandante Christo apocalypsin exaravit, ut pericula ostenderet, quae fidei et vitae minitantur, utque ad ea vincenda omnium temporum institueret et excitaret ecclesiam. — Attamen

2. pars prophetica demum incipit c. 5. et usque ad 22, 5. pertingit; nam c. 1—3. dedicatio continetur, apocalypseos visae occasio narratur et septem sequuntur epistolae totidem Asiae minoris ecclesiis destinatae; c. 4. solenne synedrium coeleste describitur sicque ad futurorum revelationem transitus paratur. — In iis, quae prophetiis finitis a 22, 6—21. epilogi instar sequuntur, Jesus ipse prophetiarum praecedentium veritatem contestatur, et vates sacer fidem in illas earumque observationem urget, et sic ad operis initium, (1, 3.) redit.[1]

[1] Saepius mota est quaestio, num epistolae illae septem mere historicae sint, i. e. nonnisi status ecclesiarum nominatarum rationem habeant, an propheticae, ita ut aut diversas ecclesiae universalis epochas, aut ut ecclesiarum in diversis terris conditionem et fata respiciant. Attamen cum totius operis character sit oecumenicus, cumque quod in illis ecclesiis locum habuit, in aliis diversorum temporum, terrarum et locorum simili modo recurrat: quae Apostolus proxime septem illis Asiae minoris, simul omnibus ecclesiis scripsit; omnes et singulas ecclesias earumque antistites, imo et singulos Christi asseclas minus fideles et tepidos ad

3. Si apocalypsis revera est futurorum prophetia, s. Joannes a tempore, quo visiones in insula Patmo ei contigerunt, i. e. a Domitiani imperio progrediatur, necesse est; hinc errant, qui a c. 4—11. de pugnis agi censent Judaismi corrupti (pharisaici) cum Christianismo deque atrocissimis illius poenis, et per mulierem splendidam c. 12. Judaismum designari putant genuinum, qui peperisset Jesum Christum ejusque religionem, dein vero evanuisset. Judaismus, ejus pugnae cum ecclesia Christi et poenae extra sphaeram visionum, quae s. Joanni contigerunt, erant sitae; de Judaeorum fatis ipse Christus coll. Matth. c. 24. et ll. pp. jam prophetaverat, et, ut de aliis taceamus, quam praepostere Joannes prius de pugnis Judaismi egisset cum re christiana, et demum de religionis christianae e Judaismo puro origine!

4. Apocalypseos prophetia, aeque ac illa antiquorum prophetarum, non ita decurrit, ut a 5, 1. usque ad 22, 5. hujus mundi et ecclesiae christianae successivam et quasi chronologicam delineet historiam; sed a c. 5—11. per symbola septem sigillorum et septem tubarum judicia divina de mundo impio per integrum saeculorum decursum et fidelium ex omnibus calamitatibus liberatio generatim depinguntur, et cum regni Christi triumphus de cunctis inimicis 11, 15—19. esset celebratus, visiones a fine redeunt ad initium, attamen specialia annunciant (cfr. Mt. c. 24.). Cap. 11. *„templum Dei et altare et adorantes in eo"* est ecclesia Christi cum genuinis ac fidelibus Christianis, *„atrium autem, quod est foris templum"* sunt illi, qui nonnisi nomen Christi gerunt, non autem sincere ei adhaerent, quique tradentur gentibus *„sanctam civitatem"* (ecclesiam) per certum tempus calcantibus. Per duos testes designantur *Elias* et *Henoch,* qui magna potestate instructi Judaeis et ethnicis evangelium praedicabunt, in civitate autem magna, *„quae vocatur spiritualiter Sodoma et Aegyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est"* (Hierosolyma antiqua, amplificata) per bestiam, *„quae ascendit ex abysso,"* applaudentibus cunctis impiis occidentur, attamen a Deo resuscitati in coelum assumentur.[1]

5. Cap. 12, 1. 2. describitur mulier sole amicta et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Mulier haec est ecclesia, Christi sponsa, Apostolo per repraesentationem symbolicam ostensa (hinc signum); fundatione, conservatione, incremento, efficacia in hominum animis et in populorum vita, pugnis suis victricibus et triumpho finali de omnibus hostibus insignis, quae omnipotentis ejus auctoris sunt effectus mirabiles (signum magnum); coelestis originis et ad coelum ducens (in coelo); a Jesu Christo, vero sole, luce et calore perfusa et ab errore praemunita (sole amicta); omnem in fide et in patientia mutabilitatem contemnens, omnia terrena vilipendens (luna sub pedibus ejus); Apostolorum sudore et

poenitentiam excitat (2, 5. 16. 3, 3. 19.), fideles vero et strenuos ad constantiam exhortatur et ad fidelitatem usque ad finem (2, 10. 25. 3, 11.).

[1] Cfr. Stern: Commentar über die Offenbarung des Apost. Johannes pag. 278. seqq.

sanguine in unione cum Christo firmata et propagata (corona stellarum 12 in capite ejus). Ecclesia dicitur mulier in utero habens et cum clamore parturiens, quia inter calamitates gravissimas, quae ei a diversis hostibus parantur, id efficere, ad quod vi divinâ ipsi insitâ urgetur, i. e. novos ex Judaeis et ethnicis Christo asseclas lucrari et conservare opus est maxime arduum, cum doloribus et angoribus conjunctum; ast quos ecclesia sic parit, sunt filius masculus (mannhaft v. 5.), i. e. fortes, intrepidi et constantes, qui assequuntur, quod vincentibus 3, 21. promittitur. — Ceterum in visione mulieris descriptae, filii ejus nasciturі et persecutionis ex parte draconis v. 3. seqq. manifeste alluditur ad dignitatem beatissimae Mariae Virginis, ad majestatem nati ex ea filii Jesu Christi, nec non ad persecutiones, quas sacra familia ab Herode erat perpessa.[1]

6. Ad fideles monendos confortandosque speciatim triplex repraesentatur hostis ecclesiae terribilis: draco potentissimus seu diabolus, qui ecclesiam matrem ejusque natos summo furore persequitur 12, 3. seqq.; bestia e mari ascendens, habens capita septem et cornua decem, i. e. impium mundi imperium ethnicum, Dei inimicum (imperium Aegyptiacum, Assyrium, Chaldaicum, Medopersicum, Graecum et Romanum) 13, 1—10., et alia bestia e terra assurgens et habens cornua duo similia agni et loquens sicut draco, i. e. sapientia terrena, animalis, diabolica (Jac. 3, 15., pseudopropheta 16, 13.), quae ad perdendam Christi ecclesiam diabolo et imperio ethnico sese associat 13, 11—18.

7. Quum hostium potentia et copia esset delineata et periculi magnitudo manifestata, c. 14. fidelibus solatium praebetur, quod partim e vincentium praemio promanat, partim e poenis, quae omnibus hostibus imminent.

8. Cap. 15. et 16. per septem phialas effusas diversae, et coll. 15, 1. ultimae delineantur plagae, quibus bestia, i. e. impium mundi imperium successive affligitur, et haec quasi praeludium sunt sequentium, ubi c. 17—20, 6. trium regni divini hostium interitus describitur.[2] Descriptio haec primo agit de bestia et ascendit ad satanam. Maxima vero attentio dirigitur in meretricem magnam, *„quae sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terrae et inebriati sunt, qui inhabitant terram, de vino prostitutionis ejus“* 17, 1. 2. Mulierem hanc, *„ebriam de sanguine Sanctorum et martyrum Jesu,“* angelus Joanni in deserto ostendit et ejus significationem proximamque desolationem Apostolo miranti explicat. Mulier haec est *„civitas magna* (Babylon magna 18, 2.), *quae habet regnum super reges terrae* (17, 18.), i. e. urbs dominatrix mundi, *„terrarum dea gentiumque Roma, cui par est nihil et nihil secundum“* (Martial.), *„per omnes, quotquot sunt partes terrarum, et domina suspecta et regina“* (Ammian.

[1] Cum futurorum revelatio s. Joanni per visiones, imagines symbolicas contigerit, quae hic ibi ab angelo comite quodammodo explicantur; cumque imagines illae e sacris V. T. libris, praecipue ex Ezechiele, Daniele, Zacharia et ex historia repetantur: ad visionum symbolicarum explicationem accuratissima illorum prophetarum, symbolicae et historiae V. F. requiritur cognitio.

[2] Abhinc apocalypsis ordinem chronologicum servat.

Marcellin.), cujus senatum Cicero dixit *„populorum omnium ac regum consilium.“* Bestia, quae portat mulierem, capita septem habet et cornua decem. Septem capita septem montes sunt et septem reges sunt. Tempore apocalypseos visae septem bestiae capitum quinque jam ceciderant (imperium Aegyptiacum, Assyricum, Chaldaicum, Medopersicum et Graecum), caput sextum, imperium Romanum, existebat, atque bestia, quae (in visione) erat et non est, et ipsa octavus est pereuntium, et de septem est, i. e. e septem prioribus imperiis reviviscit et in interitum vadit 17, 3—11. Romae idololatrae, mundi dominatricis et ecclesiae persecutricis, interitus per decem reges unitos 17, 15—18. annunciatur, et c. 18. jam consummatus ab angelo proclamatur vividisque coloribus a s. Joanne depingitur. — S. Joannis vel potius Jesu Christi maximi interfuisse, de imperii Romani destructione deque ejusdem centri humiliatione suos facere certiores, facile perspicitur; nam illud ipsum imperium erat, quod tempore apocalypseos visae ecclesiam Christi odio internecino persequebatur et usque ad mundi hujus finem perduraturum credebatur, ita ut fideles de ecclesiae potestate victrice facile potuissent desperare.[1]

[1] Praeclare et vere dicit Franc. de Bovet in opere suo: L'esprit de l'apocalypse p. 140. editionis Paris. 1840.: Pour concevoir l'importance de la révélation de saint Jean, envisagée sous ce point de vue, il faut considérer ce qu'était Rome à l'époque de la prophétie, ce qu'elle fut pendant tout le temps des persécutions; sa grandeur, sa puissance, son aveugle dévoument à des superstitions auxquelles elle se croyait redevable de sa gloire. Il faut se représenter, d'un côté, la pompe dont elle environnait ses fausses divinités, le nombre et la spleudeur des temples qu'elle leur avait élevés dans toutes les provinces de l'empire, la multitude des prêtres qu'elle consacrait à leur service, la magnificence qui embellissait leurs fêtes; de l'autre, le poids qu'elle donnait à ces institutions frivoles en lès appuyant de son autorité, l'éclat que jetait au dehors cette religion absurde, depuis qu'elle la couvrait de son nom, l'immutabilité enfin, qu'on avait droit d'attribuer à un culte, dont la durée était attachée à la durée de Rome. Il faut ensuite comparer à cet état brillant de l'idolâtrie romaine, l'humble état de l'Église cachée, faible, persécutée, accablée par le mépris quand elle ne gémissait pas sous l'oppression, luttant, sans aucun moyen humain, contre une puissance à laquelle nulle force humaine n'avait résisté. L'orgueilleux espoir des païens qui se flattaient de l'anéantir, était-il donc sans fondement? Lorsque d'un bout de la terre à l'autre, ses enfans n'avaient à choisir qu'entre l'apostasie et la mort, ne semblait-il pas qu'elle allât disparaitre de dessus la terre? et le Chrétien n'avait-il pas besoin de toute l'énergie de sa foi, de toute la certitude des promesses de son Dieu, pour ne pas craindre de voir l'enfer triompher? C'est la foi trop faible que le Prophète vient affermir en lui donnant de nouvelles assurances; ce sont les promesses faites à l'Église qu'il vient confirmer, en montrant la manière merveilleuse dont elles seront accomplies; ce sont encore des préjugés trop naturels à l'esprit de l'homme, des illusions trop dangereuses pour son coeur, qu'il vient prévenir ou détruire. Il annonce la violence des persécutions, afin d'y préparer le courage des fidèles; il en découvre l'issue, afin de soutenir leur patience. La puissance qui se dit et que l'on croit éternelle, doit tomber; l'idolâtrie, fière maintenant de sa protection, périra avec elle. Bientôt il ne restera plus rien de la grandeur de l'une et du crédit de l'autre; la Religion sainte qu'elles auront outragée et opprimée, qu'elles auront cru pouvoir étouffer dans sa naissance ou arrêter dans ses progrès, bravera leurs efforts, s'élèvera sur leurs ruines, dominera un jour dans tout l'univers, et seul passera glorieusement d'âge en âge, jusqu' au terme fixé à la durée des siècles. — Lectu dignissima sunt, quae eruditus ac pius quondam archiepiscopus hic Tolosanus in sequentibus dicit.

7. Cap. 19., cum imperii Romani v. 1—4., et proleptice omnium reliquorum hostium interitus v. 5—10. coelitum hymno esset celebratus, v. 11—21. Christi victoria describitur de decem regibus, judicii ejus de imperio Rom. instrumentis. Decem reges, per decem bestiae cornua significati (17, 12.), simul erant caput septimum. Una cum decem hisce regibus, ultima imperii ethnici manifestatione, ipsa etiam bestia, nec non socia ejus, bestia quae e terra ascenderat, in perpetuum interiit. Per decem reges, septimum bestiae caput, quocum et ipsa interiit (octavus in interitu), intelligendos esse populos barbaros cum ducibus suis, qui tempore gentium migrationis unitis viribus Romanorum destruxerunt imperium, simul vero etiam Christi ecclesiam persequebantur, ab agno autem devicti sunt, adeo clare in textu innuitur, ut merito dubitari nequeat, neque antiquis ullum esset dubium.[1]

8. Cap. 20, 1—6. tertius hostis, satanas, ad mille annos ligatus potestate sua in populos privatur, et ecclesia Christi dominans evadit. Mille annos, qui sexies nominantur, non stricte intelligendos, sed numerum esse propheticum, qui longius temporis designat spatium: integer apocalypseos character docet. Quare num mille anni jam sint praeterlapsi et quotus annus nunc decurrat, et, si illud negatur, quantum temporis spatium adhuc sit residuum? quaestiones sunt otiosae, et omnibus sic sciscitantibus Christus respondet: *„Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae posuit Pater in sua potestate“* (Act. 1, 6.). *„Ecce, sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam et aperuit mihi januam, intrabo ad illum, et coenabo cum illo et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno ejus“* (Apoc. 3, 20. 21.). *„Si — non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te“* (ibid. 3, 3.).

9. Elapsis mille annis satanas denuo solvitur, populos terrae

[1] S. Ambrosius tom. VII. edit. Venet. 1781. p. 334. dicit: „Quatuor bestiae Danieli in visione demonstratae sunt, per quas quatuor regna figurabantur; quarta autem bestia, quae erat fortis atque terribilis, per quam Romani designati sunt, decem cornua habuisse describitur, per quae ea regna, quae Romanum imperium destruxerunt, designata sunt. Eandem itaque significationem habent decem cornua in hoc loco; significant quippe ea regna, per quae imperium Romanum destructum est. Partem namque Asiae Persae primitus abstulerunt, postea vero Saraceni totam subegerunt; Vandali Africam sibi vindicaverunt, Gothi Hispaniam, Lombardi Italiam, Burgundiones Galliam, Franci Germaniam, Hunni Pannoniam; Alani autem et Suevi multa loca depopulati sunt, quae eorum subjacebant dictioni.“ — S. Augustinus de civ. Dei 18, 52. ait: „Rex Gothorum in ipsa Gothia persecutus est Christianos crudelitate mirabili, quorum plurimi martyrio coronati sunt, sicut a quibusdam fratribus, qui tunc illic pueri fuerant, et se ista vidisse incunctanter recordabantur, audivimus.“ Cfr. Paul. Oros. 7, 32. 41. Bossuet de decem regibus praeclare observat: On voit paroître à peu près dans le même temps les Vandales, les Huns, les Francs, les Bourguignons, les Suèves, les Alains, les Hérules, à qui succèdent les Lombards, les Allemands, les Saxons; plus que tous ceux-là, les Goths, qui sont les vrais destructeurs de l'empire. Rien ne force à se tourmenter, pour les réduire précisément au nombre de dix, encore qu'on les y pût à peu près réduire par rapport aux royaumes fixes, qu'ils y ont établis. Mais un des secrets de l'interprétation des prophètes, est de ne pas se perdre dans les minuties, quand on trouve de grands charactères qui frappent la vue d'abord.

seducit et ad terribilem pugnam incitat contra Christi ecclesiam; attamen omnes Christi hostes igne de coelo devorantur, et diabolus mittitur *„in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in saecula saeculorum“* 20, 7—10. Mentionem non fieri Antichristi, quem tamen ante mundi hujus finem esse proditurum s. Paulus in II. Thess. 2, 3—12. et ipse s. Joannes in I. epist. 4, 2. 3. testantur, profecto mirum videri posset. Omnes, qui Christo adversantur, spiritu quidem Antichristi animati et ejus quasi praecursores sunt, attamen non ipse Antichristus personalis, *homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus; — quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui“* (II. Thess. l. c.). Attamen ultima illa pugna ecclesiae cum satana soluto ejusque instrumentis a s. Joanne in apocalypsi paucissimis absolvitur; quemadmodum de Israëlis conversione ad Christum ante mundi finem (Rom. 11, 25. 26.), ita etiam de Antichristi proprie sic dicti proditu et efficacia nihil commemoratur, sed uterque eventus notus supponitur.

10. Omnibus hostibus devictis universalis sequitur mortuorum resurrectio, judicium extremum de cunctis, qui non sunt scripti in libro vitae 20, 11—15. Novum coelum et nova terra oritur, nova civitas Jerusalem de coelo descendit, parata sicut sponsa ornata viro suo, et beatitas eorum, qui laverunt stolas suas in sanguine agni, tanta describitur, ut, qui legit, non possit non cum vate sacro suspirare: *„Veni, Domine Jesu!“ Amen.*

# Corrigenda.

Pag. 9. lin. 16. super. loco Hoc pone Hac.
„ „ „ 17. infer. „ *amnibus* p. *omnibus*.
„ 21. „ 7. super. „ 5. p. 6.
„ „ „ 13. „ „ e sect. I. scimus p. e sect. II. patebit.
„ 27. „ 3. infer. „ lege p. legi.
„ 31. „ 13. super. „ auctoribus p. lectoribus.
„ 33. „ 2. „ „ apocalypsis p. apocalypsin.
„ 38. ante notam 1. p. Catech IV. 36.*
„ 42. lin. 8. sup. 1. sic mutandum est: Epistola Jacobi non certis — — degentibus, et illa Judae Judaeochristianis provinciae non determinatae destinatae sunt etc.
„ 46. lin. 20. sup. l. favebant p. fovebant.
„ 47. „ 10. inf. l. reparationem p. separationem.
„ 50 „ 12. sup. l. *πρεςβυτας* p. *πρεςβυτιδας*.
„ 55. „ 14. sup. dele: Sinaiticus sectiones peculiares exhibet et
„ „ „ 13. inf. post v. g. in codice adde: Sinait., in cod.
„ 59. „ 3. „ l. consultae p. consulto.
„ „ „ 12. „ l. naturae p. natura.
„ 60. „ 10. inf. l. *θαυμεάζοντες* p. *θαυμάζοντες*.
„ 71. „ 3. inf. nota 3. l. edita maximam partem p. veneunt, 200.
„ 74. „ 4. sup. l. amissorum p. omissorum.
„ 79. „ 9. „ l. nuncupatos p. nuncupatis.
„ 86. „ 9. sup. l. requebatur p sequebatur.
„ 106. „ 16. inf. l. excepta p. excerpta.
„ 119. „ 11. sup. l. conconsu p. consensu.
„ 130. „ 17. inf. post B) Argumenta externa insere: authentiaa.
„ 132. „ 15. inf. l. susceptam p. receptam.
„ 169. „ 24. „ l. ipse p. ipsae.
„ „ „ 14. l. i. si p. ei.
„ 196. „ 21. sup. l. paschalis p. paschatis
„ 202. „ 17. „ l. illas p. illos.
„ 206. „ 2. inf. l. consolandos p. confirmandos.
„ 217. „ 20. sup. post putativum p. ei.
„ „ „ 3. inf. l. Petri p. Petrum.
„ 222. „ 15. sup. l. hisque p. hicqua.
„ 228. „ 10. „ l. *ἐκείνας* p. *ἐκεῖνος*.

# INDEX.



## PARS I.

## Introductio generalis.

### SECTIO I.

### Introductio historico-critica.



### CAPUT I.

### Historia originis, conservationis ac propagationis librorum N. T.

a) De origine ss. N. T. librorum.



b) De librorum N. T. conservatione.

Pagina

## CAPUT II.

### Historia canonis.



## CAPUT III.

### Historia textus A) manuscripti, et quidem

ARTICULUS I.

### relate ad formam.



### Historia textus manuscripti, et quidem

ARTICULUS II.

### respectu materiae seu de lectionum variantium origine.

# PARS II.
## Introductio specialis.

ARTICULUS I.

### Scripta historica.

Pagina

De ordine evangeliorum canonicorum chronologico, et de tempore, quo tria priora et actus Apostolorum sint editi.



II. De tempore, quo tria evangelia priora et actus App. editi sint.



IV. Evangelium s. Joannis.



ARTICULUS II.

## Scripta didactica.

I) Epistolae Pauli Apostoli.



A) Epistolae Pauli Ap. in secundo itinere scriptae.

1) Epistola I. ad Thessalonicenses.



B) Epistolae Pauli Apostoli in tertio itinere exaratae.

1) Epistola ad Galatas.



2) Epistola I. ad Timotheum.



3) Epistola I. ad Corinthios.

LIPSIAE, TYPIS GIESECKE & DEVRIENT.